PRAELECTIONES E THEOLOGIA NATURALI

PRAELECTIONES

E

THEOLOGIA NATURALI

SCRIPSIT

IOHANNES R. LOINAZ S. I.

OLIM ROMAE IN UNIVERSITATE GREGORIANA NUNC ONIAE
IN FACULTATE PHILOSOPHICA PROFESSOR

Property of.
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
160.2
LIBRARY
L835
Alma, California

TAURINI (ITALIA)
Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

—

MCMXXIX

26738

Nihil obstat.

TIMOTHEUS ZAPELENA, S. I.

Imprimi potest.

SEVERIANUS AZCONA S. I., *Praep. Prov. Castell.*

Nihil obstat.

Taurini, 15 Octobris 1928.

C. A. MOLINARI, *Rev. Deleg.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (14-XI-28).

PRAEFATIO

Quas de Deo *praelectiones Romae saepius* (1907-1919) *in Gregoriano Athenaeo dixeram, easdem nunc nonnihil auctas atque exactiori conformatione intextas effero.*

Quibus profecto aut argumenti aut methodi novitas inest nulla; scopo solum paedagogico lucidior intenditur viarum dispositio tamque conserta quaestionum adunatio, ut breviori spatio ipsa veritatum non brevis series penitius animis insideat.

Brevitati autem intra certos tantum limites consulimus; immo in gravioribus praeferenda videtur moderata copia, ne synthesis contractior etiam mentes contrahat auditorum, ut neque e scriptis exire formulis, neque eas vel dicendo exhaurire vel etiam sufficienter explanare valeant.

Eodem perducti didactico fine abstinendum esse censuimus ab iis quaesitis, quae naturali quidem theologo in se non aliena, alibi tamen fuerint ex professo tractata; huc faciunt Ontologismus et Traditionalismus in Psychologia propositi; aetas mundi, leges mundanae, miraculum; quae, cum in Cosmologia necnon in Apologetica critice expediantur, saepius audita fastidium generarent.

Quod ad formam spectat tractationis in singulis quaestionibus, methodum sequimur scholasticam, cum haec non superiorum solum voluntati conformior, sed ex vi sui ipsa ad mentes propaedeutice pro Theologia instituendas tam efficax probetur, ut aut subrogari aut derelinqui sine iactura omnino non possit.

Propositiones in capita tantum cadent doctrinae, levioribus per Scholia circa theses colligatis. Insistentia tandem in obiciendo, non ne-

cessario solvendi solutique problematis consignificat obscuritatem, sed arma iuvenibus elargiri passim enititur; nec veterum tantum et classicae diluuntur instantiae, sed et aliae recentiores; quod si ex prioribus aliquae in Remer calcari videantur, ut Romae nobis in more erat, fiet ut clari auctoris volventibus textum alicui adiumento esse possimus.

Oniae (*Burgis*) *in Hispania* 1928.

AUCTOR.

THEOLOGIA NATURALIS

PROLEGOMENA

1. — Mundum *et entia* mundana per ultimas illorum causas perpendebat Philosophia Naturalis, quae erat de ente *corporeo mobili* seu mutabili. Obvius est transitus ad studium pariter philosophicum auctoris mundi, entis supramundani pure spiritualis, *immobilis* seu in se immutabilis, a mundo separati, ac personalis, quod Deus dicitur constituitque obiectum metaphysicae specialis de Deo, Theologiae Naturalis.

I.

DEFINITIO ET DIVISIO THEOLOGIAE

2. — *Theologia* in genere est etymologice *sermo de Deo* (Θεός λόγος); realiter est *scientia de Deo.*

Sed cum ad Dei naturam duplici nobis concedatur accedere via, duplici instrumento, per puras nempe intellectus vires aut per easdem revelatione auctas:

Theologia dividitur in *Naturalem* et *Supernaturalem.*

Theologia Naturalis est scientia de Deo lumine *naturali* comparata. Post Leibniz nomine proprio « *Theodicea* » designatur, i. e. iustificatio Dei (Θεός, δίκη seu δικαία) (1).

Theologia Supernaturalis est scientia de Deo lumine *supernaturali* comparata, seu ex revelatione proficiscens; quam quidem scientiam significat « Theologia » quoties sine addito pronuntiatur; est enim Theologia per antonomasiam. — Evidens est ad philosophum nonnisi *Naturalem* Theologiam spec-

(1) Proprie « Theodicea » dictae sunt vindicationes polemicae, in quibus Leibniz conciliavit *mala* mundana cum Dei *bonitate;* sed iam significat totum de Deo tractatum. Leibniz dolebat ruinam animorum, partim ex ideis ortam etiam apud doctores coaetaneos sat confusis de bonitate et potentia Dei, de libertate hominis, de origine mali. Passim pro adiunctis conceptus elucidaverat limitesque libertatis, necessitatis, fati theologici (ex praescientia Dei), destinationis. Singula complexive iam magisque scientifice vindicare, ad concordiam trahere, sibi assumit in opere *Essais de Théodicée*, Paris 1846. Cfr. *Préface*, fere initio, p. 35. Videlicet; quas Bayle *insolubiles* decreverat obiectiones, omnino tenet ille solvendas esse, nec immerito. Bayle quidem inculcabat incomprehensibilitatem dogmatis cuiusdam et *insolubilitatem* obiectionum contra illud derelictionem eiusdem non iustificare. At Leibniz, primo transmisso, alterum negat; difficultas enim *insolubilis* (ait) demonstratio est falsitatis, legitimat proin theseos expulsionem. Ergo obiectiones solvendae sunt (*Op. c.*, n. 58).

tare, quae sola est Philosophia de Deo, *Metaphysica* de Deo. *Supernaturalis* pertinet ad theologum; est enim *Theologia* de Deo, doceturque in schola Theologiae sacrae, Theologiae scholastico-Dogmaticae.

3. — *Scientificus Theodiceae character.* Praeiactis definitionibus non Theologia solum sed et Theodicea, immo clarius haec, vera scientia affirmatur. Scientia est cognitio rerum *per causas* et scientia quidem philosophica per causas *ultimas*. Quia vero ad causas rerum per demonstrationem accedimus, scientia est cognitio rerum *per demonstrationes* maxime aprioristicas propter quid; hae enim faciunt *scire*. Sic ergo Theodicea de suo altissimo obiecto scientiam atque ideo sapientiam construet per demonstrationes, per causas ultimas (1).

4. — *Theologia norma negativa Theodiceae.* Eadem definitio per illud « naturali lumine » ait quidem ad Theodiceam non eas spectare veritates, quae ex fonte solum revelationis noscuntur, i. e. quae vel explicite revelantur mysteria, vel quae ex sic revelatis, ut ex principio et praemissis per naturalem deinde discursum a ratione deducuntur; nec addit tamen revelationem esse philosopho praetereundam seu in suis discursibus sub plena quadam praecisione occludendam, immo ob absolutam eiusdem infallibilitatem philosophus prae oculis fidem habere tenetur, ne quidpiam eidem obstans philosophare aut ut verum sibi assumere praesumat.

Profecto, si idem sub aliis quoque dicamus formulis: quamvis revelatio *norma positiva* philosopho nec debeat nec possit esse aut etiam ultimum veritatis universale criterium, cum ratio *anterior* sit fide seu cum certitudo naturalis supernaturalem praecedat, potest tamen ac debet esse norma *negativa* iure sibi debito frenandi rationem, praesertim quoties leviter properans ratio in apparentes vel etiam reales cum fide fuerit illapsa collisiones (2). Tam nobilis *sane* adiutorii velut fructus habendum quod christiana philosophia rectius semper longiusque sub nova luce fuerit progressa.

5. — *Subiectum et obiectum Theodiceae.* Priusquam illud Naturalis a Sacra Theologia discrimen, utcumque iam et in vago respectivis insinuatum definitionibus, sub maiori quadam ponamus determinatione, operae pretium erit ut subiectum et obiectum Theodiceae accurate describamus; his enim fere duobus praeambulorum munus consistere vellemus.

1) *Subiectum* scientiae seu *obiectum* attributionis pro aliqua scientia, (obiectum *de quo*, *circa quod*) illud in genere dicitur, supra quod scientia versatur studiumque instituit, seu cuius cognitio ut finis integrae scientiae intenditur ita quidem, ut cetera, quibus scientia immoratur, huic subordinentur cognitioni. Unde *subiectum* seu *obiectum attributionis* Theodiceae est *Deus*, ens reale primum, cuius notitiam tota intendit Theodicea; sicut subiectum Metaphysicae generalis est ens *reale* ut sic; Psychologiae est *anima ;* Cosmologiae est *corpus ;* Logicae est *ens rationis.*

Si vel intra hoc obiectum distinctio inter *materiale* et *formale* non inepta

---

(1) Deus quidem causis proprie dictis caret sive extrinsecis (efficiente, finali, exemplari) sive intrinsecis (materia et forma), at non caret ratione sui sufficiente, intrinseco nempe sui constitutivo, quod simul ratio ontologica est attributorum. Scientia autem tales de suo obiecto tamque ontologicos perquirens nexus, non minus est philosophia, quam quae veras de obiecto suo propriasque rimatur causas.

(2) « Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta » (S. Th. 1 p., q. 1, a. 8, c, in fine).

censeatur, subiectum *materiale* in casu est Deus, qui et *qualis in se est*, idem pro Philosophia ac pro Theologia; *formale* autem pro Theodicea est Deus ut *auctor naturae*, ut auctor ordinis naturalis, seu est Deus qua *per rationem* attingibilis; pro Theologia est Deus *ut auctor gratiae* ordinisve supernaturalis, seu est Deus qua *per revelationem* cognoscendus.

Si praedicta adiudicentur *subiecto* Theodiceae, paulo aliter erit de *obiecto* decernendum.

2) *Obiectum Theodiceae.* Cum obiectum scientiae dicatur quidquid de suo subiecto scientia in vi propriorum principiorum demonstrat, *obiectum* Theodiceae (iam *constitutivum* huius scientiae) sunt veritates, quas de suo subiecto (Deo) Theodicea lumine rationis deprehendit, tractat, demonstrat; integer proin Theodiceae tractatus, omnes inquam quotquot propositiones, principia, conclusiones ratio adinvenit, ordinat, eruit circa Deum auctorem naturae, ut eum in sublimi sua ineffabilique collocatum perfectione e mundanis exordiens perfectionibus, quae umbrae quaedam tenuiores divinitatis sunt, quanta potest claritate, proprietate et copia sed per analogicas tandem vicinias describat.

Dividitur in *materiale* et *formale*. Obiectum *materiale* (non iam *circa quod*, *de quo*, sed *constitutivum* scientiae) erunt *conclusiones* de Deo dicta via obtentae, erit programma ipsum, theses omnes Theologiae Naturalis; appellatur etiam *obiectum quod*.

Obiectum autem *formale* erunt *principia*, ex quibus ratio conclusiones de Deo derivat; erunt dictamina rationis, seu lumen ipsum naturale in quantum mentem in iis axiomatibus seu per se notis veritatibus actuans, quae ad naturam Dei proprietatesque pro modulo nobis aperiendas ordinari apteque sociari queant; dicitur et obiectum *quo* (1).

Eadem si de sacra Theologia compendiatim innuamus: *Theologia Supernaturalis* est scientia de Deo e revelatione proficiscens. Eius *subiectum* est Deus; materiale, Deus qui et ut in se est; formale, Deus ut auctor gratiae seu ut e revelatione cognoscibilis. Eius *obiectum* (constitutivum huius scientiae) sunt veritates, quas de suo subiecto (Deo) Theologia lumine revelationis atque rationis deprehendit, evolvit, concludit; est integer theologicus tractatus omnes usurpans fontes. — *Materiale*, conclusiones de Deo via praesertim revelationis obtentae; *formale*, *articuli fidei* seu principia revelata, e quibus ad ulteriores vehitur illationes et fructus.

6. — *Observatio de varietate in dicendo.* Indicabatur defectus unius circa haec fixi idiomatis; revera nec apud veteres nec apud recentes auctores uniformitas viget. Cuius rei si rationem quaeras, curnam nempe pro adiunctis sive promiscue de obiecto et de subiecto, sive separatim loquamur, quasi nunc synonyma quae prius talia non videbantur decernentes, fundamentum (saltem si mere philosophicis stemus) esse potest quod *duo* sint valde diversa,

---

(1) Alii paulo aliter: *a*) Cum obiectum *formale* scientiae illud sit, quod primo ac per se a scientia attingitur et ratione cuius cetera attinguntur, quae sub hac scientia comprehenduntur, obiectum formale Theodiceae poni poterit aseitas (vel esse a se) ut naturaliter cognoscibilis est (Hontheim, *Instit. Theodiceae*, n. 3). Ut apparet, obiectum formale tunc dicitur prima pars obiecti quod *materiale* appellabamus, seu *prima ontologice* thesis et conclusio de Deo. Quod haec veritas *valde radicalis* sit et origo aliarum ontologica indubium est ac infra suo loco ostendetur; adhuc non videtur ad *principia* pertinere *per se nota*, sed demonstranda esse et ad ens singulare concretari. *b*) Obiectum *formale*, ratio illa, secundum quam obiectum materiale attingitur ab aliqua scientia, est Deus ut cognoscendus lumine naturali, ac proinde ut auctor naturae (Urráburu, *Theodicea*, n. 3). — Evidenter *obiectum* formale appellatur hic idipsum, quod subiectum formale dicebamus.

quibus ratio dicendi applicetur una: *actus* et *scientia*. *Actus* specificatur ex *obiecto* suo *formali; scientia* specificatur ex *obiecto* suo *formali*. At scientia specificatur etiam ex *subiecto* suo (formali), quod de *actu* non sonat. Disparitatis ratio intellegi sic poterit: *a*) *Actus*, non minus quam scientia, habet obiectum *de quo* (illud nempe, cui attribuitur v. g. esse cognitum, volitum); hoc igitur sensu actus quoque haberet *subiectum*, immo sive materiale sive formale, ut patet; adhuc de actu *nonnisi obiectum* consideratur, obiecto soli tribuitur specificatio actus, nunquam *subiecto;* nec immerito. *Actus* enim *unus* est ac simplex cum obiecto uno et de obiecto uno, non est complexus actuum supra unum obiectum cadentium aut quoddam constituentium velut corpus. E converso autem *b*) *Scientia* non unus sed *multiplex* actus est circa obiectum; est complexus et quasi scientificum *corpus* materia formaque constans, licet de obiecto uno. Igitur obiectum dici tunc poterit *subiectum* seu obiectum de quo et *attributionis;* corpus vero ipsum, pluribus circa subiectum veritatibus conflatum, apte dicetur *obiectum* (iam corporis constitutivum), in quo rursum materiale et formale assignentur.

Unde 1º Quod « *actus* specificetur ex obiecto formali » obvie, clare ac fixo modo percipimus. Actus enim *unus*, supra unum clare prolapsus obiectum, una quasi induitur bene definita figura, quae actum specificat eumque a reliquis separat; licet autem haec velut figura ipsimet actui intrinseca sit ideoque potius *subiectiva* et actus constitutiva, adhuc eam in seipsa attingendi incapaces, in obiecto termino actus eamdem novimus, velut sigillum quod ab obiecto insculpi debeat actui, est enim quasi refunditio obiecti in actu, v. g. color corporis pro *actu* visivo. Quod autem « *scientia* specificetur ex obiecto formali » minus clarum aut minus fixum contingit. Ex complexu enim actuum ac veritatum, quibus scientia conflatur, *res specificanda* complicatior est, quasi induere petens figuram multiformem; consequenter *specificativum* scientiae, obiectum formale, nec tam praecise nec tam necessario per unicam formam seu figuram assignabile; hinc eveniet fontem specificandi quandoque ex obiecto repeti *circa quod* formali (ex subiecto formali) potius proin ex aliquo *extrinseco* globatim uno, quandoque vero ex obiecto trahi scientiae *constitutivo*, hinc clare *intrinseco*, ex complexu veritatum, rursus vel totali vel ab huius parte stricte formali *principiorum*.

2º Definitio quoque *obiecti formalis*, per formulam illam expressa « id, quod in se primo cognoscitur et est ratio cur cetera cognoscantur », pro obiecto quidem *actus* clara est multoque clarius pro eo, quam pro obiecto *scientiae*, determinata. Profecto color pro *actu* visivo sic manifesto se habet; in se enim a visu perceptus, ratio est cur ab eodem visu extensiones, figurae, aliaque percipiantur; neque phrasis pro tali obiecto nisi uno hoc sensu accipietur. Pro obiecto autem *scientiae* fixari tam categorice unicus definitionis sensus nequit. Etenim: *a*) De *subiecto* scientiae definitio illa nec valet nec sensum habet. *b*) De *obiecto* stricte tali seu constitutivo scientiae valet quidem, sed variis tunc subicitur acceptionibus, non solum quia *principia* ipsa scientiam efformantia non unum sed *plura* esse inveniuntur ideoque quaeri possit *quotnam* ex his, an omnia, an unum, an pauca debeant prius cognosci ut sint ratio cognoscendi reliqua, sed quia etiam *conclusiones* ita se habere possunt, ut una prius cognita sit ratio cognoscendi alias. Quo sane postremo sensu *aseitatem* (pone etiam « esse subsistens ») audivimus nuncupari obiectum formale, cum tamen solum ut *conclusio* non ut principium per se notum cognosci possit. Licebit iam plures dicendi modos debite accipere, interpretari.

7. — *Theodiceae cum Theologia comparatio.* Praecipuas iam unius ab alia Theologia differentias notasse iuvabit quoad tria.

1) *Quoad obiectum. a*) *Subiectum* utriusque (obiectum de quo) *materiale* idem, Deus in se; *formale* diversum: Deus ut auctor naturae; Deus ut auctor gratiae. Hinc phrases « scientiae specificantur ex *subiecto* », « unitas scientiae ex unitate *subiecti* », similesque, de subiecto *formali* audiantur oportet, non de materiali.

b) *Obiectum* utriusque (constitutivum) differt: *Formale* quidem (obiectum quo) *adaequate;* pro Theologia enim sunt articuli *fidei*, axiomata *rationis* pro Theodicea. *Materiale* autem (obiectum quod) *inadaequate;* longe extensius est pro Theologia quam pro Theodicea. Etenim:

α) *Theodicea* his reperitur conclusa veritatibus, quas de Deo e mundanis eiusdem vestigiis in vi axiomatum discurrens *ratio* a posteriori initialiter, deinceps etiam a priori colligere potens est; intra tale ceteroquin studium (nuper notabamus) tutius certe sub norma fidei christianus quam ethnicus sese movet philosophus.

β) *Theologia* autem tota quidem utens theodicea in alias tamen properat principaliter veritates et in se altiores et sibi magis proprias propriumque characterem constituentes; alias etiam pro variis suis muneribus excolit methodos, alios perquirit fontes.

Ut enim eas nunc omittam veritates, quas ut morum regulativas, ut praecepta morum ex revelatione possidet, ordinat ac evolvit, eruendo conclusiones ad pleniorem praxeos regulationem (Theologia *Moralis*), si Speculativam tantum intueamur Theologiam, ad quam fidei « dogmata » antonomastice sic dicta pertinent, amplitudo scientiae Theologicae immensa apparet. Cum enim ex proprio munere contra incredulos ostendere teneatur aliquam dari religionem divinitus revelatam, eamque praecise christianam esse, ordinem factorum perpendit, quaestionem « an est », ut demonstret revelationem *factum* esse quoddam, sub hoc facto talem, illam, aliam veritatem fuisse revelatas etc. atque hinc fontes dogmatum *fidei* perquirit, determinat; dogmata ipsa exinde aperit atque propugnat (Theologia *Positiva*). Nec solum; cum ipsimet id etiam incumbat, ut *concordiam* rationis cum fide inducat saltem *negativam* (quandoque immo *positivam*, ut circa unicitatem Dei...) ostendendo nullum dogma cum ratione pugnare, nec minus sit suum ut quae in articulis explicite revelatis implicite revelata continentur, palam proferat, singula sive didactice sive polemice confirmet, formam iam imprimet tractatibus suis magis *scientialem* nec satis sibi censebit fecisse, si unum ac aliud vera esse dogmata demonstret (id enim et pure Positiva facit) nisi ulterius quomodo, quousque sint vera edoceat, per theologicas deinde conclusiones revelationem explicet certoque sensu dilatet, errores impugnationesve etiam nomine philosophiae motas, ipsamet certante philosophia, penitus dissolvat, profliget; cuncta denique in armonicum corpus doctrinale congesta perlucide disponat (Theologia *Scholastica*).

Liquet iam quantopere Theologia Theodiceam in amplitudine obiecti ac methodorum excedat (1).

2) *Quoad certitudinem.* In hac comparatione certitudo Theologiae reliquas habetur praecellens certitudines, metaphysica non excepta, saltem

---

(1) Cfr. circa obiectum *a*) Hontheim, *Instit. Theodiceae*, Friburgi, 1893, n. 3; *b*) Remer, *Theol. Natur.* « prologus », necnon « Introd. in Logicam » n. 2; *c*) Urráburu, *Inst. Philos.*, vol. 7, nn. 3, 4; *d*) Pro parte theologica prae primis De San, *De Deo Uno*, pp. 1, 9, 15.

appretiative (Cfr. explicationes in Logica factas), hinc simpliciter maior est firmiorque certitudine Theodiceae; illa quippe in absoluta firmatur infallibilitate divinae auctoritatis, haec autem etiam coram summis evidentiis in principiis tandem rationis absolute fallibilibus, ut diximus. Id tamen singularem illam non minuit Theodiceae laudem quod eius evidentia subiecto *intrinseca* sit seu veritatis, evidentia vero Theologiae extrinseca seu credibilitatis. Videlicet: in Theodicea fons certitudinum de subiecto scientiae est examen, quod ratio supra naturam subiecti scientiae instituit; in vi enim solum huius studii axiomata, quae ratione sola in seipsis iam cognoscebantur, sunt motivum movens ad assentiendum conclusionibus de subiecto. In Theologia autem examen ipsum rationale de subiecto nihil directe confert totumque ab extrinseco repetitur; cum enim iam principia Theologiae propria, « quae sunt articuli fidei » (S. Th.), rationem fugiant, motivum iisdem assentiendi nonnisi *auctoritas* Dei est; et quia eadem haec principia sunt motivum assentiendi *conclusionibus* de subiecto, tota in his evidentia subiecto *extrinseca* est, ex auctoritate nascens, seu est evidentia *credibilitatis*.

3) *Quoad nobilitatem.* Pars quidem nobilitatis scientiae in eius consistit certitudine nec minus in elevatione *obiecti* formalis; ac de his egimus. Nunc considerandus venit *finis* scientiae, qui et *utilitas* nuncupari potest (1). Sub quo etiam respectu non minus quam sub aliis Theologia supra naturalium scientiarum nobilitatem elevatur. Cum enim eius finis, Deus scilicet *visione* possidendus, finis hominis *simpliciter* ultimus sit, sequitur reliquos fines eidem *subordinari*, proin et finem Theodiceae, qui mere naturalis est.

8. — *Excellentia Theodiceae.* De elevatione scientiae nostrae eiusdemque suavitate dubitare non licet. Homo, caelum oculis intuendi capax, animae etiam intuitum in ens illud facile convertet, a quo omne bonum, et in quo, cum rerum initium sit et finis, scientifica universi inquisitio claudenda erit ut in ultima eiusdem causa.

Iam si scientia de *mundo* erat quaedam excellens philosophia, excellentior philosophia, metaphysica sublimior dicenda erit perscrutatio *ultimae causae* in se, in interna sui constitutione per irreceptam τοῦ *esse* puritatem. Deum intus conspicere munus theologi naturalis est; examen Dei per causas, non extrinsecas sane, quibus caret, nec stricte intrinsecas, quas non habet; sed quae in Deo ratio sui sufficiens, ipsa eius essentia sunt. Fluit necessaria quaedam iucunditas in expletione appetitus, hominem in rerum causas vehementer vehementius autem in primam causam impellentis.

---

(1) Ita v. g. a Schiffini, *Disp. Metaph. Specialis*, Vol. 2, Introd. ubi apte quoque discrimina tria, nunc descripta, dicuntur: in *obiecti amplitudine*, in *intensiva perfectione*, in *utilitate*.

II.

ORDO TRACTATIONIS

9. — Philosophia de Deo tribus continetur ad totidem quaesita responsis: An Deus sit, quid sit, quale sit; hinc tripartita maneret; quia vero attributa Deo insunt plurima, et de singulis sat multa venient necessario dicenda, quaesito « quale sit » divisim respondemus, ab *absolutis* separantes illa, quae per ordinem ad creaturas, *relativa* dicuntur, et inter absoluta distinguentes actuosa a quiescentibus. Unde sic:

Pars I. — De exsistentia Dei.
Pars II. — De essentia Dei.
Pars III. — De attributis absolutis quiescentibus.
Pars IV. — De attributis absolutis operosis.
Pars V. — De attributis relativis.

Partes in *capita*, haec in *articulos*, hi quandoque in *paragraphos* distribuuntur.

PARS PRIMA

DE EXSISTENTIA DEI IN ORDINE RERUM

CAPUT I.

De cognoscibilitate esse Dei; seu: Utrum et quanam naturali via noster intellectus de Deo exsistente certus esse possit.

10. — Conspectus totius quaestionis. Solutio haec tandem erit: Intellectus naturalem *de hoc obtinet* certitudinem demonstratione a posteriori. Per gradus in id progressuri ipsam ab initio indolem quaesiti contemplemur.

11. — I. *Quaestio ipsa.* Viam inquirimus, si haberi possit, quae naturalem de Deo exsistente nobis suppeditet certitudinem.

Hinc: 1º Non praecise intendimus rationes recensere aut modos sub quibus *conceptus* Dei de facto fuerit in nobis ortus; id quidem historiam enarraret *originis ideae Dei*, minime vero fontem *certitudinis* definiret *de Deo reali*, cum tamen quaestio tota de hoc instituatur fonte. De origine ipsa *conceptus* Dei plura dixere Patres, plura catholici polemistae scribunt contra philosophos quomodolibet subiectivos, qui sub repudio viarum classicarum *ideam Dei* e fundo aiunt animi sponte erumpere nec minus nostram *de exsistentia Dei persuasionem.* Enimvero modus ipse, quo *merus Dei conceptus* in nobis nascatur, decisus iam in Ideologia est; conceptus *omnes*, nullo excepto, *acquisiti* sunt, omnesque ex rebus hausti sensibilibus; inter hos igitur et ipse Dei conceptus includebatur; cuius aliunde conceptus in humana mente exsistentiam atheus Dei impugnator, si sibi constet, negare non poterit, aut ab omni cessabit disputatione de re videlicet non apprehensa.

2º Cum idea ipsa Dei in nostro intellectu exsistat, nec obscure dicta via nascens, quaeritur *a parte rei* quid eidem respondeat; utrum constare nobis certo queat cogitatum illud *aliquid actuale* esse; ex hoc enim solo, quod conceptus obiecti in mente exsistat, non sequitur obiectum *reipsa exsistere*, aut etiam *possibile* esse; hinc de *externa* quaeritur obiectivitate conceptus Dei. Videlicet:

Conceptui respondens obiectivitas triplex in universum esse potest: *a*) *Chimaera*, ut si concipiam creaturam aequalem Deo; *b*) *Possibile*, ut si concipiam *alium* solem; *c*) *Actuale*, ut si cogitem de sole praesenti. — Primum nec est nec esse potest; alterum non est, sed esse potest; tertium *est a parte rei* exsistens. Haec sola tertia obiectivitas ad rem facit; de qua rursum

non tam quaerimus utrum in se exsistat, quam utrum per viam *naturalem* (naturali rationis lumine) nos eam adipisci possimus, non utcumque, v. g. coniecturaliter, aut etiam opinative, sed *certo*.

3º *Natura logica iudicii* « *Deus exsistit* ». Certitudo, cum sit assensus praestitus *enuntiabili* (quod in casu est « Deus exsistit ») est dos iudicii. Sed Deum exsistere significat Deum dari *in rebus;* igitur in logica resolutione iudicii « Deus exsistit », eius elementa sunt: subiectum « Deus », copula « est », praedicatum « aliquid in rebus » seu « aliquid a parte rei ». Unde iudicii huius veritatem certo tunc novimus, cum certo nobis constet praedicatum « aliquid in rebus » seu « aliquid a parte rei » competere subiecto in quaestione « Deus ».

Comparando. In iudiciis « Ecclesia Christi exsistit in terra », « mons aureus exsistit in mundo » veritatem tunc possidebo, cum certo mihi constet praedicatum « aliquid in terra » convenire subiecto « Ecclesia Christi » (cuius definitionem nominalem possideo), et « aliquid in mundo » competere subiecto « mons aureus » (cuius definitionem seu notionem possideo).

Liquet iam praecisus quaestionis *sensus*.

12. — II. *Solutiones.* Responsa ad quaesitum tria exstant *generalia:* duo extrema, aliud medium.

1º *Traditionalistae* plenam de re certitudinem intellectui mero interdicunt. Cum veritas (aiunt) propositionis illius nec immediate evidens nec mediate e discursibus haurienda sit, necessitas fluit revelationis a Deo protoparentibus factae, traditione ad nos usque transmissae. *Pessimismus.*

2º *Ontologi* e converso, ut et *Fideistae*, *Reidiani*, alii, eamdem veritatem immediate certoque nobis notam praedicant; sive quia in *Deo viso* eam intuemur, sive quia intime eam invicteque *sentimus*, sive quia ex sola *fide instinctus* ipse absque examine mentem evincit, sive quia immediata subiecti *analysis* praedicatum « exsistere » in subiecto « Deus » clare inclusum nobis dat. *Optimismus.*

3º *Peripatetici* tenuerunt, tenent, naturalibus energiis propositionem sic aptari, ut non immediate quidem, certe tamen *mediate* animus eidem indubitanter assentiat; unica autem certitudinis via in demonstratione a posteriori sistat.

13. — III. *Ordo tractationis.* Plenior haberetur capitis gradatio, si veram solutionem individuata praecederet falsorum systematum refutatio. Cum autem Ontologismum necnon Traditionalismum Psychologus iam tractaverit, a repetitionibus erit abstinendum, si praesertim cursus unius brevitas tot tamque veris Theodiceae exigentiis subvenire vix consentiat. Hinc: 1º de mediis *invalidis immediatis*, nominatim de *analytico;* 2º de viis *invalidis mediatis;* 3º de via *valida* sed *in universum*.

Articulus I.

DE ANALYSI IMMEDIATA

Propositio I. Propositio « Deus exsistit » est quidem per se nota quoad se, non autem per se nota quoad nos.

14. — *Status quaestionis.* Propositionem aliquam immediate nobis manifestari dupliciter contingit: aut immediate *empirice* (intuitive), aut immediate *analytice;* v. g. « Sol exsistit », intuitive; « totum est maius sua parte », analytice. Quaeritur utrum propositio « Deus exsistit » per immediatam analysim nobis elucescat; alterae enim viae, intuitus scilicet Dei, instinctus Reidianus, fideismus, sensus naturae, sensus divini, sentimentalismus (Iacobi) etc. impares ostenduntur proposito fini (Cfr. Criteriol. et Psychol.).

15. — 1. *Notiones.* Propositio *per se* nota ea dicitur, cuius praedicatum est de *ratione* subiecti; quae proin ipsis cognitis terminis (i. e. non praecise *visis* intuitive, sed in eorumdem ratione ac definitione utcumque cognitis etiam solum *abstractive* imperfecte) iam *sine medio* statim cognoscitur, vel ab aliquo intellectu cognosci potest; hinc aliter Toledo: « quae medium non habet extra se, quo cognoscatur, ultra extrema ex quibus constat » (1). Opponitur propositioni *per aliud* notae, ei videlicet, cuius praedicatum non est de ratione subiecti, quaeque proin sine medio a nullo intellectu cognosci potest, v. g. homo est capax meriti.

Igitur propositio *per se* nota idem est ac propositio *immediata;* immediata autem definitur ea, ante quam nulla est *ontologice* prior, per quam debeat aut possit cognosci et demonstrari a priori; seu quae excludit medium *in essendo.* Propositio *non per se* nota idem est ac *mediata;* mediata autem definitur illa, ante quam alia datur *ontologice* prior, ex qua a priori demonstrari queat; seu quae *medium in essendo* habet.

16. — 2. *Divisio.* Propositio per se nota duplex esse potest: *a*) per se nota *quoad se solum; b*) per se nota *etiam quoad nos.*

a) Per se nota *quoad se solum* illa dicitur, quae *in se* quidem immediata est (i. e. praedicatum in ea de ratione quidem subiecti est), humanae tamen menti talem se immediate non manifestat ob defectum directae penetrationis terminorum; v. g. anima humana est substantia spiritualis.

b) Per se nota *etiam quoad nos* illa, quae et est in se immediata, et intellectui se talem statim praebet, terminos attente consideranti, v. g. totum est maius sua parte.

17. — *Declaratur divisio.* Circa aliquod *enuntiabile,* seu circa propositionem aliquam obiectivam (de obiectiva enim praesens instituitur quaestio) evenire potest:

a) Ut praedicatum sit quidem de ratione seu de essentia subiecti, proin intellectui potentiori, v. g. divino, directe terminos enuntiabilis perfecteque penetranti, statim ut verum et ut primum praedicatum appareat, humano

(1) Toledo, *In Summam S. Thomae,* I, q. 2, a. 1, p. 62.

autem indirecte solum, eo quod hic, essentias ipsas directe tangendi incapax, nonnisi ex operatione ad easdem quasi a longe accedat, v. g. ad spiritualitatem *essentiae* animae (cfr. Psych.); tunc propositio erit per se nota *quoad se*, non vero *quoad nos*.

b) Ut indoles praedicati et subiecti adeo vel nobis aptentur, ut unum in ratione alius statim detegamus; tunc propositio erit per se nota *etiam quoad nos;* v. g. totum est maius sua parte; quod est nequit simul non esse, etc. Huc faciunt principia ex terminis « ente », « uno », ... *universalissimis* conflata, vel etiam ex aliis minus universalibus ordinis tamen *corporei;* v. g. quod est, est; quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; quod incipit esse, causam habet; corpora partibus constant...

Hinc: 1º Propositio *per se nota: a*) Excludit medium demonstrationis *a priori*. Cum enim immediata sit, aliam ontologice priorem se excludit unde derivetur, seu excludit medium *in essendo;* medium autem in demonstratione a priori est prius praecise ontologice seu in essendo. *b*) Medium *a posteriori* pro *omni* intellectu excludere non tenetur. Porro tale medium, etsi in *cognoscendo* prius, in *essendo* tamen posterius est conclusione ideoque *immediationem* propositionis neutiquam elidit. Quin immo propositio per se nota *quoad se solum*, suadere potius videtur ut medium quaeramus aposterioristicum vel ab absurdo, unde *nobis quoque* manifestetur. *c*) Pro *divino* utique intellectu, rerum essentias directe capiente, *omne* excludit medium; ideoque *omnis* propositio per se nota (seu omnis propositio *immediata*) est per se nota *quoad Deum*, licet non sit per se nota *quoad nos*. 2º Omnis propositio per se nota *quoad nos* est propositio *analytica immediata*, quippe quae ex sola analysi *sine* medio nobis innotescit; sed non quaelibet analytica immediata est per se nota *quoad nos*, licet sit per se nota *quoad se;* patet. Similiter: quaelibet propositio per se nota est *analytica*, sed non quaelibet analytica est per se nota etiam *quoad se;* dantur enim propositiones analyticae *mediatae*, v. g. homo est capax meriti... Has vel ipse Deus dependenter ab aliis percipit *ontologice* prioribus; v. g. « homo est liber » dependenter ab hac « homo est rationalis ». 3º Tandem expressio « per se nota » alludit ad propositionem *obiectivam* sed non praecise ad *formalem;* seu: per se nota in his sonat *enuntiabile* in se *cognoscibile*, quin addat « *actu* cognitum », immo de enuntiabili iudicium actuale ne efformamus quidem dubio durante, sed tunc solum, cum veritas illius manifestata est.

18. — *Adversarii.* 1º *Recenter* Kuhn, doctor Tubingensis; adversatur autem potius *logicaliter* sicut Nominales; videlicet Kuhn, in critica doctrinae Aquinatis de cognoscibilitate exsistentiae Dei, ipsam propositionis in notam quoad se et quoad nos *partitionem* illogicam censet (more Scoti), obscuram, falsam.

2º *Scotus, Nominales, Struggl* aliique sic: Propositio *per se nota* talis sit oportet sive quoad se sive quoad nos; si quoad nos ignota est, simpliciter *non* per se nota est. *Observa de his.* Etiam tunc temporis inter eos, qui in vero cardine quaestionem collocabant, i. e. qui « per se nota » applicabant *enuntiabili*, non praecise iudicio *actuali*, nostra sententia praevalentior erat.

3º Quodammodo praesertim 2ae parti obstant quotquot exsistentiam Dei nobis elucescere autumant ex analysi subiecti « Deus » aprioristice a simultaneo (S. Anselmus, Cartes., Leibn.). Sed de his infra.

19. — *Prob.* 1a *pars.* Propositio per se nota *quoad se* ea dicitur, cuius praedicatum *est* de *ratione* subiecti. *Atqui* praedicatum « esse realiter » est de

ratione subiecti « Deus ». *Ergo* propositio « Deus exsistit » est per se nota *quoad se* seu *secundum se.*

Min. « Deus », secundum id, quod sub vulgari etiam eius conceptu omnes intellegimus, est primum ens et a se, independens ac imparticipatum, a quo cetera pendent atque participant. Ergo pro intellectu directe hoc ens penetrante (quod nos aliunde scimus *dari realiter*) essentia eius in seipsa clarissime dicet esse realiter. — Si enim est, nec ab alio, igitur *a seipso* est seu ex intrinseca ipsius *essentiae* necessitate. Atqui aliquid ab essentia subiecti dici idem est ac illud de ratione subiecti esse. Ergo praedicatum « realiter esse » de ratione subiecti « Deus » est. Ergo pro intellectu, directe et in seipsa divinam essentiam penetrante, evidens statim erit « Deum exsistere » (Cfr. S. Th. 1 p., q. 2, a. 1).

NB. *Ratio, quidditas, definitio, essentia,* hic synonyma sunt.

20. — *Nota* 1º. Diutius his ne immoremur; licet enim conceptus ipsi pro tota theologia vere capitales sint, infra pro merito erunt evolvendi nec ab adversariis hic reprobantur. *Nota* 2º. Perpende iam discrimen Deum inter et creaturam: *a*) Creaturae advenit exsistere; advenit ei aliquid in eius essentia non contentum, ad quod eius essentia indifferenter se habet; seu creatura vi *essentiae suae* non est ens *participium;* hinc si quidditatem Petri cogitem *non exsistentem,* adhuc *veram* essentiam cogito, qualis ab aeterno dabatur in ordine potentiarum obiectivarum; non cogito chimaeram. *b*) Exsistere Deo non advenit; exsistere enim in essentia Dei dicitur; seu Deus vi suae essentiae est ens *participium.* Hinc si quidditatem Dei cogitem *non exsistentem,* cogito *chimaeram,* nec veram essentiam; cogito enim exsistens simul non exsistens; cogito contradictionem.

21. — *Prob.* 1º *pars* 2ª. Ut aliqua propositio etiam *nobis* sit per se nota, necesse est essentiam subiecti directe atque adeo sese nobis manifestare, ut praedicatum in ea contineri ac dici statim perspiciamus. *Atqui* subiectum « Deus » respectu praedicati « exsistere » non adeo sese nobis manifestat. *Ergo* propositio « Deus exsistit » non est per se nota *quoad nos.*

Min. Deberemus Deum *quidditative* percipere, quod nonnisi *intuendo* Deum obtinetur (1). Atqui Deum nec intuemur, nec in propria eius forma percipimus, sed in analoga creaturarum. Ergo praedicatum « esse » contineri in subiecto « Deus » perspicere nequimus. *Ad mai.* Agitur enim de subiecto *novo,* a reliquis valde distante, sub notis valde complexis cogitato; aliunde praedicatum « esse realiter » pro tali obiecto tam difficile est, ut solum ex visione quidditatis in se convinci possimus illud, quod cogitamus, non chimaeram sed ens *reale* esse, saltem essentiam *veram;* secus enim suspicaberis te sub nomine Dei ens quoddam versare *fictitium,* quod nec sit, nec in ordine rerum esse possit.

22. — *Observa.* Argumentum non in eo praecise fundatur, quod sine *quidditativa* subiecti perceptione in *nullo* subiecto *ullum* immediate perspiciamus praedicatum; de facilioribus enim praedicatis entis ordinarii aliter est; fun-

---

(1) Licet enim conceptus *quidditativus* cum *intuitivo* in genere non confundatur (prior nempe per *abstractionem* acquiritur, etiam obiecto non praesente, ut notio entis; posterior vero ad praesentiam ligatur obiecti), immo licet de Deo ipso quidditativus sine intuitione possibilis contendatur a Scoto; at de obiecto *Deo* contrarium ostendit Suarez; eo quod infinita notarum complicatio sine intuitione essentiae clausa menti maneret. Igitur in casu « quidditative » idem est ac « intuitive ».

datur proprie in speciali difficultate et novitate sive subiecti sive praedicati propositionis in quaestione. Videlicet: Ad hoc ut nota quaedam de determinato ente affirmari queat necessaria non est aut intuitiva aut quidditativa entis illius perceptio, sed sufficere poterit *analogica;* spiritum nonnisi *analogice* ex corporeis novimus, clare tamen videmus partibus carere. Igitur probatio suam ex generali hoc quasi principio vim male desumeret, sed bene ex *talitate* subiecti et notae praedicati. Nempe subiectum in quaestione valde *novum* est, mirum, *figmentum* forsan; consequenter et praedicatum « exsistere » (immo vel « esse possibile ») omnium difficillimum se praebet perfectamque reclamans subiecti cognitionem. Quod etiam cogitanti de aliis accidit, v. g. percipienti corpus *infinitum* analogice ex finitis, aut creaturam omnium possibilium *perfectissimam*, atque similia. Circa obiectum quidem « Deum » difficultas *minor* videri alicui poterit eo, quod *a posteriori* iam atque ex auctoritate Deum esse noverimus; at de pura nunc solaque aprioritate agitur, independenter a praevie obtenta demonstratione e creaturis, ab omni disciplina.

23. — *Prob.* 2º *pars* 2ª. Propositio « Deus exsistit » non habet characteres, quibus ornari debet propositio per se nota *quoad nos*. Ergo non est talis.

Antec. Characteres sunt: ut cognitis terminis attenteque consideratis, *statim* sine alio discursu, *indubitanter*, et ab *omni* intellectu satis versato veritas percipiatur, i. e. reperiatur in subiecto cogitato adesse praedicatum. Atqui propositio in quaestione haec non obtinet: 1) non ab *atheis*, qui immo *negant* Dei exsistentiam, *negant* Deum extramentalem; 2) non a *scepticis*, qui de hoc *dubitant;* 3) non ab *aliis* bene multis, nec atheis nec scepticis, certe sapientibus, qui initio *titubant*, nec deinde facile persuadentur; 4) non ab ipsis catholicis philosophantibus, qui per *discursus* inquirunt de hac veritate, saltem enim sine discursu veritatem *evidentem* esse plerique negant; 5) iidem illi pauci doctores, Anselmus, Leibniz..., qui ex levi analysi sine vero aposterioristico discursu rem claram esse volunt, potius se subtiliter conari videre quam de facto videre manifestant (de quo infra). Ergo propositio « Deus exsistit » nec *statim*, nec *indubie*, nec ab omni intellectu immediate percipitur (1).

24. — *Scholion I.* Propositio immediata medio caret *ontologice* priori, ex quo inferatur. Bifariam autem id contingit: *a*) Cum praedicatum de essentia subiecti est, seu est *essentia* ipsa subiecti, v. g. « homo est animal ». *b*) Etiam quoties prima *passio* praedicatur de suo subiecto *proprio* et *immediato;* v. g. « rationale est risibile ». Porro utraeque propositiones medio aprioristico carent; ut enim inter animal et hominem medium deest ontologicum, e quo animal pro homine educatur, ita inter risibile et rationale medium deest, e quo risibile ostendatur de rationali. Etenim immediatum risibilis subiectum (et ratio ontologica) est praecise « rationale », non proprie « homo ». Unde propositio quidem « homo est risibilis » mediata est, cum inter risibile et hominem detur medium ontologicum « rationale », sed e contraria ratione « rationale est risibile » est propositio immediata. Hinc et « anima humana est immortalis » mediata, sed « spirituale est immortale » immediata. Ad rem Angelicus: « Sunt quaedam principia *indemonstrabilia* affirmativa, in quibus unum de alio praedicatur, significando quod *hoc essentialiter est illud*, sicut cum genus praedicatur de proxima specie, vel *hoc sit in illo*, sicut cum passio praedicatur de proprio et immediato subiecto » (2).

---

(1) E manuscr. « De Deo Uno », auctore M. Martínez, S. I. Oniae, 1924.
(2) In 1º Post., Lect. 36 «Deinde cum dicit... ».

Nec omnibus tamen auctoribus aeque probantur singula. Aliqua propositio (volunt plures), *non per se nota secundum se*, dici adhuc potest *per se nota nobis*, si stricte quidem ipsamet *mediata* est, at « tam facilis ut absque ulla ratione credatur » (Toledo) vel ob rationem *virtualem* (Alhazen) non quidem empirice sed analytice ex solo terminorum obtutu. Ita, v. g. propositiones de *prima* passione « homo est risibilis », axiomata plura, etiam ipsum « totum est maius sua parte »; enuntiat enim *relationem*, quae non est essentia subiecti; et de *quantitate* loquitur, passione totius. Similes a priori quidem *demonstrabiles in se* sunt, ideoque in se mediatae, *per se* tamen seu ex terminis notae nobis. Immo Caietanus, Toledo aliique censent etiam Aquinatem in hac mansisse sententia, nec *exclusive* fuisse locutum, cum dixit propositionem per se notam esse eam, in qua praedicatum est de *essentia* subiecti (1). Si talia accipi velint: tunc 1) phrasis S. Thomae sonet non exclusive sed *antonomastice;* 2) vel etiam essentia *late* sumatur pro « essentia vel quasi essentia » in suis nempe effectibus sese *statim nostro* intellectui manifestandi vi terminorum; 3) tunc aliqua attentio fit ad iudicium *subiectivum* et non ad obiectivum *solum;* 4) tandem etiam sic manent convertibilia « per se nota *secundum se* » et « immediata » seu « in qua praedicatum est de ratione seu *essentia* subiecti »; non sic « immediata » seu « in qua praedicatum est de *essentia* subiecti » et « per se nota *nobis* »; haec enim, qua etiam *ad mediatas* in se (de prima passione) se extendens, *latius* patebit.

25. — *Scholion II.* Ut propositio sit *per se nota quoad nos* non requiritur ut *ab omnibus* statim percipiatur; sufficit ut homines *exculti*, terminis iuxta ordinariam scientiam penetratis nec praecise quidditative, praedicatum in ratione subiecti deprehendant. Quia vero quidam exstant termini simplicissimi, nemini non noti, v. g. totum, pars, res..., ex quibus prima efflorescunt principia, alii autem *complicatiores*, qui iudicia conflant subtiliora, veteribus placebat distinguere inter propositiones per se notas nobis *omnibus*, v. g. « totum est maius sua parte »; et per se notas nobis *non omnibus, sed sapientibus;* v. g. « spiritus est independens a materia » (2). Aegidius tenuit propositionem « Deus est » per se notam esse *sapientibus*, eo quod hi nominis « Deus » significationem bene callerent.

26. — *Scholion III.* Dubitatur utrum quaedam propositiones experientiae immediatae, v. g. nix est alba, Petrus exsistit, ego deambulo..., etsi praedicatum de *ratione* subiecti in eis non sit, adhuc dici iure queant *immediatae, per se notae.* Contra plures, id probantes (Caiet., Toledo, Val...), respondeo cum plerisque titulum in rigore denegandum eis esse, eo quod: *a*) definitionem *per se* notae in seipsis non verificent; etenim « *per se* » afficit terminos in *ratione formali* notae, independenter ab *empirica* experientia, seu « per se » sonat idem ac « vi analysis terminorum ». *b*) « Per se » afficit enuntiabile seu propositionem *obiectivam*, non subiectivam, i. e. non cognitionem ipsam. Iam vero in enuntiabili « Petrus loquitur » subiectum non dicit loquelam nec ut essentiam, nec ut partem essentiae, nec ut passionem primam. Hinc similes *empirice* evidentes propositiones, non tam *per se* notae, quam *facile* et statim notae, sensui manifestae, *notae sine medio*, aut similiter appellandae essent. « Hoc autem quod est *esse* in nullius creaturae *ratione* perfecte includitur; cuiuslibet enim creaturae esse est aliud ab eius quidditate. Unde non potest dici de aliqua creatura quod *eam esse* sit *per se* notum et secundum se » (De Verit., q. 10, a. 12, c).

27. — *Scholion IV.* Praeter affirmativas etiam *negativae* propositiones esse possunt *per se notae*, quoties nempe in eis subiectum et praedicatum sunt primo

---

(1) « Non dixit (S. Th.) *omnem* per se notam esse talem, ut praedicatum sit de *essentia* subiecti. Nam clarum est, quod esse maius, quum sit relatio, non est de essentia totius vel magnitudinis. Unde S. Thomas tantum loquitur iuxta suum propositum, quod propositio immediata erit per se nota nobis, si ita fuerint extrema nota, ut ex ipsorum sola cognitione assentiamus ipsi. Et hoc nota contra multos, qui facile determinant, quod non advertunt ». *Toledo*, 1°, q. 2, a. 1, p. 62, 2ª col.

(2) Quod explicat S. Thomas, citans Boëtium (IV Metaph. Lect. 5, *De Verit.*, q. 10, a. 12, c).

diversa; « substantia non est accidens », « rationalitas non est irrationalitas », etc. seu se totis diversificantia nec notam superiorem, in qua *univoce* conveniant, habentia. Tunc sane *sine medio* percipit intellectus praedicatum e ratione subiecti esse amovendum, nec medium adest, seu nota superior utrique communis quamque uno modo subiectum et alio praedicatum modificet (per additiones eidem extrinsecas), unde *concludere* liceat: ergo praedicatum est a subiecto diversum. Aliunde videmus illas notas invicem opponi; igitur *in seipsis* tales videmus; seu. Ergo propositiones hae sunt *per se notae*. — Aliter dicendum de illis negativis, quarum termini non sunt primo diversi; v. g. « Homo non est brutum... »; in his enim *medium* exsistit demonstrationis, « animal » univocum; unde sic: Homo est *animal* rationale, brutum est *animal* irrationale; ergo homo non est brutum.

28. — *Obi. I.* Propositiones *per se notae* sunt principia a priscis appellata *axiomata*, dignitates..., et in discente necessaria, ut hic aliquid discere possit. Atqui propositio « Deus exsistit » non talis est. Ergo non est *per se nota*. — *NB.* Scotus et Nominales cum Biel solum *axiomata* voluerunt esse *per se nota*, cum in his solum contingat absentia medii sive in essendo sive *in cognoscendo* pro omnibus; singula enim exigebant illi ad propositionem *per se notam*.

R. D. M. Illae *etiam* immo antonomastice illae, *C.* Illae *solum*, *N. M.* — *C. m.* — *Dist. pariter conseq.* Non est per se nota ut axioma, *C.* ne ut veritas quidem, *N.* consequentiam.

Explico. a) Veritates per se notae principaliter dicuntur principia, quae quasi initium cuiusvis progressus, omnibus statim elucent; v. g. Idem nequit simul esse et non esse, totum est maius sua parte, si ex aequalibus aequalia demas, remanentia sunt aequalia, affirmatio et negatio eiusdem non sunt simul verae, etc. « Dicitur *dignitas* vel *maxima* propositio, quam necesse est habere in mente et ei assentire quemlibet, qui *doceri* debet. Utimur nomine... *dignitatis* vel maximae propositionis propter huiusmodi principiorum certitudinem ad manifestandum alia » (S. Th. 1° Post., l. 5 « Deinde cum dicit... »).

b) At ab his iam Aristoteles alias distinxerat propositiones *immediatas*, quae a priori quidem indemonstrabiles, sed nec ad discendum necessariae. Harum veritas non statim *omnibus* elucet, sed his solum, qui in scientia terminos callent; talis est nostra propositio.

29. — *Obi. II.* Propositio, quae habet medium demonstrationis, non est per se nota. Atqui sic propositio « Deus est ». Ergo non est per se nota.

R. D. M.... quae habet medium *a priori*, *C.;* medium *a posteriori*, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.* Explicatio habetur in praenotandis.

30. — *Obi. III.* Saltem affirmare nobis non licet dictam propositionem esse per se notam. Id enim ideo affirmare possemus, quia *intelleximus* illam esse per se notam. Atqui tunc iam propositio erit per se nota *etiam quoad nos* contra alteram partem theseos. Ergo talis affirmatio non licet.

R. N. assertum. Ad eius prob. *D. M....* quia id intelleximus sive *a priori* per meram analysim, sive *a posteriori* per discursum, *C.* Quia id intelleximus praecise *a priori*, *N. M.* — *Ctr. m.* Si id intelleximus *a priori* (et immediate), tunc propositio erit per se nota etiam quoad nos, *C.* Si id discursu solum et *a posteriori* percepimus, *N. m.* — Sub datis distinctionibus nego consequens et consequentiam.

Explico. Aliud est me *cognovisse* aliquid esse immediate cognoscibile *secundum se*, aliud me hoc *cognovisse immediate* ac sine discursu. Certe quin theseos veritatem noverim, thesim statuere ausus non essem; inde tamen non sequitur veritatem mihi eadem innotuisse via, per quam absolute cognoscibilem esse affirmo. De facto affirmo esse *cognoscibilem a priori*, cum tamen rem ita esse nonnisi *a posteriori* noverim, sic: ex creaturis concludo *dari* ens, de cuius *essentia* est esse; dari ens a se. Si datur, ergo non est chimaericum. Hinc statuo: pro intellectu essentiam Dei directe penetrante evidens immediate est Deum exsistere. Igitur solum *a posteriori*

innotuit *mihi* veritas, quam nunc scio *pro alio* intellectu cognoscibilem esse a priori; in thesi autem enuntio hanc solam cognoscibilitatem *pro alio:* Deum esse est per se notum *quoad se.*

31. — *Contra* 2am *partem: Obi. I.* Illa propositio est per se nota etiam *quoad nos,* cuius certa cognitio est « omnibus naturaliter inserta ». Atqui talis est iuxta Patres propositio « Deus exsistit » (1). Ergo est per se nota *etiam quoad nos.*

R. D. M. Si est stricte naturaliter inserta, *C.* vel *Tr. M.* Si solum *late* est naturaliter inserta, *N.* vel *Sd.* tunc est propositio *late* per se nobis nota, *C.* vel *Tr.*, Stricte, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. conseq.*

Explico. a) Intentio Patrum non tam erat opponere insitum acquisito seu discursui ex creaturis, quam eiusdem discursus spontaneam ponderare evolutionem; quasi dixissent: res obvia est, nec exquisitae metaphysices fructus; mens vix primo aperta suis primis motibus Deum ex creaturis attinget. *b*) Unde si duriora quaedam oratorio aut mystico cedantur aestui, qui technico rigori non semper stat, scientifica Patrum mens critice erit fixanda iuxta discursus ex creaturis; has enim passim assignant ut viam ad Deum, sicut universim cognitio corporum est via necessaria ad cognoscendos spiritus (2). *c*) Primum autem membrum ideo *transmissum* est, quia licet propositio « Petrus est sanctus » divinitus menti nunc haereret, proprie *per se nota* non esset; *sine discursu* quidem (hoc sensu immediata) nec ex *analysi* tamen subiecti haberetur. Hinc *d*) obiectio non tam individuali theseos rigori, quam generali eiusdem *finalitati* opponeretur, quatenus *necessitatem discursus* evincere conatur.

32. — *Obi II* (Inst.). Illud primo immediateque scitur, in quo cetera noscuntur. Atqui omnia in Deo novimus. Ergo Deum immediate novimus.

R. D. M. In quo, ut in medio *logico* cognito, cetera noscuntur, *C.* In quo, ut in *causa* dante virtutem cognitivam, cetera noscuntur, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

Inst. Lux corporea pro visu *causa* est corpora visibilia faciens. Atqui tamen lux ipsa prius *visibilis* est et videtur. Ergo Deus, causa virtutem lumenque dans sive menti sive rebus, prius in se cognoscibilis et cognitus erit.

R. Nego parit. Lux corporea *proprium est obiectum* visus eique proportionatum; divina vero lux (virtus), nec *proprium* nec humanae aptatum menti, « ideo in intellegibilia *pura* devenire non potest nisi arguendo » (3).

33. — *Obi. III.* Deus est ipsa veritas. Atqui veritatem exsistere omnibus per se notum est. Ergo Deum exsistere per se notum nobis est.

R. D. M. Deus est *ipsa* veritas, i. e. *prima* veritas, ceterarum radix veritatum, subsistens, imparticipata, *C.* Deus est quaelibet veritas, aut veritas *in communi*, *N. M.* — *Ctr. m.* Est omnibus per se notum *aliquam* dari veritatem, aut veritatem *in communi*, *C.* Primam et imparticipatam dari, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Phrasis tenet de veritate prima *ontologica*, consequenter et de *logica.* Veritas, attributum entis, fundatur supra ens; ens autem reale, sive actuale sive possibile, fundatur in essentia Dei, ut in sua radice *ontologica;* igitur omnis veritas *de facto* in prima fundatur veritate, quae Deus est. Nos autem sive entia determi-

---

(1) « *Insitam naturae* hominum sententiam » (ἔμφυτον τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξαν), ait S. Iustinus. — « Ex insita lege naturae » (Greg. Nazianz.). Notitia Dei « *natura* omnibus inest » (Hieron.). — « Creatoris notitiam omnes capiunt *naturaliter* et sine studio », « ἐμφύτως, ἀδιδάκτως » (Clem. Alex.)... Plura apud Franzelin, *De Deo Uno*, thes. 7, p. 105.

(2) Data solutio pro Patribus universim valeat; vix eam critici acceptabunt pro Iustino aliisque primis Patribus, qui intra Filonianas conceptiones et idioma cuidam *intuitionismo* non alieni essent ad certitudinem de exsistentia Dei, quasi λόγος universalis hanc insculperet in animo ideam per modum legis naturalis. — Sed neque de his categorice decernere fas est, praesertim sensu *exclusivo;* immo Clemens Alex. ipse viam quoque tenuit *ascensus* externi a mundo visibili ad Deum, i. e. *intuitionismo* qualicumque psychico processum addidit *abstractionum.* — Sic et Origenes: « Quasi radii quidam sunt naturae Dei opera divinae providentiae » (De Princ. 1°, 6).

(3) Cfr. S. Th. 1° Dist. 3, q. 1, a. 2.

nata sive ens ut sic bene novimus sine eo quod eorumdem noverimus fundamentum, ens *primum;* ut etiam veritatem sive in communi, sive determinatas (primo et clarius *logicas*, deinde ontologicas), quin omnium statim noverimus fontem veritatem *primam*, etsi hanc inferre ceteroquin facili contingat discursu. Non est nobis « notum [immediate nempe] veritatem omnium a veritate prima esse » (1).

Inst. Veritas prima omnem excedit veritatem. Atqui quo plus alicubi veritatis plus ibi *cognoscibilitatis*. — Ergo prima veritas debet *primo* cognosci.

R. Ita quidem *absolute* at non *respective*, i. e. non relate ad *humanum* intellectum. « Nihil prohibet veritatem creatam esse *nobis* magis notam, quam increatam: ea enim, quae sunt *minus nota in se*, nota sunt *magis quoad nos* secundum Philosophum ». Cuius ratio est quod veritas creata nobis proportionatur, non sic increata.

34. — *Obi. IV* (Inst.). Primam veritatem primumque ens exsistere liquet; evidens enim ex se est cuiusvis rationem veritatis entisve exsistere. Atqui ratio sufficiens est veritas prima. Ergo per se evidens est *primam* veritatem (Deum) exsistere.

R. N. m. s. — ad eius prob. *C. M.* — *D. m. Est re* vera Deus, *C. Cognoscitur* a nobis esse debere Deum, *Sd. immediate* ante discursum, *N. Post discursum* a posteriori, *C. m.* — *Dist. pariter cons.* i. e. statim evidens est dari aliquid, quod *reipsa* Deus est, *C.* quod *cognoscitur* esse Deum, *N.* vel *Sd.*, post discursum et a posteriori, *C.* ante discursum et a priori, *N. conseq.*

Utique illud in communi notum, *reipsa* Deus est, cum Deo convertitur, ut risibile cum homine. Sed convertibilitas statim non percipitur, immo passim negatur. Videns risum, evidenter scio rationem eius sufficientem dari; haec *reipsa* est rationale (esse admirativum, ut dici solet), ignorare tamen possum esse admirativum dari, aliquod rationale exsistere. Cum scientia igitur exsistentiae *rationis* sufficientis nescientiam unio convertibilitatis eiusdem cum *esse admirativo*. Idipsum respectu Dei.

35. — *Obi. V.* Per se patet illud exsistere, quod naturaliter omnes desiderant. Atqui naturaliter omnes desiderant summum bonum, quod est Deus. Ergo Deum exsistere evidens in se est.

R. D. M. Patet illud eo exsistere modo, quo desideratur, *C.* vel *Tr.* — Alio modo, quo non desideratur, *N. M.* — *Ctr. m.* Desiderant summum bonum *incommuni*, « sub quadam confusione » indeterminate, *C.* Desiderant summum bonum *determinate* tale, i. e. in ente determinato, praeciseque notis Dei insignito, *N. m.* — *Dist. pariter cons.* Ergo evidens in se est aliquid exsistere, quod cum Deo *reapse* identificetur, *Tr.* Aliquid, cuius identificatio cum Deo statim innotescat, *N. cons.*

Cavenda fallacia *accidentis*. Cognoscere confuse aliquid, quod reipsa Deus sit, non est cognoscere *simpliciter* Deum. « Sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens » (S. Th.). Videlicet:

1) Agitur de cognoscendo Deo *distincte* i. e. ut a creaturis contradistincto per notas exclusivas entis a se, necessarii... cognitione vulgari sed distincta rursus. Immo agitur de habendo *iudicio* certo exsistentiae Dei; ad appetitum vero forsan sufficit *apprehensio* boni.

2) Appetitus esse quidem potest inchoatio et medium demonstrationis τοῦ *esse* Dei (Cfr. argumenta moralia), sed nihil aliud.

3) Unde ex tali appetitu ad summum sequitur: aliquid reipsa dari, animum satiandi capax; de cuius natura Ethicus difficile inquirens concludet Deum esse. Ad summum, inquam; etenim debere esse quid physicum, quod appetitui respondeat, nec bonum mere apprehensum sufficere, per se evidens non est.

36. — *Obi. VI.* Unum ex principiis intellectui per se manifestis est « Deum esse colendum ». Atqui id supponit praecognitum « Deum esse ». Ergo Deum esse nobis per se notum est.

R. D. M. Unum ex *speculativis*, *N. Ex practicis*, *Sd.* Supponentibus aliquid ordinis speculativi praecognitum vel immediate vel mediate, *C.* praecise imme-

(1) *De Verit.* q. 10, a. 12, ad 13

diate, *N. M.* — *Ctr. m.* sive immediate sive mediate, *C.* praecise immediate, *N. m.* — *N. cons.*

Explico: Principia prima in *duplici ordine* contingit esse *prima:* speculativo et practico. Primum in ordine *speculativo* est *absolute* simpliciterque primum, i. e. nullum praesupponens ullo ordine notum. In ordine autem *practico* primum, tale est *respective* tantum et secundum quid; videlicet: in suo quidem ordine nihil at in alio (in speculativo) aliquid supponit praecognitum. Quod insuper praecognitio *immediate* fuerit obtenta non supponit sed ab hoc praescindit, cum id ad efformanda principia practica impertinens sit.

37. — *Observa.* Principia « Deus est colendus », « parentes sunt honorandi » etc. dicuntur ac sunt aeternae veritatis, quin tamen ullam obiectorum, circa quae versantur, exsistentiam, multo minus aeternam, involvant. Hinc respectu ordinis physice practici *proprie condicionalia* sunt: Parentes, si sint, honorandi erunt; Deus, si sit, colendus, etc.; adhuc absolute enuntiantur, cum supponatur (ita enim est) condicionem reperiri verificatam.

38. — *Obi. VII* (Inst.). Ex concessis, supposita Dei exsistentia, propositio « Deus est colendus » etiam *nobis* per se nota est. Atqui *etiam cognita* Dei exsistentia, Deum non novimus *quidditative*. Ergo quod Deum *quidditative* non noverimus, neutiquam probat exsistentiam Dei *nobis per se notam* non esse.

R. 1° *Tr. M.* — *D. m.* Attamen *sufficienter* eumdem novimus ad aliqua ipsimet statim tribuenda *praedicata, C.* Nec sic eum novimus, *N. m.* — *D. par. cons.* Si praedicatum exsistentiae esset ut alia plura, *Tr.* — Si est specialis difficultatis, *N. cons.* — Unde *R.* 2° *Tr. M.* — *N. cons. et suppositum.*

Explico. 1) Similia falso laborabunt supposito; nec enim requirimus notionem subiecti *quidditativam*, ut de *quovis* subiecto *quodvis* praedicatum appareat nobis per se verum. — Id requirebamus in thesi ob *specialem* condicionem *praedicati* et subiecti in quaestione (Cfr. n. **22**).

2) Exsistentia Dei cognita, intellectus comparans Deum cum cultu, facile reperiet « dignum cultu » esse de ratione Dei. Quod autem ad hoc et similia praedicata non requiratur, requiratur autem ad praedicatum exsistentiae, cognitio *Dei quidditativa*, facile explicatur. Ad hoc ut praedicata *disiunctiva, negativa*, positiva *vaga*... subiecto applicem, sufficit cognitio subiecti imperfecta, analogica, obscura: non sic, si praedicata sint determinata, de specie atoma; v. gr. de planta marina, mihi ignota, facile affirmo: haec est aut vivens aut non vivens, non est homo, non est spiritus, est corpus... Maiori egeo penetratione, ut dicam: est planta huius speciei, est *animal* infimum, etc. — De obiecto autem Deo discrimina a fortiori valere constat ex *speciali* illa supra relata difficultate praedicati « esse reale » respectu Dei pro intellectu aprioristice in his se habente (n. **22**).

39. — *Obi. VIII* (Inst.). Propositio « Deus aut est aut non est » per se nota est etiam quoad nos. Atqui tamen Deum *quidditative* non novimus. Ergo ut « Deum esse » etiam nobis per se notum sit, non requirenda notitia Dei *quidditativa.*

R. C. M. — *C. m.* — *N. cons. et suppos.* Ut in praecedenti. Arguitur ex praedicato facillimo; *cuilibet* enim ex necessitate competit.

40. — *Obi. IX* (Inst.). Haec propositio « incorporea non sunt in loco circumscriptive » est per se nota *nobis* (sapientibus, ait S. Thomas). Atqui ne sapientes quidem cognoscunt incorporea, spiritualia, *quidditative*. Ergo propositio « Deus exsistit » poterit esse per se nota nobis, etsi Deum non noverimus *quidditative*. *R. Tr. M.* — *C. m.* — *N. cons.* (n. **22**).

Quaeres: Utrum propositio « incorporea non sunt in loco circumscriptive » sit immediata. *R. a*) Non est *immediata*, quia demonstrabilis est *a priori*, proin nec est *per se* nota secundum se; *b*) *In rigore* non est per se nota *quoad nos* ex eadem ratione quod agatur de proprietate essentiae incorporei; *c*) *Latius* dici potest et a S. Thoma dicta est per se nota *sapientibus*, quasi pro sapiente (secus ac pro rudi) *facile* et sine discursu per levem analysim cognoscibilis, hoc sensu *per se* (i. e. non per discursum) nota *nobis.*

Alia haec propositio « incorporea differunt essentialiter a corporeis » est utique *immediata*, proin *per se nota* secundum se; immo etiam in rigore per se nota est *sapientibus;* quia non solum facile et sine vero discursu id sapienti elucet, sed etiam stando essentiae ipsi, quin proprietas vel passio derivata considerari debeat. Licet enim agatur de *relatione* (quae non est essentia), at est relatio desumpta supra *essentiam*, non supra novum attributum aut proprietatem derivatam.

Late pariter sumendum illud S. Thomae: « Primum quod occurrit homini discretionem habenti est quod de Deo cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem »; i. e. prius sane efformaverat iudicia de sensibilibus, quae eidem proportionantur; sed statim facile de Deo cogitabit discursive ut de ordinatore et fine universorum.

41. — *Obi. X.* « Ens *pessimum* non exsistere » est nobis per se notum. Ergo etiam « ens *optimum* (Deum) exsistere » erit nobis per se notum (1).

Prob. conseq. « Ens *optimum* » *summe* distare debet a *pessimo.* Atqui si non exsisteret, non summe ab illo distaret. Ergo ens optimum exsistere est nobis per se notum.

Resp. Neg. cons. et parit. — Ad prob. *Dist. Mai.* Sive ut *res* a chimaera sive ut chimaera a chimaera, *C.* Praecise ut res a chimaera, *N. M.* vel *Sd.* Si constet illud esse rem, *C.* Si de hoc non constet, *N. M.* — *Ctr. min.* Ut *res* a chimaera, *C.* Ut chimaera a chimaera, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1) Ens *pessimum*, seu purum malum, quia nihil reale, sed cuiusvis perfectionis negatio est, non exsistit; nec actuale est nec possibile, sed merum *cogitatum*, chimaera; quod enim dicit « ens » destruitur ab eo, quod dicit « pessimum ».

2) In ente *optimo*, aprioristice cogitato, pugnam quidem non perspicimus, sed nec perspicimus *certam* eius realitatem sive actualem sive etiam possibilem; forsan et ipsum quaedam chimaera est; id a priori nec affirmare nec negare audere possim (Cfr. artic. II, § III).

3) Obiciens teneretur id admittere: Creatura omnium possibilium imperfectissima non exsistit; ergo perfectissima exsistit; quae tamen conclusio vana est, eo quod oppositiones reperiri queunt sive inter *realia* sive inter *fictiones;* ideoque unius remotio alterius *realitatem* non probat.

Articulus II.

DE VIIS MEDIATIS INVALIDIS

42. — Viae immediatae inefficaces apparent: Deum esse immediate nobis nec ex *intuitione* constat aut sensu fideistico aut impulsu caeco, nec ex immediata quidditatis *analysi.* Ergo demonstrari *eget.* Potestne? Quonam demonstrationis genere? Primo de demonstrationibus agemus in proposito *nullis* (Art. II), scilicet: a *priori* (§ I) et *a simultaneo* (§ II); in huius naturam inquirentes nexum quoque perpendemus possibilitatis cum esse Dei (§ III).

§ I. — *De demonstratione a priori.*

Propositio II. Deum esse ostendi nequit demonstratione simpliciter dicta a priori.

43. — *Praenotanda. Demonstratio* est argumentatio, in qua e praemissis certis et evidentibus eruitur conclusio pariter certa et evidens, cum

(1) Wirzeburg, *De Deo*, n. 10. — Urráb., 7, p. 38. — Schaaf, p. 71, 53...

eis evidenter connexa. Eius forma princeps *syllogismus* est; unde et demonstratio *syllogismus evidens* dicitur, in quo scilicet ambae praemissae, conclusio, nexus huius cum illis evidentia effulgeant.

Praemissae semper logice priores conclusione. In omni argumentatione antecedens (praemissae) *causa* logica conclusionis est; cum autem causa *prior* effectu sit in eo ordine, in quo causa et effectus dicuntur tales, in omni demonstratione praemissae logice quidem priores conclusione erunt, seu priores in cognoscendo quam conclusio; nec enim aliter in conclusionem influere, conclusionem generare in intellectu possent, cui illam manifestant. *Ontologice* vero praemissae quandoque priores, quandoque posteriores conclusione sunt; atque hinc prima desumitur demonstrationis partitio.

44. — *Divisiones.* 1ª. Demonstratio *a priori* ea est, quae ab aliquo *ontologice* priore derivat aliquid ontologice posterius, seu, quae a causa vel quasi causa reali in praemissis posita ad effectum procedit vel quasi effectum realem in conclusione ponendum. Demonstratio autem *a posteriori*, quae ex aliquo *ontologice* posteriori aliquid concludit ontologice prius, seu ex effectu vel quasi effectu causam vel quasi causam. Si e gubernatore mundi sapiente mundanum infero ordinem, aut ex animae spiritualitate immortalitatem, aut ex figura terrae figuram umbrae, etc. argumentor *a priori; a posteriori* autem si ex ordine mundano divinam concludo sapientiam, ex operatione naturam animae, ex figura umbrae figuram corporis.

45. — *Observa.* Priora exempla perpendenti: *a*) liquet *medium* (sapientiam Dei), ex quo praedicatum quaesitum obtinetur in conclusione (ordo), in linea *essendi* prius esse praedicato huiusque causam aut rationem; *b*) cum causa ab effectu *realiter* distinguatur, quoties medium respectu praedicati conclusionis se habet ut causa eius *physica*, ab eo realiter distinguetur, ideoque demonstratio erit a *priori physico*, v. g. in exemplis ordinis mundani et umbrae terrae. Si autem respectu eiusdem praedicati medium non *stricta sit causa* sed *ratio* ontologica, tunc sufficit ut ab eodem ratione solum distinguatur, et demonstratio erit *a priori metaphysico;* ut si immortale ex spirituali concludamus, intellectuale ex immateriali, unum Dei attributum ex alio praecedenti (1).

46. — 2ª. Demonstratio *propter quid* (διότι) a philosopho ea dicitur, quae praedicatum de subiecto demonstrat ex causa (vel ratione ontologica) proxima et *adaequata* praedicati; v. g. immortalitatem animae ex eius spiritualitate, esse volitivum ex intellectivo, aeternitatem Dei ex immutabilitate Dei, etc.; nempe: a priori *proximo*. Demonstratio autem *quia* (ὅτι) ea est, quae praedicatum de subiecto demonstrat vel a posteriori vel a priori *remoto;* i. e. vel ex effectu vel ex causa quidem sed *remota* praedicati, v. g. ex operatione spirituali spiritualitatem animae, ex umbra Terrae figuram Terrae; vel etiam esse volitivum animae ex esse eiusdem spirituali; voluntatem in Deo ex aseitate; hominem currere, quia est *animal* (ratio *proxima* est facultas *locomotiva*).

Si hanc cum praecedenti comparemus divisionem: omnis quidem de-

---

(1) « Immaterialitas alicuius rei est *ratio* quod sit cognoscitiva... Unde cum Deus sit in summo *immaterialitatis... sequitur* quod ipse sit in summo cognitionis » (S. Thom. 1 p., q. 14, a. 1, c). Sunt qui « simpliciter seu formaliter *a priori* » dici velint, quando medium est *re* distinctum, secus « virtualiter a priori ». At restrictio nec necessaria nec utilis apparet. Omni modo hic pro nobis « *simpliciter* a priori » opponitur τῷ « quasi a priori seu a simultaneo ».

monstratio propter quid est a priori, sed non omnis demonstratio a priori est propter quid; omnis demonstratio a posteriori est « *quia* », sed non omnis demonstratio « *quia* » est a posteriori.

Demonstrationem autem « propter quid » ideo philosophus praedilexit, quia sola manifestat rem *scientifice*, ostendens non solum rem ita esse, sed etiam cur ita sit; est « syllogismus faciens scire », « demonstratio potissima » (apud Arist.). Demonstratio autem « *quia* » manifestat mere rem *ita esse*, quin ostendat *cur* res ita sit, saltem per *adaequatam* atque formalem rationem ontologicam.

47. — *St. q. Adversarii.* Si datae notiones clare stent, propositio potius *dogmatica* erit, solumque mentem in complexivo quaestionis processu iuvans. Videlicet: *a*) Si demonstrabilitatem τοῦ esse Dei excludere intendat a priori *physico*, seu a *causa* Dei, per se liquet; Deus enim *causatus* non est Deus. *b*) Si insuper demonstrabilitatem excludit τοῦ esse Dei etiam a priori *metaphysico*, i. e. ab aliqua Dei nota ontologice priore ac velut divini esse radice, adhuc manifestum dicit, cum respectu primi entis τό *esse* sit *formaliter* ipsa eius *essentia*, proin τό esse *medio* careat ontologico, ex quo derivari cogitetur; pugnat enim ut ex non actuali velut e radice aliquid actuale fluere concipiamus. Unde et sub hac acceptione propositio vix non dogmatica habebitur; vix non expedita in parte priore propositionis 1ae (n. **19**); adhuc huius terminos ideasve magis aperiens, toti inservit quaestioni.

48. — *Prob.* Demonstratio *a priori* ea est, quae ex causa vel ratione ontologica in praemissis effectum vel rationatum infert in conclusione. *Atqui* relate ad esse Dei nec *causa* nec ratio *ontologica* assignari potest, ex qua ut quid posterius esse Dei inferatur. *Ergo* Deum esse ostendi *a priori* nequit.

Min. In genere: quia agitur de ente *primo* incausato. *Speciatim:* 1) non causa *efficiens extrinseca*, quam *ens a se* expellit. 2) Non causa *efficiens intrinseca*, ens enim a se vi sui exsistit non *efficienter*, sed *formaliter;* prius est esse quam operari, hinc aliquid sibimet *efficienter* esse dare pugnat; 3) nec *interna* realis *emanatio*, cuius terminus sit esse; prius enim est aliquid *esse*, quam ut ex eo aliquid realiter dimanet. Ergo nullibi est assignare quid *reale prius*, unde esse Dei per posterius dimanet.

Sed nec *prius metaphysicum*, nota scilicet prior, vera τοῦ esse divini ratio. Cum enim esse sit *essentia*, respectu autem essentiae *ontologice* prius sensu careat, vera ontologica τοῦ esse ratio vetita manet.

49. — *Si ais:* Sit quidditas possibilis radix τοῦ esse. *R. a*) Quidditas et esse unum in Deo *formaliter* sunt, idem autem radix sui non est. *b*) Prius est aliquid actuale dari, quam ut ex eo aliud actuale fluat; quidditas autem possibilis actuale nihil est. Profecto etiam in casu, quo quidditas ab esse realiter distinguitur (respectu nempe creaturae), esse actuale a quidditate non fluit; secus res omnes etiam (possibiles), quarum quidditates *aeternae* sunt, *ab aeterno vi sui* exsisterent; nec exsistunt tamen nec possunt; solum a causa *actuali* extrinseca in esse trahuntur. Nemo dat quod non habet.

§ II. — *De demonstratione a simultaneo.*

PROPOSITIO III. **Deum esse ostendi nequit demonstratione a simultaneo.**

50. — *St. q.* 1. Inter demonstrationem a priori et a posteriori tertia dari vix posse videtur. Porro si medium demonstrationis a re demonstranda differat, ut debet, abs dubio aut prius re conclusionis aut posterius erit (n. **44**). Hinc Logicus silentio praeterire solet argumentum *a simultaneo;* quod tamen, cum subtiles enarret doctorum conatus τό esse Dei singulari quadam via suadendi, a theologo praetermitti omnino non potest. Eius natura nunc perpenditur.

51. — 2. *Indoles argumenti.* Demonstratio *a simultaneo a*) *etymologice* ea est, quae esse Dei concludit ex aliquo (ex medio), quod nec est prius nec posterius sed simultaneum ontologice cum esse ipso Dei; *b*) *realiter* ea est, quae ex conceptu Dei *obiectivo* in praemissis sub *determinata* aliqua nota perpenso, quae *esse reale* Dei involvat, infert in conclusione Deum *revera exsistere;* v. g. *Summum cogitabile* debet realiter exsistere; atqui Deus est *summum cogitabile;* ergo Deus realiter exsistit.

Videlicet: intellectus Deum sub nota perpendens (vel praedicato) ab omnibus ei concessa, v. g. « summi », clare videt Deum reale sui esse tam essentialiter dicere, ut hoc non concesso, iam nec *determinata* « summi » nota Deo competat. Quo in praemissis comperto, statim concludit: Ergo Deus exsistit in re.

Dicitur *a simultaneo*, i. e. in quo medium et praemissae respectu conclusionis nec priora nec posteriora, sed ontologice *simultanea* sunt. Ex una enim parte *medium*, summum cogitabile, supponitur quid *reale*, seu Deus sub nota *summi cogitabilis* assumitur ut quid reale; si enim ab omni *esse reali* saltem possibili praescindere praesumat, Maior *falsa* statim deprehendetur; ex alia vero parte obiectum quaestionis, proin conclusionis, non aliud nisi *Deus realis* est. Igitur *idem* Deus est utrobique; hoc solo discrimine, quod in medio et praemissis est *Deus realis* sub determinata nota expressus; in conclusione autem Deus realis, vage ac indistincte sub voce « Deus » significatus.

Ne autem argumenti aut indolem aut tendentiam ad placitum denaturare videamur, maiori quadam utentes analysi duplicem distinguamus sensum, et determinatam acceptionem, cuius capax est.

De primo sensu. Prima terminorum acceptio nuper declarabatur. Iam si in praemissis summum cogitabile (Deus) sumitur *ut quid reale* reipsa exsistens (aut saltem possibile), argumenti *asimultaneitas* clara evadit ut etiam *petitio* principii; in antecedente enim assumit quod est in quaestione, *dari in re* summum cogitabile (aut saltem possibile esse), de quo ceterum recte ait *cogitandum esse ut* exsistens in re; at quaeritur praecise utrum hoc cogitabile *cogitatum ut* realiter exsistens, de facto realiter *exsistat* (aut saltem exsistere possit). Benigne S. Thomas: « Ratio sua (S. Anselmi) procedit ex hac *suppositione*, quod supponatur aliquid *esse* (in re), quo maius cogitari non potest » (1). Sub hac igitur terminorum acceptione vis argumenti de-

(1) 1ª Dist. 3, q. 1, a. 2. — Addimus « aut saltem possibile »; nam ex dicendis § III, si a priori constaret de *possibilitate* huius essentiae, seu de hoc quod sit *vera essentia*, tunc certo et a priori nobis constaret Deum exsistere. Unde et radicale vitium in his consistere opinamur in assumenda *saltem possibilitate* divinae essentiae *a priori*.

monstrativa penitus nimisque clare evanescit, fructu adhuc manente alterius argumenti *declarativo*, e *diverso* capite prius efformati. Qui sane fructus exsistit; sigillando enim Deum *determinatione* summi cogitabilis, ipsa Dei exsistentis aliunde accepta notitia novo induitur fulgore, qui in conceptu Dei indeterminate sub alio argumento percepti non elucebat. Sed cum id solum dare parum videatur, patroni huius argumentationis contendent terminos in ea *aliter* esse accipiendos atque ita, ut etiam *primo* exsistentiam Dei evincere queat. Hinc

De secundo sensu. Termini in praemissis sumantur *cum praecisione* ab externa summi cogitati realitate, quam solummodo in conclusione ut *fructum* det.

Resp. *a*) Tunc quidem tautologia illa et asimultaneitas nimia disparent, immo verum (sui generis) assignatur medium, ex quo novum quid concludatur, Deus *realis;* at *sophisma* etiam clarum redditur; ex *logico* illicite transit ad *physicum.* Neganda erit prorsus *Maior.*

b) Tunc argumentum valide sic fieret:

Maximum cogitabile *cogitari* debet ut exsistens *in re.* Atqui Deus (de quo cogito, ignorans utrum necne *realis* sit) est maximum cogitabile. Ergo Deus *cogitari* debet *ut exsistens in re.* Recte sane, nec finem tamen obtines, Deum *realem;* aliud enim est *cogitari ut exsistens in re,* aliud *esse exsistens in re.* Primum appellatur exsistentia *signata,* alterum exsistentia *exercita;* tota difficultas est de *exercita,* quae quidem a cogitatione nostra minime dependet, sicut dependet *signata.*

Tandem praefata sensuum distinctio capturam sophismatum in re praesenti iuvabit.

52. — *Prob.* 1º *in genere.* In demonstratione a simultaneo, aut supponitur conceptum Dei *obiectivum* in praemissis mere fictitium non esse, aut ab hoc praescinditur. *Atqui* neutro casu demonstratur Deum esse. *Ergo* Deum esse ostendi a simultaneo nequit.

Mai. in stat. quaest. de duplici sensu.

Min. 1ª *pars.* Supponitur idipsum quod quaeritur; obtinebitur solum quaedam veritatis confirmatio *aliunde* habitae (Cfr. 1ᵘᵐ sensum).

Min. 2ª *pars.* Tunc *sophistice* concludit; ab obiecto enim mere *cogitato* ut reali transire non licet ad *esse reale* eidem *tribuendum* (Cfr. 2ᵘᵐ sensum); sicut ex eo quod creatura omnium possibilium perfectissima *cogitari* necessario debeat *ut* actu in re exsistens, male concludes: ergo *exsistit in rebus.*

53. — *Prob.* 2º *In specie* ex inefficacia argumenti sub concretis suis formis Anselmiana, Cartesiana, Leibniziana (1).

A) *Forma Anselmiana* in conceptu summi *cogitabilis* fundatur: Exsistit in mente omnium (etiam insipientis) id, *quo maius* cogitari nihil potest; « quia hoc intellegit (etiam insipiens) cum audit (Dei nomen), et quidquid intellegitur, in intellectu est ». Atqui tale ens exsistere debet non in intellectu solum, sed *in re.* Ergo Deus revera exsistit.

Prob. Min. Quod et in intellectu et in re exsistit maius est, quam quod in solo intellectu exsistit. Atqui tunc cogitatum secundum primo maius

---

(1) Ab his nonnihil quidem differunt variationes ab aliis propositae (Silv. Mauro, Sparza, Viva...); novae tamen subtilitates solutionibus mox dandis satis diluuntur, nec tam utile habemus animum ad plura dissipare, quam formas *classicas* penitius intrare.

esset, si primum in re non exsistebat. Ergo primum cogitatum exsistit in re; secus enim esset cogitabile summum et non summum; quod repugnat (1).

Respondetur: Trans. Mai. (2). — *Dist. Min.* Ens tale *concipi* debet et simpliciter apprehendi *ut exsistens in re*, *C.* Insuper *exsistere* debet in re, aut etiam *iudicari* exsistere in re, *N. M.* — *Dist. par. cons.* Ergo Deus, si concipitur, debet *concipi* et simpliciter *apprehendi ut* exsistens in re, *C.* Debet insuper *exsistere in re* aut *iudicari* exsistere in re, *N. cons.* — Seu: habet exsistentiam *signatam*, *C. Exercitam*, *N.*

Ad prob. Min. D. M. Est maius *reale* seu ens perfectius *in se*, *C.* Est maius *cogitabile* seu perfectius ut ens *cogitatum a mente*, *Sd. M.* Si quod in solo intellectu exsistit, non conciperetur *ut exsistens in re*, *C.* Si concipitur ut exsistens in re, *N. M.* — *Ctr. m.* Si primum nec exsistebat in re, *nec concipiebatur* ut exsistens in re, *C.* Si primum non exsistebat quidem in re, concipiebatur tamen ut exsistens in re, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. 1º Aliud est aliquid mere *concipi ut exsistens* in re (habere exsistentiam *signatam*) aliud est idipsum *exsistere* in re, et *iudicari exsistere* in re (habere exsistentiam exercitam); ex primo alterum non sequitur; ex signata non sequitur exercita. Si creaturam omnium perfectissimam cogitem, illam ut in re et quidem perpetuo *exsistentem* cogitare teneor (ne cogitem aliam *perfectiorem* actu semper exsistentem); attamen quod re ipsa exsistat, non sequitur (probabilius immo repugnat); idem de Deo suspicabor.

2º Ponamus talem creaturam nunc (*postquam* de illa cogitaveram) produci; abs dubio realitas seu res crevit; perfectius enim est esse quam posse esse; at si intellectus nunc rursus apprehendit illam ut in re exsistentem, quoniam etiam prius (cum non erat) ut talem apprehendebat, cogitatum mentale seu obiectivitas eadem manet pro utraque apprehensione. *Iudicium* « talis creatura exsistit » utique perfectione variaret; prius *falsum*, deinde verum; sed agebatur de mera *cogitatione*. Eadem applica Deo.

54. — *Inst.* 1º Sed summum cogitabile dari in intellectu nequit, quin etiam in re detur. Intellectus enim speculativi est res ipsas intentionaliter reproducere. Atqui in casu intentionalis repraesentatio de re summa erat. Ergo res summa etiam realiter exsistit.

Resp. D. M. i. e. e rebus ipsis primos assumit conceptus simpliciores, ut alios deinde etiam complicatiores efformet sive *positivos* sive etiam suo modo *negativos* et analogicos, *C.* i. e. res *solum* exsistentes intentionaliter reproducit, aliasve similes possibiles, nullo autem modo res *impossibiles*, *N. M.* — *Ctr. m.* De re summa erat, ex ipsaque re summa hausta fuerat, *N.* Ex aliis fuerat utcumque fabricata, *Sd.* ita quidem, ut ideo praecise nescire cogamur utrum necne huic obiectivitati actuale quid respondeat, (saltem possibile) prae chimaera, *C.* Ut scire id possimus, *N. m.* — *N. c.* De singulis supra (n. **21**).

---

(1) Argumentum sub hoc quasi pure ontologico adspectu proposuerat Anselmus in « Prosologio »; magis *psychologice* in « Contra insipientem » adversus Gaunilonem. — Sunt quibus consueta haec argumenti refutatio (ab Aquinate aliisque adhibita) manca videatur eo, quod psychologicas Anselmi additiones praetermittat. At pro scholis simplicitati quoque est attendendum. Ceterum de tota argumenti historia, indole, postulatis, etc. Cfr. *Amor Ruibal* in nuperrimo suo vereque (ut censemus) egregio opere « Los problemas fundamentales de la filosofía y del dogma » Tom. 6, n. 320-366, pp. 321-374 (Subirana, Barcelona; Herder, Freiburg).

(2) Angelicus advertit forsan non *omnes* id sub voce « Deus » intellexisse, « cum quidam crediderint Deum esse corpus » (1 p., q. 2, a. 1, ad 2). Quod et Anselmus sciebat, nec negare intendit.

55. — *Inst.* 2º Atqui si cogitatio de re summa exsistit, etiam res ipsa summa exsistit. Etenim cogitatio realitas *imperfecta* est. Atqui realitas imperfecta aliam supponit perfectissimam, cuius participatio sit. Ergo cogitatio de hac re rem ipsam exsistere probat.

R. N. m. s. aprioristice. Probatio procedit tota a posteriori (hinc extra quaestionem) confunditque cogitationem *obiectivam* (conceptum obiectivum), de qua *sola* agebatur, cum cogitatione *subiectiva* (conceptu subiectivo) pro nunc impertinenti.

56. — *Inst.* 3º Atqui cogitabile perfectissimum realiter exsistere debet. Siquidem perfectius cognoscibile est, quod *intuitive* videtur, quam quod *abstractive* percipitur (abstractive vel mere possibilia percipiuntur). Atqui *intuitive* videtur id solum, quod *realiter* exsistit. Ergo Deus, perfectissimum cognoscibile, *realiter* exsistit (Scot. in 1º Sent. D. 2, q. 2. *Aliter coloratur* argum. S. Ans.).

R. C. M. ceteris paribus (color non est perfectior quam quidditas hominis). *D. m.* Intuitive *videtur* illud solum, *C. Concipitur* illud solum ut quid ab aliquo intellectu intuitive visibile, *N. m.* — *D. par. cons.* Ergo cognoscibile perfectissimum, si datur, i. e. si praevie ad eius cogitationem coram intellectu se sistit ut obiectum cognoscibile, tunc *realiter exsistit, C.* Si in se non datur, sed a mente conficitur, *Sd.* etiam tunc obiectivitas haec *apprehendi* debet ut exsistens in re, quaeque ab aliquo intellectu intuitive forsan percipiatur, *C.* Affirmari debet realiter *exsistens* ab illoque intellectu de facto intuitive percepta, *N. c.* — *Supponitur* rursum cogitabile perfectissimum esse extramentale, cum unice sciamus esse *mentale* et *logicum.*

57. — *B) Forma Cartesiana.* Cartesius varie argumentum exhibuit, ex conceptu praesertim *entis perfectissimi, sic:*

Quidquid in idea clara et distincta obiecti continetur, de obiecto affirmari debet. Atqui in idea clara et distincta Dei, entis perfectissimi (seu in eius essentia), continetur Deus realiter exsistens. Ergo Deus realiter exsistit.

Resp. 1º *C. Mai.* — *D. m.* Continetur pro *intellectu*, plenam Dei distinctamque ideam habente, *C.* Pro intellectu (nostro) tali carente idea, *N. m.* — *D. par. cons.* Et hoc potest debetque ab eo affirmari intellectu, in quo idea clara adsit plena ac distincta Dei, *C.* ab eo, in quo talis non adest idea, *N. c.* Aliis verbis: Negamus *suppositum;* nos habere ideam plene *distinctam* Dei, entis perfectissimi, sicut habemus v. g. de toto, in cuius essentia distincte videmus esse maius sua parte. Habere nos ideam plene distinctam Dei significaret Deum a nobis aut intuitive videri aut quidditative percipi. Tunc utique, sed tunc solum, videremus perfectiones omnes sub simplicitate summa certo *unibiles* actuque in ente *necessario reali* unitas, atque de eo iam notam exsistentiae exercitae affirmaremus, sicut de toto affirmamus esse maius sua parte. Verum conceptus Dei, a creaturis per analogias et negationes haustus, *confusus* est, dans « umbram quandam » illius obiecti, quod a posteriori quidem novimus esse *rem*, sed a priori ignorabamus illud esse *rem* aut actualem aut possibilem (Cfr. prop. I). Si autem evinci omnino renuas essentiam a priori tam sufficienter nobis non detegi, ut nonnulla eidem praedicata, nominatim *esse reale*, indubie tribuamus, tunc:

Resp. 2º *D. M.* Quod in idea (in essentia) obiecti continetur clare, de eo affirmari debet in *eo* ordine et *pro eo* ordine, in quo certo constat essentiam illam esse essentiam, *C.* In *alio* ordine et *pro alio* ordine, in quo nescitur

certo utrum illud sit essentia, *N. M.* — *Ctr. m.* In essentia Dei cogitata, quae proin in ordine *logicali* est certo aliqualis essentia (saltem chimaerica) continetur exsistentia realis *cogitata* seu pro essentia *ut cogitata*, *C.* Etiam pro essentia in ordine *reali*, *N.*, vel *Sd.* Si aliunde certo constet essentiam illam esse *veram* essentiam (i. e. aut positam aut quae poni possit in ordine rerum), *C.* si de hoc certo non constet, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. 1º In essentia creaturae omnium possibilium perfectissimae continetur clare nota τοῦ esse *a parte rei.* Haec nota cogitata (exsistentia *signata*) affirmanda est de illa essentia, sed ibi, ubi constat esse essentiam i. e. in intellectu, ubi est *obiective;* quin enim talis nota ei attribueretur, ne in ordine quidem logico essentia esset essentia *illa*, sed *alia.* Nunc vero ut talem notam convertamus in *realem* (in exsistentiam *exercitam*) seu ut ad extra ducamus inque rerum ordine actuemus, per prius est sciendum essentiam et possibilem esse et in actum fuisse reductam; quia vero utrumque ignoramus, iure privamur concludendi: Creatura... perfectissima exsistit, saltem possibilis est. Etiam in idea clara (in essentia) angeli alati continetur « esse alatum », ut id, sine quo essentia illa non est illa; attamen non concludis: ergo angelus *caeli* est alatus.

2º Invocatum principium de *veris* quidem essentiis valet, i. e. de certo *ontologicis*, seu de iis, quarum notae realiter certoque unibiles prospiciuntur: de toto simpliciter (omni scilicet ordine) affirmamus esse maius sua parte, quia essentiam totius distincte novimus certoque *ontologicam.* Si autem totum confuse solum percepissemus, tunc quidem, etsi in suo adhuc diceret conceptu maius esse sua parte, id tamen de toto *reali* (sive actuali sive possibili) affirmare non possemus, sed de *cogitato* solum, ob ignorationem scilicet *veritatis* essentiae totius. Iam de Deo a priori ignoramus utrum illud, quod mente ut ens a se perfectissimumque versamus, *vera* sit necne essentia.

58. — *Inst.* Sed veritas huius essentiae *a priori* habetur. Nam vel athei dant per « ens summum », « ens perfectissimum », etc. naturam exprimi definitionemque Dei *extramentalis.* Atqui concedere definitionem rei *extramentalis* est concedere *realitatem* huius essentiae. Ergo a priori vera essentia est.

R. D. M. Dant per hoc exprimi definitionem *quid nominis* de Deo extramentali, *C.* definitionem *quid rei*, de Deo extramentali, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. Ex mera *nominali* definitione circa *realitatem* definiti sequitur nihil, cum etiam chimaerae sic definiantur. Atheus concedens sub *nomine* « Deus » ab omnibus *concipi ens summum externum*, ens perfectissimum, minime tamen concedit illud ens *extra nos revera* exsistere; potius expresse tenet huic *nomini* cogitationique respondere chimaeram. Nobis etiam, aprioristice cogitantibus, idem suspicari liceret; solum a posteriori in veritate collocamur.

59. —*Observa* 1. Sedulo distingue exsistentias: *a*) signatam, *b*) exercitam, *c*) logicam.

a) Exsistentia *signata* (sic dicta a Caietano) est exsistentia *realis mere cogitata*, qua intellectus quasi signat obiectum apprehensum, *quin affirmet* tamen illud exsistere.

b) Exsistentia *exercita* est rursus exsistentia *realis* sed *actuata in re*, aut *affirmata* ab intellectu de obiecto cogitato.

c) Exsistentia *logica* est idem ac obiectivitas *logica*, nempe illud esse

mentale terminativum, quod dat intellectus cuilibet suo cogitato; v. g. universale in essendo. Haec postrema ne ipsi quidem chimaerae denegari potest, cum sit *essentialis* cogitato; aliae duae non sic. Exempla rem illustrabunt. Si cogitem angelum alatum, novum mundum, hunc solem; 1) abs dubio haec tria habent exsistentiam *logicam*, quia de illis *cogito*, seu cogitatio mea terminatur ad tres illas obiectivitates. 2) Si de illis cogitans, singula ad ordinem refero *realem*, apprehendendo ut exsistentia (nullo adhuc facto *iudicio*), exsistentiam *signatam* (realem) do illis. 3) Si iudicem: « Exsistunt haec tria realiter », exsistentiam *exercitam* eisdem concedo, sive in se exsistant sive secus; sed quia nonnisi tertium *exercite* exsistit, in aliis duobus fallor, dicens de primo falsum et absurdum; de secundo falsum sed non absurdum.

Speciale Dei. Mundum novum in sua essentia *vere* cogitabo, licet τοῦ esse actualis cogitatione suppressa exsistentiam ei nonnisi logicam concedam. Non vere sic *Deum* cogitarem; praeter logicam etiam *signatam* realem dare teneor (1); *exercitam* denique post demonstrationem a posteriori concedo

60. — *Observa* 2. Insistebamus in eo quod aprioristae supponunt realitatem saltem *possibilitatis* essentiae, seu «internam veritatem conceptus» (2), quasi etiam hac sola concessa, apriorismus *valeret*. Ita sane; opinamur radicale apriorismi peccatum integre subsistere etiam sub *sola* suppositione *possibilitatis* essentiae, atque huius concessionem aequivalere concessioni totius rei, eo quod cum de Deo agitur transitus a possibili ad esse validus sit (3). Sed tunc ratio Anselmi (ais) acceptatur; supponebat enim ille possibilitatem ipsam ab atheis *facile concedi* ac per se patere. Profecto S. Anselmus sic a nonnullis excusatur (4), nec negare id intendimus de implicita doctoris intentione. Valor tamen argumenti *in se* per haec accrescere non videtur; tota potius difficultas alio transfertur, ab esse physico ad *possibile* prout cum Scoto Leibniz clare agnovit.

61. — *C) Forma Leibniziana. Ex possibilitate; sic:*

Ens infinite perfectum, si possibile est, exsistit; quia pro tali ente esse possibile et esse idem sunt. Atqui ens infinite perfectum possibile est; nullam enim repugnantiam involvit. Ergo Deus exsistit.

Resp. C. M. eiusque rationem (est doctrina mox in § III propugnanda). *D. m.* et hoc *a priori* cognoscimus certo, *N. Et id a posteriori* (de quo non est quaestio) novimus, *C. m.* Idem dico de ratione. *D. par. cons.* et hoc scitur a posteriori, *C.* et hoc sciri potest a priori, *N. cons.*

Explico. Post demonstrationem τοῦ esse Dei *a posteriori* etiam de eius possibilitate certi sumus: ex esse ad posse valet illatio: proin certi sumus *a posteriori*. Iam, quia Maiorem plene concedimus, totam nullitatis argumenti rationem in *Minori* ponimus, quia haec *a priori* nec demonstrari, nec proin supponi potest. Quem aprioristarum defectum Scotus notaverat: aliquid tam grave gratis assumi; atque in Cartesiano argumento idipsum vitium

---

(1) « Loquentes de Deo, hoc intenderunt *nominare* Deum... aliquid supra omnia *exsistens;* quod est principium omnium et remotum ab omnibus » (S. Th. 1 p., 13, 8). Necnon Aegidius Romanus (Aquinatis discipulus 1316): « Nullus cogitat Deum, nisi cogitet ipsum esse. Nam in ceteris aliis... esse est praeter rationem quidditatis, et ideo possunt intellegi absque eo quod intellegantur esse. Solus autem primus habet quidditatem indistinctam ab esse » (Sent. L. 1, dist. 3, p. 1, q. 2).

(2) Sic alii loquuntur v. g. Boedder (*Theol. Nat.*, n. 16).

(3) Assentitur Schiffini: « Si enim id supponatur..., argumentatio ab his doctoribus (S. Ans. et Bonav.) adhibita est profecto *legitima* » (*Met. spec.* II, p. 13 nota).

(4) V. g. a Boedder et Schiff. *ll. cc.*

carpebat Leibniz; unde iam ipse totus *in demonstrationem* incumbit *aprioristicam* Minoris; at frustra, ut statim apparebit.

62.— *Inst.* 1. Atqui tale ens esse possibile constat *a priori*. Intellectus enim essentiam in suis perpendens notis, pugnam in ea nullam commonstrat. Ergo.

R. N. m. s. Ad eius probationem *D. Antec.* Mens... non detegit in ea *certo* adesse pugnam, *C.* Detegit non adesse, *Sd.* suspicative aut etiam opinative, *C.* vel *Tr.;* certo et *evidenter*, *N. Antec.* — *D. par. cons.* Non novimus esse impossibile, *C.* Novimus esse possibile, *Sd.* suspicative, immo opinative, *C.* vel *Tr.* certo et evidenter, *N. cons.* Est solutio plurium, quam omnino probamus (Cfr. Remer, Boedder...) (1).

Explico. Igitur a priori novimus possibilitatem *negativam* sed non *positivam* saltem certo; seu novimus illud ens *negative* possibile, sed non *positive* possibile. Enimvero *negativa* vix meretur nomen possibilitatis (quod notat etiam Lahousse, *Psych.*, n. 27, *b*). Ratio autem, cur positivam certo inquam attingere a priori non valeamus, supra est relata (n. **21**); est improportio essentiae. Hinc positio intellectus *aprioristici. a*) Non sane haec: « ens tale repugnat; igitur non exsistit »; est positio athei *iniusta. b*) Sed neque haec: « ens tale non repugnat, igitur exsistit »; plus diceret quam scit. *c*) Abstineat et ab affirmando et a negando: utrum necne possibile sit, *ignoro*. Durus iam sermo dureque in omnem sonans apparebit psychologicum sensum, eo quod realem Deum sciendi habitus vel ipsis resistit *aprioristicis* analysi et dubiis.

63. — *Inst.* 2. Atqui etiam positive et evidenter novimus. Evidens enim est perfectionem unam de se cum alia non pugnare. Atqui tunc in uno ente omnes adesse poterunt. Ergo etiam positivam possibilitatem certo videmus.

R. D. M. Evidens est perfectionem simplicem cum simplici non pugnare, *C.* vel *Tr.;* simplicem cum mixta vel mixtam cum mixta non pugnare, *N. M.* — *Ctr. m.* de simplicibus, *Tr.;* de mixtis, *N. m.* — *N. cons.*

Perfectio *simplex* ea est, quae nullam involvit imperfectionem, v. g. velle, intellegere, vita... *Mixta*, quae involvit imperfectionem, v. g. extensio, ratiocinium... Ens perfectissimum continere in se tenetur omnes cuiusvis ordinis perfectiones (n. **264**). Quonam pacto, infra dicetur (n. **271**). Age vero; licet simplices invicem unibiles videremus (vix videmus) v. gr. quomodo iustitia et misericordia in simplissima unitate coalescant, sed circa mixtas a priori tacere docemur, v. g. posse in uno simplici coadunari perfectionem corporis et spiritus, sensus et intellectus. Immo vel cum de facto sic esse a posteriori novimus, sat obscure talia percipere damnamur.

§ III. — *Deus possibilis Deus exsistens.*

PROPOSITIO IV. **Cum de Deo agitur, ex possibili ad esse transitus legitimus est atque ita necessarius, ut ubi de intrinseca Dei possibilitate certo constet, certum quoque sit Deum esse.**

64. — *St. q.* Radicalis ratio invaliditatis apriorismi (diximus passim in § II) est quod ut a priori *certam* assumat *possibilitatem* essentiae Dei, veritatem essentiae; quasi concederemus (expresse concessimus) hoc solo po-

(1) « Puto nos internam veritatem entis a se ratione naturali *evidenter* non cognoscere, nisi postquam... a posteriori scivimus illud exsistere » (Boedder, *Theol. Nat.*, n. 16).

sito, iam a priori ad *esse reale* Dei perventum esse. Unde et in argumento Leibnizii, concessa simpliciter Maiore, negabamus Minorem a priori sumptam. Iam idem hoc punctum exactiori quadam critica tractare aggredimur, quia discussioni obnoxium. Praeclari doctores aliter se opinari manifestant sive implicite sive explicite in solutione argumenti Leibniziani. Nempe plures (quorum nomina in *Scholio II*) intrinseca *possibilitate* transmissa, vetant inde transire ad esse reale; seu: concessa Minore, de possibilitate mere intrinseca, negant Maiorem, quae tali possibilitati soli iam Deum realem annectit.

65. — I. *Dissensus explicatur. Possibilitas Dei adaequata.*

Nostra sententia. Respectu Dei *extrinseca* possibilitas, i. e. ex causa eius *effectiva*, evidenter sensu caret, remanente sola *intrinseca*. Haec in omni essentia confunditur cum mera notarum *sociabilitate;* sociabilitas autem se refert ad ordinem *realem*, ibi enim non *quaelibet* notae invicem uniuntur, sed plures mutuo se elidunt. His continebatur generalis de possibilitate doctrina in Metaph. Generali; censemus id ipsum sine additione valere pro essentia Dei, cuius proin *possibilitas adaequata* in sola consistet *puraque* possibilitate *intrinseca*, seu in veritate essentiae metaphysicae, i. e. in *quidditate Dei.*

Sententia contraria. Possibilitas Dei *adaequata* constituitur non ex mera notarum sociabilitate seu ex mera non repugnantia essentiae, sed praeterea ex *ratione sufficiente* exsistentiae realis Dei; quae ratio sufficiens est ipsa essentia physica Dei.

66. — II. *Discussio. a*) Si id sibi velint: de intrinseca Dei possibilitate *certo et adaequate* non ante nobis constare, quam certo constet dari rationem sufficientem τοῦ esse Dei, recte quidem; cum enim ratio sufficiens nonnisi ipsum sit *esse Dei*, nec de hoc nisi *a posteriori* constet, dicta affirmatio aequivaleret huic: solum a posteriori adaequate ac certo scire valemus intrinsecam Dei possibilitatem; quod nostra sententia est. Tunc vero non tam elementum assignaretur constitutivum possibilitatis obiectivae, quam *manifestativum* eiusdem per prius iam constitutae.

b) Profecto vix non sensu caret quod essentia physica ad huius pertineat possibilitatem, cum in genere haec ab illa essentialiter separetur, eidem opponatur, ut omnis potentia opponitur suo actui. Igitur ratio illa sufficiens, quam essentiae mere intrinsecus possibili velut *additam* volunt pro eiusdem possibilitatis *completione*, non possibilitas sed *actus realis Dei* dicenda est; proin per illam possibilitas Dei adaequari nequit, ut per partem *novam*, quae in possibilitate mere intrinseca non contineatur.

c) Possibilitas mera ex se iam ad *esse physicum* Dei ducit, quod secum fert; sed ducit *immediate*, i. e. ad hoc non exspectat *completionem* aliquam nec completio alia possibilis est praeter ipsum esse reale Dei, quod (ut dicebamus) *completio possibilitatis* inepte nuncupabitur, huic enim opponi solet. Unde statuimus: intellectus de interna Dei possibilitate certus, sine alio certus iam sit de esse Dei physico, vel (si sic loqui placeat) certus sit de eo, quod ratio sufficiens Dei detur.

67. — III. *Quid nos dicamus.* 1º Concedimus rationem sufficientem De actualis, si Deus exsistat, dari debere; nihil enim est sine ratione sufficienti.

2º Concedimus hanc in actuali Dei realitate consistere sensu *ontologico*, seu quaestione *de facto*, seu in sensu: quid de his *in re sit.* At in sensu *intentionali* aprioristico dum quaeritur quaenam ratio sufficiat ad concludendum a priori esse Dei:

3º Dicimus: Sufficeret possibilitas intrinseca certo possessa; i. e. si intrinseca Dei possibilitas certo cognoscitur, eo ipso cognitum habetur *dari rationem* sufficientem Dei realis, et *dari Deum* realem; quia haec tria: *possibilitas* intrinseca, *ratio* sufficiens Dei actualis, et *Deus* actualis, in casu *idem prorsus* sunt. Unde et sic: Certa internae possibilitatis cognitio est quoque ratio sufficiens *cognitionis* certae quod Dei exsistentis ratio sufficiens detur, et *cognitionis* pariter certae quod Deus realis detur. Hinc etiam: Certa internae *possibilitatis* affirmatio est simul *intentionaliter* (in finalitate intentionali ac scientifica) ratio sufficiens pro *affirmatione* exsistentiae sive *rationis* sufficientis Dei actualis, sive *Dei actualis;* ita quidem ut qui 1um noverit, etiam 2um et 3um novisse dicendus sit. Sed quia intellectus, aprioristice laborans, prius essentiam ipsam scrutatur, inquirens utrum notae eius unibiles necne sint, prius iam decernet, si possit, essentiam Dei in suis notis *possibilem* esse; deinde autem *cogitans* (a priori semper) de externa Dei *actuatione* (quae supponitur non cognita a posteriori) reperiet illam a quidditate ipsa possibili iam dici, immo quidditatem eiusque realem actum idem formaliter esse, sicut totum dicit in sua quidditate esse maius sua parte, in quocumque statu et ordine sit totum. Tunc intellectus suo iure dicet: Ergo Deus *revera exsistit.* Est nostra solutio, quae iam

68. — *Prob.* 1. In propositione « Deus exsistit » *analytica* (ex prop. I) subiectum est « Deus », praedicatum vero « exsistens realiter » seu « exsistens exsistentia exercita », quod significat « dari in ordine rerum ». Unde sic: Intellectus, qui a priori et indubie internam Dei cognovit possibilitatem, de sociabilitate notarum certus est; igitur has sufficienter clare beneque perceperat, ut singulas mutuo compararet, sociabiles prehenderet, consequenter subiectum « Deum » *verum* subiectum contra chimaeram decerneret, eiusdem analysim institueret; secus enim *timere* debuisset ne agglomeratum absurdum prae manibus traheret, ne chimaeram tractaret. *Atqui* in hac analysi de subiecto iam indubie vero percepit notam actuationis exercitae omnium, quia haec actuatio dicitur atque in singulis subiecti analyzati notis imbibitur, ut maxime quidem subiecto toti *essentialis*, et qua non cognita immerito subiectum « Deus » praesumeretur bene fuisse cognitum (non Deus sed aliud fuisset cognitum). *Ergo* suo iam iure potitur intellectus formulandi iudicium « Deus est exsistens realiter ». Quod iudicium, quia analyticum immediatum, verissimum erit. Pro quorum consistentia:

Observa. Notandus *character exclusivus* huius analytici iudicii. Nempe: 1º in aliis v. g. « totum est maius sua parte, homo est risibilis, rationale est liberum », etc. *a*) nec intellectus penetrans, nec intellectus non penetrans essentias quidditative, in eis reperiet praedicatum τό « esse reale »; hinc neuter iudicat « totum *exsistit in re...* ». *b*) Neuter vel signatam exsistentiam eisdem dat, i. e. licet vere eas noverit, sed physice actuatas easdem cogitare non debet, cum de statibus physico prae possibili subiecta nihil dicant, sed unum hoc: contentum praedicati comitatur subiectum ubilibet, i. e. in omni statu et ordine subiecti. Unde, licet a parte rei nullum totum, homo nullus exsistat, iudicium veritate pollet. 2º De iudicio autem in quaestione omnino aliter est; porro huius praedicatum praecise ac unice loquitur de *statu* seu ordine subiecti « exsistentiae exercitae »; unde si hoc statu subiectum careat, iudicium falsum erit, proin et *essentia* falsa seu *chimaerica. Consequentia totaque probatio illustratur.* Montem aureum cogitabam, ignorans utrum necne reipsa exsisteret; detegi eum in propriae notis quidditatis dicere « necessario et

semper exsistere in polo terrae artico »; si mihi concedatur hanc essentiam esse certo *veram* essentiam, i. e. non chimaeram, tunc ius mihi est sic concludendi: mons aureus reipsa exsistit in polo artico; nulla enim essentia dari potest sine eo quod est de illa essentia; sicut nequit dari essentia hominis sine animalitate. — Quod si deinde experimentaliter verificarem in polo artico nihil huiusmodi exsistere, inferre tenerer: ergo cogitata quidditas, qualem cogitaveram, non *vera essentia* sed chimaera est, secus enim eam actuatam reperissem. Profecto essentia sine notis in ipsa contentis non *illa*, sed vel alia, vel nulla essentia est; in casu *nulla;* ex hypothesi enim in polo *essentialiter exsistebat;* ex experientia autem in polo *non exsistit.* Ergo talis essentia non erat *vera quidditas.* A pari.

69. — *Prob.* 2. Si, stante intrinseca Dei possibilitate, adhuc evenire potuit Deum reipsa non dari, tunc in ordine rerum Deus defecit aut libere aut necessario. Atqui neutrum. Ergo non defecit, sed exsistit.

Ad Mai. nota agi de ente *a se*, quod ab alio dependere nequit.

Min. 1ª *pars. Non libere;* nam libertatis exercitium praesupponit rem actualem; hinc et aliquem eligere inter se esse et se non esse pugnat; prius est esse, quam operari, quam eligere.

Min. 2ª *pars. Non necessario;* tunc enim de essentia Dei esset *non exsistere* in re. Atqui de essentia eadem (iam concessa) est etiam *exsistere* in re. Ergo in una eademque essentia verificarentur contradictoria; quod repugnat.

70. — *Si ais.* Quod Deus re non exsistat, forsan evenit non ex aliqua sive contingentia sive necessitate interna, sed externa: ex *fato extrinseco. Resp.* id impossibile esse. *Fatum* vox vana est, maxime si sortem *primi* entis decidere praesumat; tunc enim ens primum esset fatum *supra* Deum stans (quidam Graeci sic). Insuper « contingentia », *necessario* non exsistente, sensu caret; ens enim *primum* contingens esse pugnat. Aliquid aut esse posse aut non esse significat illud ad esse trahi vel non trahi potuisse *ab alio iam exsistente.* Quo exsistente non posito, nihil ad esse trahi potest, sed omnia in *non esse* iacebunt, aut quid *sine ratione sufficienti* admittetur.

71. — *Prob.* 3. Si primi entis essentia pure *metaphysica*, sed vera essentia, semel concessa, non sequitur concedendum eamdem esse physice actuatam, tunc admittetur duas propositiones contradictorias posse esse simul veras. Ergo ex intrinseca Dei possibilitate sequitur Deum esse.

Antec. Tunc sane teneret haec: « Ens vere tale, seu constans vera quidditate, de cuius essentia est realiter esse, non exsistit realiter, seu est ens, de cuius essentia *non est* realiter esse », secus enim exsisteret. Unde verae essent propositiones: de essentia *huius est* realiter exsistere (ex essentia iam concessa); de essentia *huius non est* realiter exsistere (ex hypothesi non exsistentiae).

72. — *Confirmatur* consideratione iudicii cuiusvis analytici. Comparemus iudicium « haec essentia est necessario exsistens » cum hoc « totum est necessario maius sua parte »; si de aliquo concedatur illud esse totum, esse veram *essentiam* totius, eo ipso concessum est illud esse *maius sua parte.* Ergo a pari si de Deo concedatur veram eum essentiam esse entis a se, iam hoc ipso conceditur exsistens esse; nam eadem metaphysica connexio habetur in praedicato « exsistens » respectu subiecti « Deus », quam in praedicato « maius sua parte » respectu subiecti « totum ».

Si ais: De illa quidem erit essentia habere exsistentiam *signatam*, non vero *exercitam. Resp.* id penitus falsum esse. 1) De tali enim essentia est *exsistere in re*, minime autem *cogitari ut* exsistens in re; nempe licet nemo de ipsa *cogitaret*, ipsa tamen eadem esset, i. e. de *cuius ratione* sit *exsistere in re.* 2) Id parum esset; etenim exsistentia *signata* de essentia quoque est *creaturae omnium* possibilium perfectissimae; exigit enim *cogitari ut* exsistens in re, quin Dei tamen essentia sit. 3) Sic intellecta ruit essentia Dei. Ergo agitur de exsistentia exercita.

73. — *Prob.* 4. Vera non esset classica illa phrasis «Deo tam essentiale est *esse*, ut eius essentia prout talis ne concipi quidem possit *non exsistens realiter*». *Ergo.*

Antec. Ex una enim parte in notis quidditatis *certo sociabilibus* conciperem et affirmarem *veram* Dei essentiam; i. e. in *mera* quidditate possibili, ut iam concedunt. Atqui aliunde supponere possem (ut illi contendunt) *rationem sufficientem* pro eiusdem exsistentia reipsa non dari, ideoque essentiam *reipsa non exsistere.* Ergo concipere immo affirmare possem *veram* Dei essentiam, *realiter non exsistentem.* Ergo phrasis classica, contrarium dicens, vera non esset. Brevi: Si de facto unum ab alio distinguitur atque etiam *separabile* est, a fortiori poterit intellectus *unum ab alio separatum* concipere.

NB. Non dico essentiam «*non exigentem* exsistere»; sed essentiam «*non exsistentem*».

74. — *Prob.* 5. Ens illud, cuius vera quidditas conceditur, quin eius concedatur actualitas, esset absolute *contingens. Ergo* non esset Deus.

Antec. De facto enim exsistens ita exsisteret, ut non exstitisse *absolute* potuisset, defectu scilicet *rationis sufficientis*, quae iuxta adversarios deficere potuit. Atqui haec est definitio entis *contingentis.* Ergo Deus esset absolute contingens.

Dices: Sed ratio sufficiens necessario dabatur, quod a posteriori novimus. Ergo nulla ei *contingentia*, sed vera *necessitas* competit.

R. D. Antec. A posteriori novimus rationem sufficientem de facto *datam* fuisse, *C.* vel *Tr.* Absolute inque omni hypothesi dari debuisse, *N. Ant.* (in doctrina obicientium). *D. par. cons.* Vera necessitas *hypothetica*, *C. Absoluta*, *N. cons.*

Explico. Allegata necessitas nonnisi hypothetica esset, ex *facto* nimirum mundi exsistentis educta sic: ergo *de facto* ratio sufficiens adfuit exsistentiae Dei; si enim de facto creaturae exsistunt, Deus quoque exsistit. Sed si Deo mere possibili concesso, mundum non exstitisse ponatur (quod non pugnat), aut de hoc non cogitari, tunc suspicari liceret rationem sufficientem exsistentiae Dei *fortasse non adfuisse.* Vel ita: A posteriori quidem ex mundo concludo: exsistit Deus *hypothetice* necessario. Utrum autem etiam *absolute* necessario exsistat ignorare teneor; in theoria enim, quam confutamus, quidditas ab esse *absolute* defecisse potuit; hinc via omnis *absolutam* τοῦ esse divini necessitatem sciendi clausa manet.

Si instes: Ex ipsa id essentia scire possum intrinsecus possibili, *absolutamque* τοῦ esse realis necessitatem dicente. *R.* Est praecise nostra sententia: ex ipsa possibili quidditate iam sine alio rationem quoque sufficientem haberi necnon reale esse, necessitate scilicet *absoluta.* Atque inde nova fluit probatio.

75. — *Prob.* 6. Deus, cuius exsistentiam a posteriori demonstramus, est ens absolute necessarium pro ordine *reali*. *Atqui* sub hypothesi contraria nulla nos via in certam veniremus cognitionem exsistentiae entis, in ordine *reali absolute* necessarii. *Ergo* falsa hypothesis.

Min. Sub dicta enim hypothesi, licet a priori scirem aliquid *possibile* dari absolute necessarium, seu aliquid in ordine possibilium absolute necessarium, eamdem absolutam necessitatem ad *physicum* transferre ordinem nullatenus possem: non *a priori;* saltum enim de possibili ad esse expresse prohibent; non *a posteriori;* creaturae enim ad primam quidem ducunt causam de *facto* exsistentem, seu probant quidem rationem sufficientem Dei realis *de facto* adfuisse; utrum autem haec ratio *necessario* an contingenter solum adfuerit, id non dicunt; hinc neque dicunt Deum de facto exsistentem cum ipsomet illo *absolute* necessario confundi, quod in ordine possibilitatis praeintellexeram ut ens a se, sed quod realiter non exstitisse absolute potuerit. Ergo utrum necne Deus, cuius exsistentiam a posteriori novi, sit ens *absolute* necessarium, ignorare teneor. Hinc

76. — *Prob.* 7. In dicta hypothesi Deus non esset actus *purissimus*, immo maxima ei potentialitas admisceretur. *Ergo* hypothesis falsa est.

Antec. Tunc enim essentia Dei, vera in ordine possibilium essentia, potuit realiter *non esse*, deficiente scilicet ratione sufficiente. Ergo essentia Dei induit *potentialitatem* ad esse et non esse, quae est maxima potentialitas.

77. — *Coroll.* 1. Ergo Deus, si non repugnat, exsistit; si non exsistit, repugnat. Aequivalet his aliis phrasibus: « In aeternis idem est *esse* et *posse*... » (Suarez); « Tantumdem est dicere ens necessarium *possibile*, quantum *exsistens* » (Piccirelli); « In necessariis idem est *posse* esse et *esse* » (Billot), etc. De contingentibus autem similia falsa penitus sunt.

78. — *Coroll.* 2. Ergo propositio « Deus exsistit » est *in se absolute immediata*, seu independenter ab omni *condicione* est *per se nota secundum se;* hinc thesis classica « Deum esse est per se notum secundum se » enuntianda est absolute (more veterum cum S. Thoma, Toledo...) nec addi eidem potest condicio « Si Deus exsistit ». 1º Ex ostensis, nam quidditas illa dicit *in se* et *absolute exsistere*. Ergo intellectus capax videt ibi « exsistere independenter ab omni condicione ». 2º Propositio in se *analytica* non patitur condicionari a *factis;* sistit in essentialibus conceptuum seu quidditatum subiecti et praedicati connexionibus. *Atqui* Deum esse est propositio *analytica*. Ergo (1).

79. — *Coroll.* 3. Ergo *a*) In nostra sententia aperitur *spes successus* conatibus aprioristicis, quae *b*) ab aliis clausa relinquitur. Primum patet: alterum explico. Intellectus per viam aprioristicam aspirare unice potest ad salvandam veritatem essentiae, seu intrinsecam eius possibilitatem; pro quo fructu obtinendo spes aliqua effulget; quod insuper reperiat dari *rationem* sufficientem τοῦ esse Dei aeque desperans est ac quod reperiat *ipsum esse;* cum possibilitate enim intrinseca non magis connectitur datio

---

(1) Formam *condicionatam* adhibent 1) Schaaf, S. I. *Theod.* (Ad usum priv.); 2) Theod. manuscripta *Foroiuliensis* (Cividale, Venezia ad usum priv.); logice ita se gererent alii etiam, quotquot doctrinae (in § III) nuper vindicatae non acquiescunt. Hac occasione adverte quantopere diversus modus punctum hoc intellegendi *totam pervadat* generalem quaestionem « de cognoscibilitate esse Dei a priori ». Passim in difficultatibus id innuebamus; nunc videmus exinde *novitatem* (condicionem) in una thesi introductam, immo totus tractatus de aprioritate sat diverse ab aliis et aliis intellegendus erit in bona Logica.

rationis sufficientis, quam datio *Dei*. Ergo apriorista, licet possibilitatem Dei reperiret, esse Dei reperire a priori nunquam posset.

80. — *Scholion I. Auctores.* Quaestionem potius indirecte plerique tangunt solventes uno vel alio sensu (nec semper sat fixe) argumenta apriorismi praeprimis Leibniziani. 1º Clare et explicite nostro sensu: *a*) *Mendive, S. I.* (Theod. n. 27); *b*) *Schiffini, S. I.* (Met. spec. II, p. 14, « Tota haec... »); *c*) *Piccirelli, S. I.* « Tantumdem est dicere ens necessarium *possibile*, quantum *exsistens* » (De Deo Disp. metaph. Parisiis, 1885, n. 80 in fine, et antea similiter); *d*) *Lahousse, S. I.*, passim nn. 29, 31, 32; *e*) *Boedder, S. I.*, n. 19; *f*) *Billot, S. I.* (De Deo Uno, q. 2, th. 3, l. « In necessariis enim *idem* est *posse* esse et esse»); *g*) *Remer, S. I.* (Theol. Natur. 4, 3º); *h*) *Mattiussi, S. I.* (« Credo in unum Deum », p. 35... italice); *i*) *Leibniz* in suo noto argumento; etc. *k*) Veteres *supponunt* hanc doctrinam, quando aliquid ex professo scribunt; v. g. *Scotus:* « Efficiens primum, si est possibile, exsistit »; *Suarez* (D. M. 29, s. 3, 5ª ratio, n. 15), excludens pluralitatem Deorum seu entium a se, ait: « Quot autem essent *possibilia*, tot necessario *essent;* nam in his maxime verum habet illud axioma: " In aeternis *idem est esse* et *posse* „... ». Similiter Vazquez, et Sparza (lectores Theol. in Univ. Gregoriana) id quasi indubium assumunt. De quibus aliisque veteribus, praecipue de S. Thoma observare licet expressiones « ratio sufficiens, possibilitas inadaequata » etc., in re praesenti apud illos usu caruisse.

2º Sensui contrario favent plures recentes, v. g. 1) *Liberatore* (Vol. 2, Theol. Nat. C. I., p. 443); 2) *Hontheim* (Theod. nn. 98 et 99); 3) *Van der Aa* (Theol. Nat. prop. 15); 4) *Palmieri* (Vol. 3, p. 90); 5) *Urráburu* (Vol. 7, p. 76; etsi alias omnino rem explicat sensu nostro); 6) *De Backer, S. I.* (Lovan.); hic paulo aliter rem declarat. Possibilitatem *adaequatam* (sic ille) constituunt duo: *sociabilitas* notarum et *realitas* earumdem; etsi 1ª concedatur Leibnizio (nec tamen concedit), dum de 2º non constaret, Dei exsistentia non sequeretur. Tandem modernis forsan haec tendentia praeplacet (1).

81. — *Scholion II.* Deum, si est possibilis, exsistere nonnulli nostrarum partium auctores sic probant: Si enim non exsisteret, iam exsistere non posset; non *a se*, quia nihil *sibi* dat esse; non *ab alio*, quia agitur de ente *a se:* ergo Deus esset *impossibilis*. Haec sane verissima sunt; attamen sic evincitur quidem impossibilitas *hypothetica*, sed non *absoluta* exsistentiae Dei in hypothesi quod non exsistat; nempe ratio data id solum probat: posito quod Deus reipsa non exsistat, iam fieri nequit ut *unquam exsistat;* sed non probat eum *absolute* non potuisse exsistere; i. e. non probat quod in signo priori ad eventum non exsistentiae ab aeterno, non potuerit evenisse factum contrarium, i. e. quod exsisteret; verbo: non probat Deum, si non exsistit, ideo non exsistere quia absolute repugnet eum exsistere. Ad hoc autem ut ex possibili ad esse transitus sit metaphysice certus, ostendendum est exsistere debuisse *absoluta* necessitate; si autem non exsistit, id provenire ex *absoluta* quidditatis repugnantia, prout conati sumus persuadere; secus enim manet evasio: Deus etiam cum sua possibilitate potuit fortasse sive exsistere sive non exsistere, etsi utique non potest iam mutare quod semel evenit. Ergo etsi de facto non exsistat, non sequitur Deum non esse *in se* possibilem, sed solum hoc: Deum *iam* non exstiturum, etsi forsan polleat essentia, in se et absolute possibili.

82. — *Obi. I.* A *logico* in *physicum* transire non licet. Atqui solutio data in hoc consistit transitu. Ergo admitti nequit.

Resp. D. M. a pure logico in physicum, *C.* a metaphysico in physicum, *Sd.* In illis, quorum ratio metaphysica non continet physicam, *C.* In eo, quod continet physicam, *N. M.* — *Ctr. m.* A pure logico in physicum, *N.* A metaphysico in physicum, *Sd.* In ordinaria essentia, *N.* In essentia Dei, *C. m.* — *N. cons.*

---

(1) V. g. Amor Ruibal, *op. c.*, « Los Problemas... », T. 6, p. 380, n. 371. — At in p. 385 fatetur: « El ente supremo, si no existiese, no seria ni aun posible ». Ergo Deus, si esset possibilis, exsisteret. Ergo transitus licet, obligat.

Explico 1. *Pure* logicum dicuntur entia *rationis*, quae in re nec sunt nec esse possunt, sed in intellectu *solum;* v. g. genera, species, negationes. Cum talia *extra* ambitum cadant *entis realis ut sic*, in his de logico ad physicum transire nefas.

2. Possibilia, τοῦ esse actualis *capacia*, hinc esse metaphysico donata, cadunt quidem *intra* latitudinem entis *realis* ut sic (Cfr. Met. Gener.), adhuc in his vi essentiae a metaphysico in physicum transire non datur, cum essentiae (agitur de creaturis) e se purae sint potentiae obiectivae, actu carentes, ad ipsumque *ab alio* solum trahibiles.

3. *Divina* vero essentia id permittit, exigit. Cum enim eam sub pura manere obiectiva *potentia* pugnet, simul ac veram esse *essentiam* novimus, scimus quoque *actum* esse.

Brevi: ex ideali ad reale prohibetur transitus *illegitimus*, nequaquam *legitimus*.

83. — *Observa.* Ipsa quoque possibilia nominantur passim potentiae *logicae; logicum* vero non opponitur tunc *reali* sive actuali sive potentiali, sed *actuali* solum; sunt enim *res producibiles*. Insuper essentiae *ideales* dicuntur, eo quod *terminent ideas* seu conceptus cogitantium de illis. Fundamentaliter sunt Deus ipse, formaliter sunt *potentiae* in actum trahibiles partemque realis entis ab aeterno constituentes (Cfr. Met. Gen.). Atque in Megaricos, talium potentiarum detractores, dum aiebant (ut nuper Robinet) « pure possibilia esse impossibilia », invehitur Aristoteles (in IX Metaph.): « non parvum quid perimere intendunt ». Nullam scilicet permittentes *novitatem* τοῦ esse, causas supprimunt efficientes, mutationes omnes sive substantiales sive accidentales.

84. — *Obi. II.* Noster intellectus iam a priori essentiam Dei penetrat quantum requiritur ut possibilitatem attingat. Ergo a priori esse Dei pertinget, quod admitti nequit.

Prob. antec. Divina essentia duabus notis concipitur constituta, i. e. « ente » velut genere et « a se » velut differentia. Atqui primam penetramus quidditative, alteram cum prima *unibilem* videmus. Ergo possibilitatem essentiae percipimus.

R. N. Ant. Ad cuius probationem *C. M.* — *N. m.* 2ª *pars*. Ens ut sic eiusque prima praedicata percipimus quidditative, si quid a nobis ita percipitur; unde et ex his elementis tuto procudimus prima principia. At differentiam « a se » non ita. Quid hoc sit a contrario quadantenus coniectura capimus nec adeo tamen ut firme statuamus: « Tale ens non factum, cumulus perfectionum, in purissima simplicitate adunatarum, certo *possibile* est ». Utrum nempe in ordine reali determinatio « a se » cum omnibus consectariis differentiare possit ens ut sic, *a priori ignoramus;* seu utrum necne membrum alterum divisionis entis realis in ens *ab alio* et ens *a se*, sit *verum* membrum reale, a priori decernere non valeremus.

85. — *Obi. III* (Inst.). Id immo scimus. Ens enim a se *contrarie se* habet respectu entis ab alio. Unde sic: contrariorum *eadem* est ratio. Atqui ens ab alio *possibile* est. Ergo et ens a se.

R. D. M.... eadem est ratio, i. e. eadem *linea* seu *ordo* perfectionis, *C.;* eadem est ratio *quoad omnia* seu convenientia in omnibus, *N. M.* (i. e. uno exsistente, et aliud exsistit; uno non pugnante, nec aliud pugnat... sic *N. M.*). — *C. m.* — *D. par. cons.* Ergo ens a se debet esse aut cogitari in eadem linea entis, *C.* Debet cognosci esse possibile aut exsistens, *N. c.*

Explico. Rigor effati ad sonitum nimis probaret; v. g. creaturam esse *ens a se*... Sed philosophice id solum intendit: si unum ex contrariis stet in genere coloris, aliud non sistat in genere saporis, aut quantitatis... sed *in eodem* genere *coloris* (album, nigrum); si unum in linea sistit *entis*, aliud quoque in *hac* sumatur linea *entis*, ut ens ab alio et ens a se (sunt duo positiva in eodem genere vel quasi genere *entis* maxime distantia). Utrum praeterea per eamdem unum et aliud cognosci debeat viam, necne, id non dicit.

86. — *Obi. IV* (Inst.). Contrariorum eadem scientia. Ergo si ens ab alio scitur a priori possibile, etiam ens a se.

R. D. Ant. i. e. scientia seu disciplina studens uni, et alteri studet, et cognitio unius in alterius qualemcumque notitiam fert, *C.;* Eo praecise modo quo unum, etiam aliud cognoscitur, *N. Ant.* — *D. par. cons.* Ergo cognito ente ab alio, etiam de ente a se aliqua habebitur notitia, *C.* Per eamdem viam et iuxta eamdem perfectionem, *N. cons.*

Explico sensum phrasium. 1º « Contrariorum eadem est disciplina » (Arist. 1º Top. c. 8) i. e. scientia *totalis,* seu ars eadem pro utroque sit: Medicina morbis studens et de valetudine agat; Logica, quae de vero est, agat et de falso; de iuribus, de iustitia et iniustitia Facultas iuridica; de vitiis et de virtutibus Scientia Moralis, etc.

2º « Contrariorum eadem est scientia » (Arist. IX Metaph.), vel « eadem *scientia* se habet ad contraria » (S. Thomas in IX Metaph., lect. 2, versus finem). Haec insinuant non identitatem *tractationis* solum, sed et *cognitionis:* si unum scilicet contrariorum *novi,* etiam aliud quadantenus *novi:* si caecitatem, etiam visum; si vitam, etiam mortem; si virtutem, etiam vitium. Hinc adhuc: contrariorum eadem est *definitio* (Cfr. declarationes Aquinatis *l. c.,* necnon Fonseca *ibid.*).

87. — *Obi. V.* A priori constat Deum non esse *chimaeram.* Ens enim perfectissimum omnem a se *imperfectionem* excludit. Sed chimaera non excludit omnem imperfectionem (quia includit contradictionem, quae imperfectio est). Ergo Deus non est chimaera.

R. D. M. Si constet esse ens seu veram quidditatem, *C.;* secus, *N. M.* (Tunc enim fortasse est chimaera, contradictio, ipsa *imperfectio*). — *C. m.* — *D. par. cons.* Si est *ens,* vera quidditas, *C.;* secus, *N. cons.* Petitur principium supponendo ens perfectissimum (cogitatum) esse revera *ens.*

88. — *Obi. VI.* Quod est impossibile, qua tale *odibile* est. Atqui ens, omni defectu carens, non est odibile. Ergo Deus non est impossibilis.

R. Tr. M. — *D. m.* Si sit verum ens tale, *C.* Si solum *voce* et sic merus defectus, *N. m.* — *D. par. cons.* Si est ens seu vera quidditas, *C.* secus, *N. cons.*

Explicatio ut in praecedenti.

89. — *Obi. VII.* Essentia Dei est *esse purum,* quod est *una* nota. Atqui pugna nonnisi inter *duas* notas, nunquam *unius secum* esse potest. Ergo evidens est Deum esse possibilem (Auriault, in laudem arg. Anselm. Parisiis, 1889-1893).

R. D. M. Est esse purum, tale tamen, quod sit *plenitudo* omnium perfectionum realium, hinc una *entitas,* in qua omnes notae conciliari posse debent, *C.* Est esse purum, aliter utcumque conceptum, *N. M.* — *Ctr. m.* Non est pugna unius secum, seu in *una* realitate, si sit *una* positive dicens unicam *perfectionem* in *una* linea, *Tr.* Si sit *una* realitas, sed dicens continentiam plurium in se, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. 1º Ens ut sic dicit *unam* notam, attamen impossibile est ut exsistat *in re;* spiritualitas, sessio, italianitas... dicunt unam notam, quae tamen exsistere tam pure non possunt [occulte enim sunt *duae notae*]; idem suspicaberis de *esse puro* cogitato. Ideo transmissum est 1ᵘᵐ membrum. At quaestio alia est. 2º Praedicta enim dicunt quid *unius* lineae; *esse* vero *purum,* si determinate pro Deo seu pro essentia divina concipiatur, concipiendum est tale esse, in quo perfectiones *omnium* linearum gradu *infinito* contineantur. Tale autem *esse purum* cum *continente omnes* perfectiones infinitas non pugnare inevidens est; unde *esse* et *purum* forsan pugnant, immo forsan *esse* et *a se* pugnant, quia esse purum, si datur, datur *a se,* ideoque *duas* dicit notas: *esse* et *in se subsistens;* ut *sessio pura* esset *sessio in se subsistens; duae* notae, et quidem pugnantes invicem. Nunc vero, quia inter res, quas vidi, tam miram vidi nullam nec similem, *esse purum* se habet forsan ut *spiritus igneus* (contradictio).

Brevi: *ens a se, esse purum...* est nota includens *plures;* aequivalenter *multiplex,* secus non est *ens Deus,* non est *esse divinum,* non est *inferius* entis. Ergo in eo contradictio adesse poterit.

90. — *Observa.* Conatus P. Lepidi, P. Ragey, etc. in favorem probationis Anselmianae irriti videntur. Argumentum vitio laborat *incurabili*. « Proba prius tale ens *dari in* re, tunc admittemus illud *exsistere a se* », ait Jourdain Hurtaud (cum Gaunilone). Proba saltem illud *possibile* esse.

91. — *Obi. VIII* (Inst.). *Ens ut sic*, variis expressum vocabulis, *unam* dicit notam; ergo a pari *esse purum* sub duplici vocabulo unam notam continet. Atqui rursum in *unica* nota esse nequit pugna. Ergo nec in *esse puro*.

R. N. cons. Mai. et parit. Ens ut sic exprimit *unam* notam abstractam (etsi *imperfecte* solum seu analogice unam ex *imperfecta* eius abstractione), est nota simplex entis ut sic *concreti*, seu abstracta ab entibus *concretis*. Similiter entitas *ut sic* est *una* nota, *abstracta abstracti*, i. e. abstracta ab *entitatibus* determinatis; similiter *esse ut sic* est *una* nota, abstracta ab *esse* determinatis. Dum illae notae manent in abstractione ut sic, manent unaquaeque *una* nota. Sed statim ac *determinatio* aliqua eisdem *additur*, *duplicantur* notae. Sic *ens ut sic*, addita differentia *a se*, fit *duae notae*, ideo solum *descendit* et *contrahitur* ad inferius, quod est *pars* entis ut sic. Similiter *entitas a se*, necnon *esse a se*, sunt suis ordinibus notae *duplices*, quia sunt *inferiora* contracta respectivi superioris. Iam vero « *esse purum* » est inferius, ad quod descendit *esse ut sic*. Ergo etsi hoc constet una nota, illud constat *duabus*, quae sunt *esse* et *purum*. Nunc age, sicut *a priori* ignoramus utrum differentia « *a se* », quam cogitamus, sit reipsa *differentia* quae *reale* membrum constituere possit *entis ut sic* concreti, licet sciamus aliam differentiam « *ab alio* » reipsa constituere illud; idem a pari dicendum est de differentiis « entitas *a se* » et « *esse a se* » seu « *esse purum* ». De contrariis, quae sunt entitas ab alio, esse ab alio, esse impurum..., utique actuari eas posse scimus.

Articulus III.

DE UNICA VIA LEGITIMA IN UNIVERSUM

92. — Hucusque quomodo non possimus, nunc quomodo possimus Deum extramentalem certo possidere; dissidiis potius domesticis succedit lucta clare cum externis. Adhuc crisis apriorismi fructu non caruit; ut enim metaphysicam Dei, quae sic addiscitur, taceam, in delectu armorum pro gravi certamine caute tutoque est procedendum, ne si invalida quasi valida usurpemus, alii facile concludant: ergo exsistentia Dei ratione sola non evincitur; ergo verus est Agnosticismus; ergo atheismus philosophicus exsistit. At rationis aedificium solide fundandi rectior nobis adest via, quae *aposterioristica* dicitur. Illam nunc solum in genere sumptam propugnamus.

Propositio V. **Humanus intellectus etiam mere theoreticus suis solis viribus exsistentiam Dei a posteriori demonstrare potest.**

93. — *Praenotanda.* I. *St. q.* Affirmamus *naturalem* seu scientificam demonstrabilitatem exsistentiae Dei. Sed iam determinanda significatio nominis « Deus »; aiente enim Angelico, « non potest ostendi de aliquo, *an est*, nisi prius intellegatur *quid* significatur per nomen... » (1° Post., l. 2). Sciendum igitur quid nomine *Dei* omnes significare intendamus dum de eo disputantes alii affirmamus sive exsistentiam sive naturalem eius demonstrabilitatem, alii autem negant utrumque, alii admisso primo, alterum vel excludunt vel in dubio relinquunt, vel critice insolubile pronuntiant; concretare inquam oportet obiectum, in quod aut cadunt aut cadere intendunt affirmationes aliorum, negationes aliorum, dubia et criticae reliquorum; ne secus contingat nos in vacuum fere laborare, rem evincentes a nullo controversam.

Determinanda autem est significatio, non utcumque et sub vaga solum « Dei » acceptione ad cuiusvis etiam rudioris captum, sed ex fine varie polemico, attenta scilicet litigantium diversitate (Cfr. adversarios), secundum maiorem quandam principalium praedicatorum expressionem; atque ita ut, quin *totam* Dei quaesiti naturam sub singulis eiusdem notis *explicite* proferamus, totam adhuc in synthesi impliciteque exprimamus. Seu sic: notio Dei in ipso iam disputationis ingressu fixanda, non oportet ut *rudimentaria* sit, quasi sub occultatione earum praecise notarum, quae in contentionem veniunt, evasive nos geramus nimisve dogmatice, sed talia explicite continens praedicata, quae genuinum theistarum Deum graphice characterizant, eoque ipso et ab atheis tenacius removentur et a theistis sive criticis sive traditionalistis ut specialiter agnostica signantur. Tunc sane Deus aderit integritati polemico-dogmaticae adeo conformatus, ut

a) *Atheus* (Materialista, Monista) cum *anti*-providentialista fateatur: Si *talem Deum*, qualis a te in statu quaestionis descriptus est, exsistere demonstres, Deum theistarum admittam;

b) *Traditionalista* autem (etiam Ontologus, Criticus, Kantianus): *Hunc* praecise Deum, quem admitto, indemonstrabilem praedico;

c) *Scholasticus:* de hoc praecise teneo arduum esse, possibile tamen, apodictice demonstrari;

d) *Vulgus* tandem theistarum; *hic* omnino noster Deus est. Iam his satisfacit sequens

94. — Notio Dei. Deus est « ens aliquod supremum, a se necessario exsistens, auctor mundi, sapiens providusque eiusdem gubernator, plene *ac* personaliter ab eo distinctum » (1).

Adverte: 1) Singula suis locis exacte proponentur; nunc ordinaria eorumdem notitia sufficit.

2) Notio exhibet quidquid nomine Dei omnes significari intellegunt: *a*) Notam *absolutam* divinae perfectionis *in se*, dum ait esse ens *primum* et necessarium; *b*) Notam *relativam* versus alia, dum ait esse auctorem mundi, bonum seu *providum*.

3) *Infinitas* nec necessario (ut Cartesiani vellent) nec utile definitionem ingrederetur; est enim praedicatum nimis complexum, nec radicale, sed difficile *derivandum*.

4) Notio non tam praesenti inservit *generali* propositioni, cum potius introductoria sit, quam singulis infra concretis probationibus; his tamen singulis adhuc non exigetur ut Deum sub omnibus *explicite* notis ostendant, sed sub una vel alia; ut ex argumentorum summa etiam principalium notarum collectio explicite demonstrata exsurgat.

5) Qui ob singularem entis definiti complicationem contenderet nostri theistarum Dei exsistentiam non prius in rigore ostendi, quam de omnium attributorum harmonia certi reddamur; perfectam sui quietem ad finem totius Theodiceae reservare invitaretur.

95. — *Aliae notiones Dei*. Theistica Dei notio *eadem* semper erit; at non aeque explicita et explicata; pro fine enim adiunctisque diversis diverse eam aperire licebit. Exinde etiam de notionis sufficientia et opportunitate erit decernendum.

---

(1) In quaestione psychologica « utrum in viventibus *anima* stricte talis exsistat » praemittebatur: nomine animae ab omnibus de re disputantibus intellegitur « principium vitae essentialiter a corpore et a materia distinctum »; similiter in casu.

a) *S. Thomas* (1): « Impositum est nomen hoc ad aliquid significandum *supra omnia exsistens*, quod est principium omnium et *remotum ab omnibus*. Hoc enim intendunt significare *nominantes Deum* ».

b) Valde simpliciter *Palmieri* (2): « Nomine Dei intellegimus ens quoddam *supremum*, a quo ceterae res necessario *dependent* ». Est minimum fere; pro sapientibus *polemice* se habentibus vix inserviens; optima pro theistis compendiose illustrandis.

c) Etiam sub unica nota apud *S. Augustinum:* « Hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt »; quo melius nihil est, etc. (3).

d) « Ens *personale*, homine et mundo *superius* » (apud Ubaghs) (4).

96. — II. *Adversarii:* Sensus sive generalis sive cuiusque singillatim particulae enuntiati ex oppositis tendentiis magis elucescet.

Adversarii 1º. *Remote et radicalius: a*) *Athei*, qui cum negent Deum, omnem deletam vellent demonstrationem; *b*) *Monistae, Pantheistae* (necnon materialistae crudiores), iuxta quos Deus *personalis* a mundo distinctus non exsistit, et quae adhuc exstitere demonstrandi tentamina, necessario evanuerunt. *c*) *Traditionalistae* rigidi, quibus dogma est « *metaphysicas* veritates, praeprimis exsistentiam Dei, scientifice constare non posse; revelatione nobis manifestari ». Hi, admisso Deo personali, *demonstrandi* nos impares declarant. Accedit *Agnosticismus* modernistarum, iuxta quem nullam intellectus veritatem, quae ad *religionem* pertineat, invenire potest (5).

2º. *Proximius et formalius: a*) *Traditionalistae mitigati;* pro quibus intellectus tunc solum est demonstrandi capax, si praevie fuerit *auctoritate* roboratus; e ratione et revelatione simul. *b*) *Recens immanentismus* seu philosophia immanentiae; i. e. plurimi moderni ita opinantes: A Scholae praeiudiciis immunes, datis rationis critice stantes, argumenta pro exsistentia Dei reperiemus non esse *apodictica*, si praesertim elementum ponderemus intellectus *pure theoreticum*, sub praecisione videlicet adiutorii e sensu quodam intimo accedentis, ex corde, ex ratione practica, etc. In concreto brevis sufficiat notitia conceptionum 1) Kant, 2) Kuhn, necnon 3) Novae apologeticae ac theoriae indigentiae Blondel.

97. — 1. *Kant* (1724-1804). In scientifica Kantii vita duas liceat assignare periodos: Dogmatismi et Criticismi. Prior (1724-1770) quadam elucet spontanea sinceritate, maiorique *obiectivitate* (favebat christiana religio, quam in secta profitebatur pietistarum); secundam (1770-1804) Humiana pervertit hypercritica vitiose *subiectiva* (iusiurandum pristinum doctrinis a Deo revelatis firmiter standi, frigescit, dissipatur; Kant moriens rationalista erat) (6).

---

(1) 1 p., q. 13, a. 8, c, in fine.
(2) *Theol.* c. 1, th. 1, initio.
(3) *De Doctr. Christ.* 1º, c. 7.
(4) *Theod. Introd.* n. 3. Ibidem ut Ontologus nominat *infinitatem:* pro sapientibus, ait, « Deus est ens *absolute perfectum* seu metaphysice *infinitum* ». Quod nuper reprobavimus.
(5) « Si quis dixerit, Deum... per ea, quae facta sunt, *naturali* rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit » (Conc. Vat. De Revelatione, can. 1; Denzinger, n. 1653).
(6) Apparet in postremo fere opere *Religio inter fines rationis purae* (1794). Tandem pro ipso non alia exsistit *revelatio*, quam *ratio*. « La verdadera y *única religión* no encierra sino leyes o sea principios prácticos tales, que por nosotros mismos podamos ver su necesidad absoluta, y así son reconocidos como revelados por la *pura razón* y no de una manera empírica » (Kant, *op. c.* 4 p., sect. 2, initio). Fidei autem renuntiasse videtur (ait Zeller) sine speciali interna reluctantia (*Hist. phil. rec.* p. 348). Schaaft, *Conspectus Systematis Kantii*, lithogr. Romae, 1903-1904, p. 279.

a) Sub periodo dogmatismi conficiendis otiabatur argumentis, quibus acumen ingenii pietatemque supra Dei exsistentiam exerceret. Praecipua de quinque Angelici viis non ignorasse videtur.

b) Senior criticista singula gradatim argumenta sive propria sive aliena quondam probata, reprobavit, ordinis inquam *theoretici* (1), retento postulato rationis *practicae;* unde et scientia supplantatur a *fide.* Persuasio enim rationis practicae, quod voluntas mea me obligans a Deo est, ad *speculativam* non transit, speculativam non ditat. Licet enim quidquid practica ratio rationi imponit speculativae ab hac sit acceptandum ex inconcussa prioris suprematia, adhuc tamen sub tali acceptatione, quia intuitio deest, deest quoque speculativa *cognitio* (hoc nomine digna); unde tunc nullas Deo notas *addere* possumus per speculationem; ideoque sub accessione veritatis *practicae* speculativus veritatum thesaurus nihilo accrescit (2).

98. — *Observa* 1°. Haec sane positio a suo definitivo systemate *Criticae Rationis Purae* Kantio imponebatur. In Logica enim Transcendentali (L. 1, c. 2, § 22 et 23) ostendere sibi assumit, quod centies et alibi dixerat, usum categoriarum seu earumdem applicationem, sine qua cognitio proprie dicta habetur nulla, ad *sensibilia* restringi seu ad obiecta *experientiae;* cum nonnisi de his intuitiones sensibiles possideamus, in quas solum categoriae cadere possunt; nec cognitio vere talis aliter queat confici, quam mediante synthesi diversitatis *in intuitione* exhibitae. Igitur cum actuali intellectui ad *scientificas* seu *theoreticas* cognitiones alia non suppetat via, sequitur mundum rerum *metaphysicarum* (insensibilium) mundum *incognitarum* theoretice remanere; nec in eam regionem aditum principio causalitatis permittit. Igitur tres illae rationis transcendentales ideae, « conceptus *rationales* puri... practice semper fecundi... » (3), quae sunt *Deus*, *anima* et *mundus* (4), manent ideae *purae* (i. e. non ex experientia), de quarum externa realitate ostendere quidquam (theoretice) nunquam licebit, sicut nec materialista unquam gloriabitur earumdem se *vacuitatem demonstrasse;* i. e. ex theoretica metaphysica nec in favorem realitatis, nec in ruinam quidpiam concludemus; seu, ergo datur *agnosticismus theoreticus* metaphysicus.

99. — *Observa* 2°. Kant, fractis argumentis in usu pro Deo (postremo et illud *ex possibilibus* desumptum reliquerat), cuivis etiam futuri successus spei renuntiat: « Non condivido opinionem a sagacibus profundisque sapientibus (v. g. Sulzer) saepius expressam, coram infirmitate argumentorum adhuc in usu: sperandum ut *in futuro* evidentes detegantur demonstrationes.. exsistentiae Dei et futuri (*del porvenir*). *Certus* potius sum id nunquam eventurum » (5).

---

(1) Kant in *Critica Rationis Purae,* (Dial. Transc. L. 2, c. 2) facit cuiusque argumenti crisim; inferius in *Methodol. Transc.* ponderat suam in hoc sinceritatem, aliorum insinceritatem ob metum perversionis iuventutis, etc. c. 1, s. 2, versus finem (Tissot, T. 2°, p. 363).

(2) Singula ipse declarat; advertens tamen per postulata practica ideas illas (Deus, immortalitas, libertas) speculative vacuas, aut problematicae solum obiectivationis, *certo* nunc *obiectivari* (*Critica Rationis Practicae* I p., L. 2°, c. 2, §§ VI et VII. — In transl. Picavet, Ed. 5, pp. 240-257).

(3) Kant, *Cr. Rat. Purae*, Dial. Transc. L. 1, sect. 2, *initio* et saepe; Gallice, Tissot, T. 1, pp. 415, 431...

(4) Seu: Idea psychologica, quae est τό *ego;* Idea cosmologica, quae est *mundus;* Idea theologica, quae est *Deus.* Constituunt obiectum *Metaphysicae* seu *Rationis;* nam Ratio est facultas proprie Metaphysica (Kant, in « Prolegomenis... » §§ 40-45. — In § 45 explicat rationem *agnosticismi theoretici* metaphysici). Tres ideae passim sunt apud Kant: libertas, immortalitas, Deus. Huius loci non est declarare coincidentiam cum aliis tribus.

(5) *Cr. R. Purae*, T. 2, « Methodologia... » c. 1, sect. 2 (ap. Tissot, 2°, p. 349).

At contra haesitationes scepticas (quas omnino ipse damnat) rem tam gravem *ratio practica* firmiter sustentat; tranquillos, immobiles nos in nostra possessione reddit. Videlicet: *a*) Cave ne domum construas theoreticam; a telis contrariis destruetur, ut tua contrariam elidunt; in tutiori stadio te colloca, in campo nempe *practico;* hic plena frueris pace tutoque sperabis firmiorem supra terram rationale tuum salutareque systema elevare (1). *b*) Fides mea in Deo et in exsistentia futuri ex motivis *moralibus invincibilis* est, nec illi renuntiare possum, quin mihimet odiosus fiam (2).

100. — 2. *Kuhn.* Catholicus Theologiae lector ad Tubingam († 1887), fautor inter primos et propagator tendentiae illius, quae sub generali charactere *fideismi* sentimentalis mentes recentiorum maligne invadit. In demonstrationibus Dei elemento mere theoretico seu *obiectivo etiam subiectivum* seu practicum adiungi vellent sub forma *fideismi, experimentationis* psychicae, quasi clinamen innatum, *moralem* spontaneam suasionem...; sic tandem, ut argumenta pro Dei exsistentia ex utroque *integrentur* elemento. In concreto autem doctrina Kuhn ad haec reducitur:

Intellectus de Dei exsistentia certus tribus viis reddi posse concipitur:

1º Cogitatione sola seu *analysi* conceptus Dei (apriorismus), quae quidem via *impossibilis* est.

2º Cogitatione, cum adiutorio *experientiae* effectuum mundanorum, ex quibus *a posteriori* Deum concludamus. Quae via, Scholasticis praedilecta, excellens sane apparet, at *insufficiens, si* Deum personalem, a mundo *separatum,* obtinere praesumat.

3º Cogitatione *speculativa,* quae ex una quidem parte innitatur in idea Dei animis inserta (sensu Patrum), in fide, sed fortius adhuc aliunde sit roboranda, ex morali nempe dispositione animi *boni* et puri. Tunc utique mundani effectus efficaciter nos de Deo evincent ut de aliquo supra mundum posito. Est ceteris praestans via. Unde et errare hi dicendi sunt scholastici, qui sub totali pretiosi subsidii praecisione discursibus haerent aposterioristicis. Deus tunc in conclusione fluens non *ille personalis* est et transcendens, quem omnes quaerimus, sed potius *mundo immanens* (3).

101. — 3. *Immanentismus recens* plurium in Philosophia et Theologia. — Philosophia *immanentiae* est nunc *subiectivo-practica,* intra psychicos impulsus motiva detegens aut unica aut saltem efficaciora, necessaria immo pro assensu metaphysicis veritatibus praestando ordinis prae primis religiosi, v. g. exsistentiae Dei, immortalitati animae, divinitati Ecclesiae...

Quae methodus, tota *subiectiva,* varie nuncupata «methodus immanentiae, methodus moralis, methodus valorum, methodus practica, affectiva», ac similiter, subrogare iam debet (aiunt) *obiectivae* illi speculationum metaphysicarum methodo, adhuc usuali, in se tamen, si praesertim solitarie sumatur, *inefficaci* (4). Unde

---

(1) Ib., p. 363.

(2) Ib. *Op. cit.,* 2º, p. 439.

(3) Fuse de his Stentrup S. I., *De Deo Uno,* thes. 4. — Brevius Hontheim, p. 272... et Urráburu, 7º, p. 41.

(4) Via novitati a tempore Cartesii parabatur. Ille diffidebat argumentis quinque viarum, ut etiam probationibus immortalitatis; sic et Malebranchiani cum traditionalistis; a fortiori positivistae, qui omnes roborantur agnosticismo speculativo-metaphysico Kantii. Hinc exsistentiae Dei animique immortalitati applicarunt aphorismum Sabatier: veritatem christianae religionis ostendi non posse, sed in pio affectu sentiri, in interna experientia accipi, cognosci certo.

Nova apologetica veteri succedat necesse est, non ex non valore sed ex inopportunitate veteris; in methodo *inversio* imponitur. Videlicet: *a*) In apologetica *classica*, ad hoc ut actus fidei rationaliter ponatur, seu ad hoc ut intellectu voluntateque nos Ecclesiae quasi divinae institutioni submittamus, prius ratio per metaphysicam et historiam addiscere tenetur praeambula fidei, i. e. exsistentiam Dei personalis, locutionem Dei ut possibilem et ut factum, miraculorum exsistentiam...; sequitur iudicium credibilitatis (possum credere) et credenditatis (debeo credere) doctrinis revelatis. Igitur haec methodus est *obiectiva*, supponit speculativam metaphysicam *ut validam*, quae nempe de metaphysicis certitudinem gignere queat; ideoque prius speculative cognosco Deum, miracula...; deinde credo; est *theoria intellectualista*. *b*) *Nova apologetica* rem invertit per theoriam *anti-intellectualistam*. 1) Initium methodi sistit in quadam velut *categoria* a priori animam comitante; quaeque α) proxime est affectus animi et *volitio* fidei, β) remote naturalis *indigentia* subsidii. 2) Sequitur *actus credendi* seu fides ipsa. 3) Venit deinde *cognitio* quod haec fides *veritate ornatur;* unde non quia prius viderim miraculum, aut Deum exsistere hominibusque se communicare posse, actum fidei elicui, sed e converso quia prius actum posueram fidei, ideo per posterius convincor de Deo, de veritate miraculi. Brevi: *unica* remanens *apologetica* ea est, quae cum omissione metaphysicae (externae) animam capit a suis intimis *indigentiis* et aspirationibus (ab interno animi), diciturque moralis, psychologica, et socialis, seu valorum (1).

4. *Blondel* immanentista, dux immo fautorum viae immanentiae et indigentiae. Iuxta illum speculatione de phaenomenis tantum docemur *subiectivisque* apparentiis non de *noumenis*, i. e. non de rebus ipsis, non de ontologico ordine; ut sine *practici* subsidio intellectus, qui volitivas perpendat actiones, in mundum ipsum transire tuto nequeamus. Sub tali autem adiutorio, atque sub expansivo animae impulsu plures erumpunt metaphysicae veritates, firmiter in ordine theoretico nec minus practico (obligationum) evincentes. Unde et sua methodus (« Immanentiae » et « Autonomiae » ab ipsomet appellata) kantianismus est, agnosticismus theoreticus. Tunc sane, quia res in se non attinguntur, probatio vere *obiectiva* nulla confici poterit de metaphysicis veritatibus (exsistentiae Dei), cum praesertim practicus solum intellectus possit iuxta illum applicare principium causalitatis (2). Praedicta aut Modernismus aut via ad eum dicentur. De Modernismo ipso plenius in Sacra Theologia (3).

101bis. — Iam *adversarii* in compendio: 1º *Athei*, materialistae, monistae, qui Deum personalem recusantes, nullam possunt eius probationem acceptare.

2º Qui Deo vere tali admisso, ad plenam tamen de eiusdem exsistentia aposterioristicam certitudinem in philosophia reclamant titulo roboramenti partis theoreticae specialem *fidei* sensum et *moralitatem*, vel simpliciter dictamina rationis *practicae* (Kant, Neo-Kantiani, Modernistae).

---

(1) Cfr. Klimke, *Instit. Hist. Philos.* 2º, pp. 310, 311.

(2) Ita etiam Neo-Kantiani fideistae. Hinc Laberthonnière « intellectualismo » scholae opponens « dogmatismum moralem actionis », ait: « L'explication de la certitude par l'action: pour connaître l'être et pour y croir il faut coopérer à se donner l'être à soi-même dans sa vie librement voulue ».

(3) Interea cfr. Encycl. « Pascendi dominici gregis » 7 Sept. 1907 (Denz. 2071-2109), in qua phases, placita, confutatio Modernismi profunde tractantur.

3º *Traditionalistae*, sine distinctionibus tenentes naturali rationis lumine Deum ostendi non posse (1).

102. — *Probatur.* A posteriori tunc vere demonstratur, quando ex effectu ontologice *posteriori* evidenter in praemissis prout tali cognito, in notitiam venitur pariter certam causae ontologice *prioris* in conclusione. *Atqui* mundanas res intellectus speculans deprehendit easdem indubie effectus esse, rursumque (sola speculatione) certam derivat exsistentiam *causae proportionatae*, quae ultimatim esse teneatur ens a se. *Ergo* humanus intellectus etiam mere theoreticus exsistentiam Dei ex mundo demonstrare potest.

Mai. Si ex *umbra* circulari, a Terra supra Lunam iactata, *ad figuram* Terrae sphaericam, aut ex intellectione spirituali ad facultatem transimus spiritualem, veram instituimus *aposterioristicam* demonstrationem.

Min. Res enim mundanae characteres prae se ferunt rei *factae* claros, indubios. Atqui omnis effectus suam postulat causam; quam quidem in casu nonnisi incausatam ultimatim esse posse sola iam ratio invicte discursuque mere speculativo demonstrat (infra). Ergo.

Ad mai. Seipsas scilicet *contingentes* praebent, *limitatas*, *variabiles*. Atqui ens a se (ens non factum) necessarium est, illimitatum ac immutabile prorsus. Ergo res mundanae sunt certo *effectae*, seu *effectus*.

Nota. Haec nunc sufficiant; amplior singulorum evolutio capite sequenti.

103. — *Obi. I.* Ut e creatura concludi sua causa possit, creatura in praemissis erit sumenda tamquam *effectus suae causae*, nempe *Dei*. Atqui hoc *praeviam* Dei exsistentis notitiam supponit. Ergo exsistentia Dei ex creaturis demonstrari nequit.

R. N. M. vel *Dist.* Sumenda erit *formaliter* ut effectus suae causae, *N. Virtualiter* ut effectus suae causae, *C. M.* — *Ctr. m.* Sumere creaturam formaliter ut effectum Dei, supponit... *C.* Sumere illam solum virtualiter ut effectum Dei, supponit... *N. m.* — *N. cons.*

Explico. In praemissis creaturam assumo, qualis in se manifestatur, *rem* mutabilem, limitatam, contingentem; *infero* ipsam *effectum* esse *alicuius* causae; *ulterius* infero causam hanc ultimatim nonnisi ens *a se* posse esse, *Deum;* tunc concludo non prius: « ergo Deus exsistit ». Tunc etiam primo *formaliter* novi rem illam esse effectum suae causae, *Dei;* seu causam illius rei esse praecise Deum. Quia tamen e *mutabili* creatura fluebat conclusio, creatura iam in praemissis *virtualiter* nota erat ut effectus *Dei;* id immo necesse erat, cum praemissae conclusionem *virtualiter* contineant (Cfr. Logicam).

104. — *Obi. II* (Inst.). Entis *Supremi* excellentia omnem vetat eiusdem ab alio derivationem. Ipsummet enim *prima* veritas est. Atqui deductione in *secundam* converteretur ordinisque secundi. Ergo deduci nequit (2).

Resp. In his *ontologicum* clare cum *logico* confundi. In forma: *D. M.* Est prima in ordine *ontologico*, *C.* In ordine *logico*, *Sd.* pro intellectu *Dei*, *C.* pro intellectu hominis, *N. M.* — *Ctr. m... logice* i. e. secundo a nobis *cognitam post* alias, *C.* secundam, i. e. quae a nobis decernatur *in se ontologiceque* secundam esse, *N. m.* — *N. cons.*

Inst. 1. Atqui ne *logice* quidem derivari potest. Nam *conclusio* participat *minus* de veritate absoluta, quam praemissae. Atqui veritas Supremi et Absoluti entis tam suprema est, ut *supra illam* nulla nec metaphysice nec logice sit collocanda. Ergo Deus ne in ordine quidem logico potest esse veritas *derivata*, seu veritas *conclusionis*.

R. D. M... minus, quam praemissae de veritate *logica* in intellectu sic cogno-

---

(1) In professione fidei anti-modernista, quam initio cursuum academicorum doctores sacri sub « *iuramento* » pronuntiant (sic Pio X disponente), allusio ad haec habetur, ad pleraque valde explicita.

(2) Franck, *Dictionnaire des Sciences Philosophiques*, « *Dieu* » versus medium (3ª Edit. Paris, 1885, p. 393, col. I, « On ne sera pas étonné... »). Loquitur de inductione eamque cum deductione nimis confundit.

scente, *C.* vel *Tr.* (saltem non magis); de veritate absoluta *ontologica* in ipsa re, *N. M.* — *Ctr. m.* Est tam suprema, ut ante illam nulla in nostro intellectu collocari queat veritas prioritate *logica* seu in ordine cognoscendi, *N.* Ut intellectus noster decernere non possit aliam *ontologicam*, radicem Entis supremi in essendo, *C. m.* — *N. cons.* Per haec solves instantias ex legibus syllogismi, v. g.:

Inst. 2. De natura demonstrationis est: *a*) Ut medium (praemissae) *contineat* conclusionem. Atqui creatura non *continet* Deum. Ergo Deus ex creatura deduci nequit. *b*) Conclusio latius ne pateat quam praemissae. Atqui pateret, si e *creaturis* concluderetur Deus. Ergo nequit sic concludi.

R. ad a) *D. M....* contineat *logice*, *C.* Etiam *ontologice*, *Sd.* in demonstratione a priori, *C.* In demonstratione a posteriori, *N. M.* — *Ctr. m.* Creatura non continet Deum ontologice, *C.* vel *Tr. Logice* pro nobis, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. 1º *Physice* creatura non est Deus, nec pars Dei, nec scintilla Dei; multo minus *causa* Dei; hinc Deum *proprie* non continet physice, nec formaliter (adaequate aut inadaequate) nec virtualiter; adhuc qua est *effectus* Dei eiusque vestigium, quadantenus etiam physice Deum continet (si ita loqui fas sit) ob *realem* effectus cum causa *connexionem* et imaginis cum re; a quo tamen idiomate abstinendum potius erit, ob periculum pantheismi.

2º *Logice* creatura continet Deum; noster enim intellectus, limitatae contemplans contingentiam creaturae, rationem *effectus* in ea clare deprehendit infertque realem *causam*, adaequate eidem proportionatam, Deum; igitur creatura Deum *logice trahit*, seu virtualiter logice continet Deum.

R. ad b) *C. M.* — *N. m.* eiusque suppositum; in praemissis adest creatura affirmata, sed affirmata *qua effectus*, hinc adest affirmata *necessitas* causae dantis esse, quae causa ultimo incausata sit. Igitur conclusio, *formaliter* aiens Deum dari, nihil ait quod in praemissis *virtualiter* non insit, ideoque conclusio latius quam praemissae non patet.

105. — *Observa.* Sub hoc obiciendi genere aliquid latere solet non verum; medium et extrema in praemissis esse « *creaturam* », « Deum ». Profecto medium est « dicens causam proportionatam », extrema autem « creatura effectus » et « dicens Deum » (1). Ea videlicet nunc aequivocatio committitur, quam in tractatu de principio causalitatis reprobavimus (Cfr. Met. Gen.), cum obicienti: subiectum « effectus » non continet praedicatum « causam »; igitur hoc principium non est analyticum; respondebamus: praedicatum non est « causa » sed « habens causam » seu « dicens causam », quod certe identificatur cum subiecto. Meminerimus sane imperfectum, quin entitative cum perfecto identificetur, ad perfectum appellare seu perfectum *illative* trahere posse, si cum hoc *connectatur;* v. g. intellectio *accidens* infert animam *substantiam*, etc., in quantum scilicet exsistentia imperfecti impossibilis ostendatur sine exsistentia perfecti. Hinc etiam solutio ad

106. — *Obi. III.* In omni demonstratione praedicatum significare tenetur *idem* prout applicatur *subiecto* in conclusione et *medio* in praemissis, ne quatuor sint termini. Atqui praedicatum « exsistens » variat significationem, prout in praemissis *creaturae*, in conclusione autem *Deo* tribuitur. Ergo nihil demonstratur.

R. C. M. — *N.* suppositum Minoris. In rigore nec « creatura » est medium, nec « exsistens » praedicatum conclusionis; porro demonstratio sub *uno* syllogismo haec esset:

Omnis *effectus exsistens* est dicens ultimo Deum exsistentem.

Atqui res mundanae sunt *effectus exsistentes.*

Ergo res mundanae sunt dicentes *ultimo* Deum exsistentem (2).

---

(1) Syllogismus in rigore esset: Creatura effectus est « *dicens causam proportionatam* ». Atqui *dicens causam proportionatam* est dicens Deum exsistentem. Ergo creatura effectus est dicens Deum exsistentem.

(2) In forma syllogismi condicionalis sic: Si exsistunt creaturae, effectus, exsistit et Deus. Atqui exsistunt creaturae, effectus. Ergo exsistit Deus. Ubi Deus exsistens, absolute in conclusione affirmatus, idem est cumque *eadem* exsistentia, ac ille qui in Maiori condicionate fuerat affirmatus.

Praedicatum idem sub significatione *eadem* applicatur subiecto in conclusione et medio in praemissis; effectus enim contingenter exsistens trahit connexive ens a se, atque huius exsistentia ponitur in praemissis; unde termini, in praemissis et conclusione *univoci*, manent tres. Idipsum in aliis quoque habemus: v. g.: Accidens spirituale exsistens est *dicens substantiam* spiritualem exsistentem. Atqui intellectio est *accidens* spirituale in homine exsistens. Ergo intellectio hominis est *dicens substantiam* spiritualem exsistentem.

107. — *Obi. IV.* In Deo essentia et esse identificantur, i. e. *sua* quidditas etiam formaliter est *suum esse*. Ergo de *esse* Dei cognoscere *plus* nequimus quam de *quidditate* Dei. Sed quidditatem discursu non penetramus. Ergo nec esse.

R. C. Antec. eiusque *cons.* — *Dist. m.* Non penetramus quidditatem *quidditative*, *C.* ne analogice quidem nec sufficienter ut *veram* pronuntiemus quidditatem et a reliquis *distinctam*, *N. m.* — *D. par. cons.* Quidditative, *C.* Ne *analogice* quidem nec sufficienter ad affirmandum tale esse *reipsa dari* ab aliisque distincte separari, *N. cons.*

Explico. Esse Dei novimus, *quantum sufficit* (ait Angelicus) ad « compositionem intellectus », i. e. ut efformare possimus iudicium « Deus est aliquid actuale ». Videlicet: 1º Non est idem cognoscere de aliquo *an sit;* et cognoscere distincte singulas notas, quibus *quidditas* illa illudve *esse* reipsa constituitur. Novisse de aliquo *mere an sit*, quid valde *genericum* novisse est, realitatem seu *statum* eius realem, qui status exprimitur voce abstracta « exsistentiae ». Vel hoc ipsum supponit iam quidditatem quoque notam fuisse; de aliquo enim nescitur an sit, nisi sciatur quid sit (Cfr. Log.). Ad hoc autem *imperfecta* quidditatis notitia sufficit, si a reliquis hanc separet. Iam quidditas Dei hoc gradu in nominali ipsius definitione praevieque ad quaestionem an Deus sit innotuerat. Discursu deinde obtinuimus talem quidditatem (vix adhuc delineatam, specialem tamen planeque ab aliis separatam) reipsa *dari*, in *statu* versari *actuationis* (contra statum possibilitatis aut chimaerae). Huius rursum *status* cognitio, uno quidem sensu, i. e. sub respectu *obiectivo* exsistentiae *ut sic*, in *indivisibili* sistit (quidlibet aut est aut non est: nec datur medium); ut etiam *possibilitas*, pro pluribus indeterminate cognita, respectu *obiectivo* possibilitatis *ut sic*, in indivisibili est (aut est aut non est possibile); respectu tamen *subiectivo*, i. e. secundum maiorem minoremve *certitudinem* de eiusdem exsistentia (aut possibilitate) perfectio cognitionis augeri potest, manente obiecto sub imperfectione et indeterminatione quidditativa eadem tum quoad quidditatem tum quoad esse.

2º Sequitur *progressus* in penetratione quidditatis per additionem, remotionem, notarum (utcumque perceptarum) iuxta exigentias quidditatis. Quotquot autem progressus in cognitione *quidditatis* divinae fiant, progressus quoque erunt in cognitione τοῦ *esse divini;* quot notis nempe praedicatisve *quidditatem* Dei determino, totidem notis determino τό *esse Dei*. De aliquo facile constare potest esse *quidditatem* i. e. quid aut actuale aut possibile; si de eo insuper noverim *exsistere*, novi aliquod *esse adhuc vagum*. Si progrediens, in eadem repererim quidditate notas viventis, animalis..., totidem reperi et de *esse;* hinc utrumque, primo vage cognitum, paulatim perficio ac determino. Si notas quidditatis determinativas per conceptus attigerim non proprios sed *analogicos*, tunc quidditatem, consequenter et esse, non *quidditative* sed *analogice* solum novi, *distincte* tamen, cum sufficienter illud a reliquis secernam. En historiam de nostra Dei cognitione. Atque memorata quidditatem inter et esse cognitiva correlatio in aliis quoque verificatur; si enim cognita cuiusvis entis exsistentia (seu eius statu reali actuali), huius deinde constitutivis studeamus, in penetratione et determinatione τοῦ esse progredimur tantum, quantum in penetratione et determinatione quidditatis.

3º Eadem ab Aquinate innuuntur: « Dicendum quod *esse* et *ens* dicitur *dupliciter*, ut patet V Metaphys. (lib. 10, text. 13 et 14). Quandoque enim significat *essentiam rei*, sive *actum essendi;* quandoque vero significat veritatem propositionis, etiam in his quae esse non habent, sicut dicimus quod caecitas *est*, quia verum est hominem *esse caecum*... Primo modo est idem *esse* Dei quod est *substantia;* et sicut

eius substantia est *ignota*, ita et esse. Secundo autem modo *scimus* quoniam Deus *est*, quoniam hanc propositionem in intellectu nostro concipimus ex effectibus ipsius » (De Pot., q. 7, a. 2, ad 1).

108. — *Obi. V* (Inst.). Contenditur nos a posteriori *perfecte* cognoscere quod Deus *sit*. Atqui tunc et *esse* Dei *perfecte* cognosceremus, inde quidditatem ipsam, quod falsum est. Ergo Deus a posteriori non demonstratur.

R. D. M. Perfecte *subiective*, i. e. quantum ad nostram de *veritate* iudicii certitudinem, *C.* Perfecte *etiam obiective*, i. e. respectu ipsius *obiecti* tunc cogniti, *Sd.* In quantum perfecte novimus *statum* eius realem prae contrario, *C.* in quantum perfecte novimus vel ipsam *constitutionem* illius, quod in statu realitatis reperitur, *N. M.* — *Ctr. m.* Si scire aliquid *certo* exsistere, esset scire perfecte eiusdem *constitutiva*, *C.* secus, *N. m.* — *N. c.*

Explico ex aliis. Sub notione animae vulgari, *certo* scire possum (hinc perfecte *subiective*) animam in Petro *dari*, quin eiusdem *constitutionem* fere penetrem; tunc adest (si placeat) scientia perfecta quoad *an est*, seu quoad *exsistere ut sic* animae, prae non exsistere eiusdem, minime autem quoad *quid est* quidditas et esse animae.

Sane etiam cognoscens animam exsistere, constitutionem τοῦ esse animae non penetro, nisi in gradu quo quidditatem animae penetro. Eadem Deo applica.

109. — *Observa* 1. Quod esse identificetur vel secus cum quidditate *non influit* in dictam notitiarum correlationem; unde et haec de creatura Deoque pariter verificatur; sed influit *in aliud;* vera enim quidditas de Deo cognita fert secum cognitum *eius esse;* non autem sic de creatura, cuius quidditas non involvit suum esse. Quod si experientia *certo* cognoveram illam exsistere, tunc *statum* eius *ut sic* perfecte novi; de *constitutivis* tamen τοῦ esse physici eiusdem non magis novi, quam quod de notis noveram *quidditativis*, prout quidditas a statibus praescindit.

110. — *Observa* 2. Sicut ex *entibus* concretis abstrahimus *ens ut sic*, *entitatem ut sic*, et sicut ex possibilibus abstrahimus *possibilitatem ut sic;* ita etiam ex esse actualibus abstrahimus *exsistentiam ut sic*, seu *actualitatem ut sic;* atque facilius de aliquo scimus eidem convenire abstractum seu notam in genere quam concretum seu specificam determinationem. Ceterum in his abstracta a concretis non distinguuntur realiter, ut patet; a parte rei dantur concreta esse; abstracta ipsa a concretis solum mentaliter separantur. Videlicet: 1) In re datur *ens* reale actuale determinatum, non *entitas ut sic*, non actualitas ut sic. 2) Inter possibilia (inter potentias obiectivas) datur *possibile* determinatum, non autem *possibilitas* separata a possibilibus singulis; ideo *possibilitas* non potest *actuari*, quia non est unum ex possibilibus. 3) Actualia sunt esse determinata, sed non sunt *exsistentia* ipsa *ut sic* vel actualitas ut sic, quasi actualia essent quidam actus respondens *possibilitati ut sic;* non datur talis actus; formae enim abstractae, i. e. possibilitas ut sic, actualitas ut sic, sunt opus mentis, separationes mentales.

111. — *Obi. VI* (Inst.). Qui veritatem iudicii perfecte novit, perfecte novit et *praedicatum*. Atqui praedicatum in iudicio « Deus exsistit » est *esse Dei*. Ergo demonstrans exsistere Deum, *esse ipsum Dei* perfecte cognosceret, quod tamen fieri non posse scimus.

R. 1° *Tr. M.* — *N. m.* Praedicatum est « aliquid exsistens »; hoc autem bene novi. Hinc *R.* 2° *D. M.* i. e. perfecte novit praedicatum convenire subiecto, seu *connexionem* praedicati cum subiecto, *C.* Perfecte novit ipsam praedicati *constitutionem*, *N.* vel *Sd.* i. e. novit praedicatum *formale* seu praedicatum *eo gradu* (determinatione), sub quo illud de subiecto affirmat, *C.* Novit perfecte praedicatum *materiale*, rem scilicet praedicati, prout in subiecto actuata reperitur, *N.* vel *Sd.* 2° Si subiectum ipsum *perfecte* noverat, *C.* Secus, *N. M.* — *Ctr. m.* Praedicatum materiale, *C.* formale, *Sd.* Est esse Dei, seu exsistens divinum cum plena determinatione eiusdem divini esse constitutiva, *N.* Indeterminate et in vago, *C. m.* — *N. cons.*

Explico. Praedicatum *formale*, seu quod subiecto « Deo » intellectus applicare intendit, non est praecise ac determinate « exsistens *divinum* », « esse *Dei* »; sed

« *aliquid* exsistens », « *aliquid* actuale »; aliquid licet vagum, ad intentum tamen iudicii sufficiens: certo scire Deum esse ens *aliquod participiale*. Sed adhuc ipsa τοῦ esse natura constitutioque sat vaga cognitioni substat, non minus quam quidditas, quae in subiecto noscebatur. Porro iudicium « Deus exsistit » aequivalet huic: « Quidditas illa subiecti " Deus „ est actuata seu quid a *parte rei* ». Hoc solo identitatem praedicati cum subiecto perfecte novi; rem vero praedicati (praedicatum *materiale*) ut in *concreto* realiterque cum subiecto identificatur, neque profundius novi neque distinctius, quam praevie subiectum noveram in nominali Dei definitione.

112. — *Obi. VII.* Cognoscens inter et cognoscibile *proportio* requiritur. Atqui inter Deum hominisque mentem proportio nulla est. Ergo Deus a nobis cognosci nequit.

R. D. M.... proportio praecise *univocationis entitativae*, *N.* aliqua, i. e. habitudinis seu convenientiae in aliquo ordine v. g. *attingibilitatis*, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

Explico. 1. *Maxima* quidem inter duo proportio *univocationis entitativae* est; varie: *a*) *specifica* ut inter Petrum et Paulum; *b*) *generica proxima* ut inter Petrum et equum; *c*) *generica remota* ut inter Petrum et lapidem... 2. Dantur tamen et aliae adhuc *magnae;* v. g. forma proportionatur materiae in ordine *actus et potentiae;* substantia accidenti in ordine sive subiecti et formae, sive potentiae et actus, sive perfectibilis et perficientis, etc. 3. Alia *minor* in *habitudine* consistit cogniti ad cognoscens estque *intentionalis* ipsa *unibilitas* e determinata utriusque indole nascens et quasi graduata. In hoc videlicet ordine: *a*) *sensibile* intellectui bene proportionatur, licet entitative tam distans ab eo sit, ideoque per prius immateriale reddendum (per species). *b*) *Spirituale* autem, secundum entitatem adeo ad intellectum accedens, eidem *minus* proportionatur, quin extra adaequatum tamen intellectus radium vagetur; inter spiritualia recensetur Deus.

113. — *Obi. VIII.* Intellegens et intellegibile in eodem genere sint oportet. Atqui Deus et homo in eodem genere non sunt. Ergo Deus ab homine cognosci non potest.

R. D. M. i. e. in eodem poni debent *intentionali ordine* immaterialitatis, *C.;* i. e. sub eodem praeterea entitative reali genere, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

In his similibusque « genus », « eiusdem generis »,... sonant quasi « ordo », eadem « linea »...; hoc ipsum non praecise *entitative*, sed in *habitudine tactiva* per subsidium *intentionale;* hinc necessitas specierum *spiritualium*, ut corpora mente percipiamus, etc. In aliis quoque idioma adhibetur; unde v. g. « Actus et potentia debent esse in eodem genere » minime praecipit ut si potentia, v. g. *substantia*, in genere « substantiae » est, eius quoque actus, accidens, in eodem *entitative* genere sit (est in diverso); sed hoc solum: si potentia est loquendi, actus eius sit locutio, i. e. in eodem genere seu *ordine loquendi* positus, non in ordine *currendi*, aut intellegendi... Determinata enim potentia seu facultas ad actum ordinatur non quemlibet, sed ordinis lineaeque fixae, extra quam non est potentia.

Inst. Sensus, quin infinite a spiritu distet, adhuc rebus spiritualibus etiam intentionaliter improportionatur. Ergo a fortiori intellectus a Deo infinite distans, vel intentionaliter huic improportionatus erit.

R. N. parit. Sensus in suo operari intra sensibilia *absolute* clauditur, unde pro sua intentionali functione infinite ab omni spirituali distat; intellectus vero non sic respectu ullius entis etiam infiniti (Cfr. Psych. de obi. adaeq.).

114. — *Obi. IX* (Inst.). Deus *qua Deus* nesciendus manet. Etenim ex effectu huic causae *improportionato* haec praecise causa deduci nequit. Atqui creaturae, finitae omnes, Deo *infinito* non proportionantur. Ergo per hanc viam Deus, *qua Deus*, cognosci nequit.

R. D. M. i. e. *constitutio* causae *plena* perque omnes eius notas depicta, *C.* Ne exsistentia quidem huius praecise causae, *N. M.* — *Ctr. m.* Non *entitative*, *C.* Ne

habitudinaliter quidem, *Sd.* qua incapaces trahendi nobis ens supremum, *N.* totam eius perfectionem, *C. m.* — *N. cons.*

Explico. Ex *unico* animae effectu *spirituali* fluit *exsistentia* animae spiritualis, a reliquis penitus *distinctae*, quin tamen fluat aperitio *totius naturae* animae. Ita in casu, nec aliud intendit demonstratio a posteriori.

115. — *Obi X* (Inst.). Sed nullo modo. Quaevis nostra cognitio fit per speciem a *phantasmate* haustam. Atqui a phantasmate species, Deum *qua Deum* repraesentans, hauriri nequit. Ergo Deum nullatenus novimus.

R. 1° Obiectio nimis probat. Ne disputare quidem possemus de Deo, si nulla de eo idea, nullum esset iudicium possibile.

R. 2° *D. M.* Per speciem obiecti sive propriam sive analogicam, *C.* Praecise propriam, *N.* vel *Sd.* Si est cognitio intuitiva aut quidditativa directe, *C.* Si est mere abstractiva et indirecta ex aliis, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

Inst. Per species *analogas* Deus *qua Deus* cognosci nequit. Qui enim Deum ita cognoscit, habebit de Deo conceptum non proprium sed *communem.* Atqui conceptu non proprio Dei Deus a reliquis non distinguitur. Ergo Deus qua Deus sic nescitur.

R. D. M. Habebit conceptum non proprium *ex propriis, C.* Nec proprium ex *alienis, N. M.* — *Ctr. m.* Si conceptus neutro modo est proprius, *C.* Si conceptus licet non primo est tamen altero modo proprius, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Conceptus *proprius* rei rem hanc ab aliis distinguere semper tenetur; hinc opponitur *communi*, qui non est sufficienter distinctivus, ut animal non distinguit hominem ab equo. Sed conceptus *proprius* duplex est, duplici obtentus via: 1° *Perfecte* per *propriam* rei speciem, huic rei destinatam (1). 2° *Imperfecte* per species *alienas* seu alteri rei destinatas; aliunde emendicatas. Unde: Conceptus *proprius ex propriis* opponitur sive *communi* sive *analogico* seu *proprio ex alienis; proprius* autem *ex alienis* seu *analogicus* opponitur solum *communi* (2). Noster de Deo conceptus solum *analogice* proprius est, ut ex eius genesi apparet. E creaturis scilicet notionem *causae* et notionem *primi* sumimus, utrumque in causa Deo *unimus;* Deum iam a reliquis causis rebusque bene separamus. Seu hoc solo quod alibi sparsas notas *causae* (in Sole) et *primi* (in rebus successive locatis) in Deo coniungimus, quidditatem Dei inconfundibiliter notamus; hoc sensu conceptus est *proprius.* Sed quia elementa «causa, primum» (sive soluta, sive in unum conserta) speciem dant valde distantem a forma quidditatis in se, species, qua Deum attingimus, in seipsa minime aptatur Deo, in se non destinatur ad repraesentandum Deum, sicut destinatur species, quam de se habet Deus, essentia divina; ideoque noster conceptus de Deo non erat proprius *ex propriis*, non proprius *quidditativus.* Quae et in aliis nostris cognitionibus verificantur, v. g. dum *spiritualia* per species rerum *materialium* attingimus (Cfr. Psych. «De obiecto intellectus»).

116. — *Obi. XI.* Sine *medio* cognito non datur demonstratio. Unde: Medium demonstrationis est *quod quid rei*, i. e., definitio rei (Arist.). Atqui quod quid Dei nobis ignotum est. Ergo exsistentia Dei demonstrari nequit.

R. 1° *C.* assertum de *aliqua* cognitione medii, i. e., de sufficienti ad praedicatum intentum; *perfecta* non requiritur. Ad arg.

R. 2° *D. M.* In demonstratione *a posteriori, N.* In demonstratione *a priori, Sd., quod quid* saltem *nominis, C.;* praeterea, *quod quid rei, Sd. Imperfecte* saltem cognitum, *C.; perfecte* cognitum, *Sd.* ad proprietates *omnes quidditative* derivandas, *C.;* ad *quaedam* leviter attributa cognoscenda, *N. M.* — *Ctr. m. Quod quid nominis, N.* Quod quid rei *perfectum, C. m.* — *D. pariter cons. Nequit a posteriori, N.; a priori, C. cons.*

---

(1) Producitur directe a re illa; licet enim *absolute* posset eam Deus immediate in nobis producere, de facto non producit (species *innatas* Psychologia damnat).

(2) Pro conceptu *analogico nova* species impressa non est requirenda, nec per intellectum *agentem* producta, nec per intellectum *possibilem;* sed hic speciebus utens propriis, easdem alienis rebus adaptat, seu per easdem intellegit res *analogas;* prout in Psychologia quasi probabilius habuimus. Species *expressas* (*verba*) utique novas efformat, sicut efformat *novas* intellectiones; patet.

Explico: Distinctiones sunt *generales* de apriorismo; *specialia* de apriorismo circa *exsistentiam Dei* nota nobis sunt (ex prop. I). In generalia reflectamus. *Medium* pro *qualibet* demonstratione sufficienter esse cognoscendum patet; nec minus evidens est, quod si reflexe aliquod problema solvimus « num Deus sit », obiectum conclusionis (subiectum et praedicatum) praecognitum esse debeat *quoad quid nominis;* sciendum enim de qua re agatur. Paulo aliter dic de eo, qui de radicali creaturarum ad sui esse insufficientia prima vice cogitans, quin prius de Deo cogitaverit, exinde Marte proprio ad Deum transiens, iudicet : « Deus exsistit »; in illo enim coincidere posset (simultaneare) notio etiam nominalis Dei cum demonstratione exsistentiae Dei.

Sed quaestio erat de *medio.* Iam ne hoc quidem *perfecte* sed imperfecte est cognoscendum in genere. In casu autem Deus, si esse vellet medium in argumento *aprioristico exsistentiae* Dei, tunc utique *quidditative* deberet cognosci (prop. I), sed minime in deductione attributorum *ordinaria* (quam infra exsequemur), nisi quis essentiam *exhaurire* a priori contenderet, *omnia* educens infinita attributa, unumquodque immo secundum formam sui quidditativam distincte percipiendum; quod nulli prorsus creaturae concessum est. Atque haec in gratiam dicuntur doctrinae, philosophus enim de solo *apriorismo* agebat.

117. — *Obi. XII.* Quaedam leviora; v. gr.: Si propositio « Deus exsistit » vere demonstratur, 1) non est *prima* veritas; 2) non erit *immediata;* 3) non erit *analytica* sed *synthetica.* Atqui haec falsa sunt. Ergo demonstrari nequit.

Resp. Similia iam pridem sive explicite sive implicite soluta manent. Nunc brevi *R.* ad 1): *D. M.* Ontologica, *N.;* Logica pro homine, *C. M.* — *Contr. m.* — *N. cons.* Primae veritati ontologicae opponitur solum demonstratio *a priori,* non *a posteriori.* Ad 2) *N. M.* vel *D.,* non erit immediata *in se, N.,* quoad nos, *C.* Propositioni immediatae opponitur quidem aprioristica demonstratio, minime vero quod *nobis a posteriori* innotescat. Ad 3) *N. M.* vel *D.* Non erit in re *analytica, N.* Non statim *nobis* sine ratiocinio talem se praebebit, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

Explico. Quod propositioni *analyticae immediatae* demonstrabilitas *a posteriori* non opponatur, explicuimus (n. **17**); quod nec *mediatae* opponatur, patet. Psychologus enim a posteriori demonstrat *intellectum* et libertatem homini adesse; nec ideo tamen propositiones has syntheticas appellat, cum *analyticae* sint. Videlicet: propositio in se *analytica* esse potest, licet sine adiutorio aposterioristico id nos ignoremus; seu: aliud est *esse analyticum,* aliud *analytice* id nobis constare.

118. — *Obi. XIII.* Omnis demonstratio fit ex medio *notiori* et *priori,* quam sit conclusio. Atqui creaturae nec priores Deo sunt nec notiores. Ergo Deus ex illis ostendi nequit.

R. D. M. Fit semper ex mediis *logice* quoad nos talibus, *C.* ex mediis insuper *ontologice* talibus, *Sd.* demonstratio a priori, *C.* a posteriori, *N. M.* — *Ctr. m.* Ontologice et logice pro Deo, *C. Logice* pro nobis, *N. m.* — *N. cons.* Habentur omnia ex ipsis supra datis notionibus de demonstratione sive in genere sive in specie (nn. **43-47**).

119. — *Obi. XIV.* Omnis demonstratio fit ex *necessariis.* Atqui creaturae non sunt necessariae. Ergo ex creaturis nulla fieri potest demonstratio.

R. 1° Nimis probat: Ego sum homo; ergo sum liber. Non sequeretur, quia ego non sum ens *necessarium.*

R. 2° *Directe. D. M.* i. e. omnis demonstratio nititur aliquo *principio* universali et necessario, *C.;* i. e. quidquid in praemissis ponitur, in primis medium, esse debet necessarium, *N.* vel *Sd.* absolute vel hypothetice, *C.* praecise absolute, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.* Quidquid est, *dum est,* necesse est esse, hypothetica nempe necessitate. Nulla exstat lex in Logica, quae praecipiat absolutam omnium necessitatem; esset lex falsa.

CAPUT II.

De singulis demonstrationibus validis in specie.

PRAELIMINARIA. *Quinque viae.* — Duplex viarum aspectus. — *Insinuatio historica.* — *Argumentorum classificatio.*

120. — I. *De quinque viis.* Aposteriorismum ingressi, de generica eiusdem efficacia sumus locuti; nunc argumenta ipsa in concreto veniunt proponenda, quorum capita, quinque S. Thomae viae, per plura saecula primo loco in Schola propugnabantur, ut nunc quoque propugnare laudandus mos est; sunt enim tutae rectaeque viae, quasi in quarum terminis spes affulgeat certa illum, quem quaerimus, accipiendi sub nota quadam ut propria Dei elucente.

In duplici viarum aspectu, *historico* et *scientifico*, secundum praeferenter sumimus, ut philosophi digniorem, in se gravem. De *historico* « Valet plus, dixerat Renan, scivisse quid *ingenia* de quodam problemate *cogitaverint*, pronuntiaverint, quam habere propriam de illo problemate opinionem ». In re tamen maxima philosophus multo pretiosius habebit sibi aliisque divinum esse rationibus evincere, cum scientia sociare, quam dissipatas de his opinationes recensere, aequivoca perpendere, omnium historiam fontesque persequi; aut haec ipsa, non tam ut historias, quam ut metaphysicae veritatis adiumenta tractabit.

121. — II. *Partem historicam* excolunt auctores praeprimis iudaei necnon christiani Germanici, qui de valore *scientifico* anxii, primarios arguendi fontes crisi submittunt, puta ex *motore immobili* (ut habetur 1º c. G., c. 13). Scholastici quoque attente perquirunt sensum, formam, extensionem (*el alcance, la portata*) probationum in intentione Aristotelis, Averrohis, Maimonidis, Aquinatis, Scoti... (1); ac de quadam etiam viarum tautologia, synonymia, propinquitate, immo de possibili omnium reductione ad unam, etc. praeoccupantur. Atque haec innuisse nobis sufficiat, si cum recenti critica (praeeuntibus Caietano et Suarez) notemus Albertum et Thomam non uno Aristotelis fonte usos hic fuisse, sed aliorum insuper theologorum, philosophorum, v. g. Averrohis et Avicennae. « Procedamus ad ponendum rationes, quibus tam *philosophi*, quam doctores *catholici* Deum esse probaverunt » (S. Thomas, c. G., l. 1, c. 13).

122. — III. *Classificatio.* Argumenta quinque viarum, quaeque his addi velint, e natura medii non inepte dividuntur in *Metaphysica*, *Physica*, *Moralia.*

1º *Metaphysica*, licet a rebus etiam *sensibilibus* hausta, in his tamen ut *medium* arguendi notam assumunt a condicione *materiae* praescindentem, v. g. rationem *contingentiae*, mutationis, effectus... Quae sane notae, quia de spiritualibus non minus quam de corporeis verae, praecisive *metaphysicae* dicuntur; unde priores quatuor viae metaphysicae sunt, aut esse possunt.

---

(1) Cfr. Amor Ruibal, *Los Problemas fundamentales...*, t. 6 per totum, praesertim c. 11.

2º *Physica* autem a *sensibilibus* deprompta, in iisdem ut *medium* notam accipiunt *sensibilem* obviam, v. g. motum corporeum mechanicum localem, pulchritudinem universi, ordinem. Huc facit: *a*) ultima quinque viarum ex ordine mundano; *b*) argumentum ex motu (1ª via) si motus *stricte* sumatur i. e. *corporum* tantum, prout veteres passim paucique recentes sumpserunt; praevaluit tamen acceptio motus *latior*.

3º *Moralia* tandem in consensu fundantur populorum vel in legibus moralibus, tendentiis, modo volendi, modo agendi creaturae liberae, etc.

123. — Circa quam partitionem: *Observa a*) In singulis trium classium argumentis aliquid aderit ordinis *ultra-sensibilis*, principium scilicet metaphysicum necnon res aliqua metaphysica, saltem *Deus*, qui in conclusionem nonnisi trans praemissas venit (1). At non exinde, sed ex medio, argumentum suo signatur titulo. *b*) Argumentorum classificatio in metaphysica, physica et moralia a scriptoribus non scholasticis aliter passim proponitur; v. g. *physica* dicuntur, quae e *natura mundi* trahuntur; *moralia*, quae ex *historia*, i. e. ex sociali suasione ac institutionibus; *metaphysica*, quae directe in *conscientia* fundantur ac ratione, excluso concursu facti externi. *c*) *Kantius* argumenta ad tria reduxit: Cosmologicum, Ontologicum, Teleologicum aut Physico-Theologicum. Sub hac divisione (placuit Kantianis in Germania): α) *Cosmologicum*, si ex mundano ente contingente deducit ens necessarium; β) *Ontologicum*, quod ex conceptu entis absolute perfecti, eius exsistentiam derivat; γ) *Teleologicum* tandem, si ex ordine ac sublimi *finalitate* in rerum viriumque proportionibus elucente ad sapientem transit ordinatorem, invisibilem mundi factorem.

Articulus I.

DE ARGUMENTIS METAPHYSICIS

§ I. — *De Motore Immobili* (1ª via).

Propositio VI. Ex motibus entium mundanorum demonstratur exsistentia Dei sub conceptu primi motoris immobilis, a mundo ipso adaequate distincti.

124. — *Praenotanda.* Notiones de motu et mutatione e Cosmologia repetendae:

1. *Motus* est «actus entis (exsistentis, ὄντος) in potentia prout in potentia»; quae quidem definitio est motus *stricti*. Acceptiones autem motus *variae:*

1º *Motus stricte* est mutatio corporis *successiva* et continua, proin accidentalis, inter duos terminos *positivos corporeos* (2); diciturque: *a*) *alteratio*, si mutatio est in *qualitate* (motus ad qualitatem); *b*) *augmentum*, *de-*

---

(1) Sane essentia argumenti aposterioristici huc redit, ut una praemissa sit condicionalis *analytica:* « Si ens contingens exsistit, exsistit et necessarium »; altera sit categorica i. e. verificatio condicionis « res contingens exsistit ». In conclusione veniet assertio categorica condicionati, « Deus exsistit » (Cfr. Schiffini, *Met. Spec.*, II, n. 386, p. 15).

(2) Mutatio est « transitus rei ex uno statu in alium ». Propria; si aliquid, *idem* re, transit ex uno in alium statum, v. g. ferrum ex frigido in calidum. *Impropria;* si quod ab uno in alium terminum transit *non est idem re*, v. g. homo, qui e possibili in statum transit physicum.

crementum, si in quantitate (motus ad quantitatem); *c*) *latio*, si in translatione *locali* (motus ad ubi, motus *strictissime*). Character est motus stricti ut transitus in eo fiat successive perque medium transeundo.

2º *Motus minus stricte* est quaevis corporea mutatio rei *sensibilis* etiam *instantanea;* v. g. mutationes substantiales, accidentales, generationes, corruptiones in corporibus.

3º *Motus late* (large) est quilibet entis cuiuslibet transitus de potentia in actum. *Sic movetur intellectus*, cum a non intellegente fit intellegens; *angelus* si ex possibili fit actualis; *sol* in eius creatione etc.

4º *Motus latissime* quaelibet dicitur operatio etiam *pura*, i. e. licet *sine ullo* exercita *transitu* de potentia in actum. Sic vel *Deus* movetur, ut dixit Plato. Huic igitur motui *nulla*, nec propria nec impropria mutatio necessario annectitur, sicut *ceteris* motibus.

Iam *motum* in propositione *tertio* sumimus *sensu* seu *late;* unde quidquid utcumque ex uno in alium *transit* statum, est diciturque nunc *mobile* eritque fundamentum et fons arguendi, initium primae ex quinque viis, viae ex motu. Hinc

125. — 2. *Mobile* dicitur quod de potentia in actum transit, seu quod motum *a motore* venientem in se recipit.

Motor autem, qui motum in mobili producit; duplex distinguitur: *mobilis* et *immobilis*.

Motor mobilis ille est, qui movet aliud sed ita, ut etiam ipse moveatur, seu qui dat aliquid sed etiam recipit sive tunc sive prius. Est movens *motum*.

Motor immobilis est qui movet aliquid, quin ipse moveatur, seu qui dat aliquid, quin ipse quidpiam recipiat aut amittat; est movens *immotum*. Videlicet:

a) *Motor* omnis continere *actu* tenetur perfectionem, quam mobili dat; qui enim dat, id quod dat, *actu* continere debet; hinc motor in sua *adaequata virtute* continet id quod dat; continet autem vel *formaliter* specifice si est causa *univoca;* vel *perfectius*, *eminentius*, si sit causa *aequivoca*. Respectu tamen perfectionis, *quam dat*, non est necesse ut motor in illius fuerit actu (vel formali vel virtuali) aut semper aut etiam *a se;* immo motor mobilis ad actum perfectionis quam dat, *ab alio* prius reduci debuit, ideoque dat quod *ab alio* acceperat, nec esse iam potest *ens a se*, cuius est *receptum* habere nihil, *irrecepta* omnia; igitur motor mobilis *est ens ab alio*.

b) *Motor immobilis* semper *a se* fuit in *actu* (nunquam in *potentia*) perfectionis, quam causat; dat igitur perfectionem *irreceptam*, nec quidquam aut reciproce acquirit, dum dat, aut amittit; nec ex uno in aliud (de potentia in actum) transit nunc aut unquam transivit, sed in eodem essentiali actu semper manet. Unde motor *immobilis* est ens *a se;* etenim si ab alio esset, ab hoc in actum essendi reductus fuisset, proin et in actum perfectionis, quam nunc alteri dat: seu esset movens *motum;* quod est contra hypothesim.

126. — *Probatur* 1ª *pars*. — « Exsistit motor *immobilis* ». — In mundo perpetuos contemplamur motus ac mutationes, quibus res de uno in aliud, de potentia in actum transeunt, praeprimis de non esse ad esse. Plura nunc in quiete locali, statim motu feruntur, entia *de novo* nascuntur, intellectus ex potente intellegere fit actu intellegens, etc. Brevi: in mundo dantur *novitates*. *Atqui* talium causa motuum est: 1º proxime aliquid *a re mutata distinctum;* 2º remote aliquid *immutabile* seu *immobile*. *Ergo* mundani motus exsistentiam *motoris immobilis* secum inferunt, qui Deus dicitur.

Maior manifesta apparet; adhuc eius probationem sollicite Philosophus instituit (IX Metaph.) contra Megaricos, omnem potentiae actusque distinctionem supprimentes hinc et novitates, nec alia admittentes *possibilia*, quam quae actu exsistunt. « Hi (ait) magnum quid perimunt »; mutationes, causas efficientes... (ut supra retulimus).

Min. 1ª *pars.* Nam « omne quod movetur *ab alio* movetur ». Ergo *causa* mutationis rei debet esse aliquid a re *mutata distinctum;* sic causa caloris ferri aliquid a ferro distinctum, causa equi de novo exsistentis, aliquid ab eo distinctum, etc.

Antec. Etenim: *a*) *Mobile* seu quod in *actum* perfectionis transiit (v. g. in actum τοῦ esse) *hoc actu* carebat, secus in illum *transisse* male diceretur; erat solum in *potentia* (passiva) ad recipiendum talem actum. *b*) *Movens* autem seu ponens mobile in actu illo, aut formaliter aut eminentius eumdem actum possidebat actu; nemo enim dat quod actu non habet. Atqui unum idemque simul habere actu et non habere perfectionem aliquam pugnat. Ergo *mobile*, in actum perfectionis veniens, distinguitur a *movente* seu a causa, quae in tali actu ponit mobile; seu: Ergo « quod movetur ab alio movetur ».

Min. 2ª *pars.* Motor ille, vel et ipse fuerat prius ab alio motus, i. e. ab alio acceperat actum (v. g. τοῦ esse) quem alteri dat, vel non; seu: vel est movens *motum*, vel movens *non motum.* Si 2ᵘᵐ, ergo exsistit motor *immobilis.* Si 1ᵘᵐ, tunc disiunctio applicatur praecedenti motori, deinde praecedenti... *Atqui* in hac mobilium et moventium serie, ad movens *immotum* pervenire necesse est, seu ad dans non recipiens. Ergo exsistit motor *immobilis*, *a se* habens quidquid dat.

Subsumpta. Secus enim per totam seriem curreret realis perfectio, realis actus, cuius ratio sufficiens non daretur. Profecto singuli quidem motores e seipsis incapaces sunt ut *primum* esse dent perfectioni etiam initiale et partiale, cum mere transmissores contendantur. Atqui insufficientia totalis, pluries repetita, aeque est insufficientia, ac semel sumpta. Ergo in collectione actus ille, ex uno in aliud transiens, sine ratione sui sufficiente exsisteret. Ergo series motorum ac mobilium infinita, etsi eam non pugnare immo de facto exstitisse daretur, necessitatem non eluderet motoris immoti, i. e. *a se* perfectiones habentis.

Ad min. Sicut collectio infinitorum zero aequat zero, nec unitatem, quae ex illis oriri ponatur, ullatenus explicat; nec multitudo caecorum (plene talium) plus videt, quam unus caecus.

Pars 2ª. *Ille motor immobilis a mundo adaequate distinguitur, seu aliud a mundo est alietate suppositi.*

127. — *St. q.* Ut motor mox obtentus vere Deus sit, debet a mundo ipso realiter separari non utcumque, i. e. non *inadaequate* solum, quasi pars a toto vel pars a parte, sed *adaequate* ut totum a toto, ut ens ab ente simpliciter (Cfr. notionem Dei, n. **94**). Age vero alietas moventis et moti demonstrata salvatur etiam inter partem et partem unius entis, unius suppositi. Hinc arguet Monista: ex facto discursu sequitur (si placet) aliquid exsistere irreceptum; sed id forsan *intramundanum* est; sit pars mundi *fixa;* sit *anima* mundi, sit fundus primitivus, sit materia increata, irrecepta, diverse sed fataliter sese propria virtute evolvens; iam mundus contingens cum variationibus, quas *nunc* contemplor, erit *momentum* ex infinitis momentis in successiva unici entis evolutione exsistentibus (Spinoza...). Videlicet: ex Pan-

theistis, quorum duplex dogma est negatio creationis et confusio Dei cum mundo, *a*) quidam, v. g. Pantheistae *mystici*, Indiani, Brahmanici et Buddistae necnon Spinoziani, mundum absorbent *in Deo*, in Brahma, in Nirvana; *b*) alii vero, Diderot, Goethe, pantheistae *naturalistae*, absorbent Deum *in mundo*, Deum facientes vim, energiam, animam mundi. In utraque Monismi forma fundus atheismi idem est. Contra utrosque ponitur 2ª pars.

128. — *Probatur 2ª pars.* Motor immotus, perfectiones irreceptas aliis dans aut sibi, est ens *immobile* saltem *qua* possidens et dans *illas* perfectiones (habetur ex 1ª parte); proin motor ille est *ens a se* formaliter, saltem qua ens *eis* donatum perfectionibus. Atqui pugnat ens, quod partim est *a se*, *totaliter* a se non esse; seu: atqui pugnat ens quoad unam partem *a se* formaliter, simul permittens (immo exigens) aliam *sibi* partem ab alio vel etiam a se superaddi. Ergo perfectiones, quae in mundo contingenter apparent et disparent, esse nequeunt *pars* motoris primi, seu aliquid huic superadditum. Ergo primus motor a mundo ipso *adaequate* distinguitur.

Min. Nam ens a se, hoc ipso et solo quod est a se, est etiam ex propria essentia simpliciter *infinitum* et *immutabile* (infra expresse probatur). Atqui ens, e sua essentia infinitum et immutabile, perfectionis aut partis *additionem* admittere nequit, ab alio vel etiam a propria essentia venientis. Ergo ens a se, partim a se partim ab alio, aut etiam partim a se ipso auctum, pugnat.

Ad min. Ens *essentialiter* infinitum idem est ac *formaliter* infinitum, non efficienter aut derivative infinitum; ideoque in *vi essentiae* subsistit ut maximum cogitabile. Ergo *essentialiter* inaugibile est sive ab extra sive ab intra. Sane si ex essentia petit totam perfectionem, hanc ab initio (i. e. semper sine initio) habet *totam formaliter;* nec enim ratio aut externa aut interna cohibens essentiam aut eamdem privans sibi debito actuali assignari potest.

129. — *Corollarium.* Ergo *motor immobilis* est pro idiomate vulgari *ens a se, ens irreceptum;* quia vero ens a se *omnia a se essentialiter* habet, seu quia in eo omnia sunt *essentia*, essentiae autem prorsus immutabiles sunt, *motor immobilis* idem est ac ens *prorsus immutabile* (Id in 3ª via magis evolvitur).

130. — *Scholion I. Via manifesta. An utilis.* Prima via a S. Thoma « manifestior » dicta est, quia « et *sensu* constat aliqua moveri in mundo », et forsan quia a Philosopho intense nec semel illustrata est. Adhuc pluribus displicet: *a*) Tota gyrat (aiunt) conceptibus vagis, terminis archaicis, obsoletis, obscuris; hinc atheis convincendis vix inserviens. *b*) Effatum « quod movetur ab alio movetur » intricat superficiem viae, et a requisito nitore elongat. Resp. 1) Cum agatur de fine elevato, Deo, non mirum, quod viae ipsae sat arduae nec omnibus tam simplices apertaeque statim appareant. 2) Conceptus ipsi, terminis « motoris » etc. expressi, valde fixi sunt nec difficiles; sunt deinde necessarii perennisque actualitatis; principium autem, de motu *lato* sonans (quod sufficit), speciatim de transitu rei *a non esse ad esse*, omnibus perspicuum. Circa alias eiusdem acceptiones et consectaria, utique lites Scholae sunt sine fine. 3) Attentio et intentio non atheos solum spectare debet, sed et Traditionalistas, Criticos, immo Scholasticos; igitur plerique idioma capiunt, et omnes sic ad studium Stagiritae urgentur. Unde prima via laudanda.

131. — *Scholion II.* Ex motu *late* tali argumentum fit *metaphysicum;* si autem *stricte* accipiatur [cum Philosopho (1)] vel etiam strictissime, i. e. pro motu *locali*,

---

(1) *Physic.* L. 7°. — Ita et Farges, *L'idée de Dieu*, p. 61-86; Urráburu, 7°, p. 108... — S. Thomas praeferenter et ipse ad corporeum attendit motum, et localem quasi manifestissimum; se tunc *exclusive* habere non satis constat, cum Deus *movere* dicatur virtutes etiam *intellectuales*. — Cfr. Garrigou-Lagrange, *Dieu, son existence et sa nature*, I partie, n. 34, p. 228.

tunc probatio (physica) aut manca redditur, aut ad novum medium transire cogitur. Etenim motor *immobilis* sic obtentus esse posset aliquis spiritus, qui sane *immobilis* physice erit satisque exigentiis probationis faciens. Progressus ulterior, quod spiritus ille aut Deus est, aut ad Deum ducit, obtineri iam non poterit priori disiunctione « aut et ipse ab alio *movetur*, aut non » (scimus enim spiritum physice *moveri* non posse), sed disiunctione *alia* « aut et ipse erat ab alio *factus*, aut non »; mutatione scilicet *medii* atque ita, ut Deus finaliter obtineatur non qua motor *immobilis*, sed qua ens *incausatum* (Deus 2ae viae). Insuper sub hypothesi motus *physici* probandum esset (contra Mechanicistas, Dynamistas aliosque) motum atomorum in aethere immersarum non ab intrinseco sed ab extrinseco motore progigni, similiter de motu caelorum. A quibus praescindere si liceret, utique prima via ex *locali motu* clarius procederet maiorique novitate ab aliis discerneretur viis, licet nec nimium animos adaequata viarum *separatio* praeoccupare debeat, si tandem ad terminum « Deum » singulae nos manuducant.

132. — *Obi. I.* Argumentum falso nititur principio. Si enim quidquid movetur, ab alio movetur, tunc nihil *se* movet seu nihil *vivit* in mundo. Atqui dantur viventia in mundo. Ergo principium falsum est.

R. D. M. Si quoad omnia adaequate ab alio moveretur, a re mota adaequate distincto, tunc nihil *viveret...*, *C.* secus, *N. M.* — *Ctr. m.* Dantur viventia, quae quoad omnia sese moveant *adaequate* (sive proxime sive remote) nec *alio supposito* egeant per prius activo et movente, *N.* Quae quoad omnia se movent *proxime* et *inadaequate*, *Sd.* et tunc adhuc pars movens et pars mota sunt non identicae, *C.* sunt identicae, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. In effato varia distingue: 1° Res mota, creatura, in receptione sui esse primi movetur *totaliter* ab alio, *suppositaliter* adaequateque distincto, v. g. Luna a Deo creante, a quo *solo* reale sui esse recipit cum qualitatibus; similiter equus genitus ab equo generante. 2° In operatione subsequente creatura non ab alio solum, sed virtute quoque *propria* movetur, v. g. planta se nutriens (concurrente simul Deo). 3° In operatione viventis, si in ea ut difficiliori sistamus, adhuc movens et motum aliud et aliud sunt; nec solum movens primum et creatura operans (haec sunt alia etiam alietate *suppositi*), sed intra ipsam creaturam, cuius *una* pars (facultas una) est *movens*, et *alia* pars (alia facultas) est *mota;* vel etiam eadem facultas, qua virtus activa, est *movens;* et qua passivitas disposita ad recipiendum actum *formalem*, quo carebat, est *mota.*

Inst. Tunc vivens identificatur cum non vivente. Utrumque enim *ex aequo* movetur ab alio; i. e. quoad esse et virtutes adaequate ab alio, quoad operari inadaequate ab alio. Ergo...

R. D. A. Moventur ex aequo, adaequate quoad *esse* et *virtutes*, *C.* Inadaequate ex aequo rursum quoad *operari*, *Sd.* quoad operari ut *sic*, *C.* quoad *naturam* operationis, *N.* — *N. cons.* — Vivens movetur ad operari *immanenter*, ad intra; non vivens quoad operari *transeunter*, ad extra. Atque ideo praecise *maior* est difficultas applicandi principium viventibus ob *identitatem suppositalem* moventis et moti, quam non viventibus, in quibus *suppositaliter aliud* est movens et motum. Igitur vivens differt a non vivente, non ob maiorem praecise minoremve ad suum operari *propriam* sufficientiam, seu non ob maiorem minoremve *abalietatem* operationis ab uno et ab alio exercitae, quasi a vivente *totaliter*, a non vivente *partialiter* solum fieret, sed quia, cum ab utroque partialiter solum efficiatur, operatio viventis recipitur *intra* perficitque ipsum agens, operatio autem non viventis recipitur *extra*, perficitque *extrinsecum* (Cfr. Psych.).

133. — *Observa.* Cum *Silv. Mauro* plures sic: principium « quod movetur, ab alio movetur » est verum *affirmative*, i. e. ab alio *etiam* movetur; non autem negative et *exclusive*, i. e. ab alio *solum* movetur (Schiffini, Chossat, Remer, Schaaf, Billot, etc.); sed etiam hoc, cuius *aliqua* veritas evidens est, in concreto sua non caret difficultate. Profecto: *a*) Si de alietate agatur *suppositi* quoad *omnes* motus inque omni re mota, tunc sane *nonnisi affirmative* erit sumendum. *b*) Si de *minori* quadam alietate, ut partis a parte, cogitetur, tunc principium etiam *exclusive* urgere videtur

si fundamentum stare velimus « nihil *secundum idem* potest esse simul in actu et potentia respectu eiusdem »; nempe ratio sub necessitate, quam sonat, absoluta, sensum imponere videtur *exclusivum* principio « quod movetur... »; in uno enim eodemque movens et motum respectu eiusdem coadunari posse absolute prohibet. Igitur mobile ab alio erit movendum sive ut a causa *prima* seu in linea causae *primae* sive etiam ut a causa *secunda*, seu etiam in linea causarum *secundarum*. Adhuc distinctionem « affirmative, *C.* exclusive, *N.* » laudamus, eo quod quaestio passim esse soleat de alietate *suppositi*, quam quidem iure meritoque expungimus omnes.

134. — *Obi. II* (Inst.). In hac doctrina: 1° Principium « quod movetur ab alio movetur » respectu *viventis* destructum manet. 2° Si tam vivens quam non vivens ab alio movetur *aeque partialiter*, vix differunt inter se. Ergo admitti nequit.

R. N. Utrumque. De *primo* iam diximus vivens moveri *etiam a Deo;* hinc *etiam* ab alio *supposito*, etsi non ab hoc *solum* sed *et* a se; intra se autem partem moventem a mota distingui, ideoque etiam intra se *ab alio* moveri alietate licet minori. Pro *altero essentiale* discrimen remanet ibi, ubi esse debet, non *alibi*, ut obiciens fingit; nempe: *a*) *Non vivens*, quoties movetur ipsum, movetur *adaequate ab alio* supposito, ab hoc perficitur; *se* movere, *sese* perficere etiam inadaequate nequit; eius enim natura activa quidem est, sed activitate *in aliud;* aliud utique *perficit* et movet saltem inadaequate; verum in haec principium non premit, sed circa movere *seipsum*. Igitur non vivens movetur: in vi *principii* ab alio saltem remote et inadaequate, et in vi *suae naturae* « *non* viventis » etiam proxime et adaequate ab alio. *b*) *Vivens* movet *se* inadaequate et proxime, *seipsum* perficit, cum *immanenter* agere capax sit; igitur non movetur ab alio etiam proxime *adaequate*, sicut non vivens. Adhuc, quoniam vivens *qua se* active *movens*, et idem vivens *qua* passive receptivum operationis perfectivae (qua *mobile*), sunt aliud et aliud, ideo principium « quod movetur... » intra ipsum vivens tenere potest sensu etiam *negativo* (exclusivo), alietate utique minori quam suppositi, necessaria tamen, si metaphysica Aristotelis et Aquinatis ratio stet « quia idem *secundum idem* nequit esse simul in actu et potentia eiusdem ». *Unde brevi:*

1. *Non vivens: a*) quoad motum *sui* movetur ab alio supposito *adaequate* sive remote sive proxime, hinc ne inadaequate quidem *sese* perficit; *b*) quoad movere *aliud* remote quidem ab alio rursus adaequate movetur, proxime autem *solum inadaequate*, cum et ipsum vi polleat in *aliud* agendi, perficiendi aliud (inadaequate).

2. *Vivens* autem remote quidem, i. e. quantum ad primum esse et *facultates*, movetur ab alio supposito adaequate, non vero sic etiam *proxime* in movendo *se;* unde vivens *seipsum* perficere potest (inadaequate).

135. — *Obi. III.* Si ratio, cur quidlibet moveatur ab *alio*, haec est: quia quod movetur, *qua tale*, est in potentia, et quod movet, qua tale, est in actu, pugnet autem idem esse simul in potentia et in actu respectu eiusdem; tunc ne *inadaequate quidem* poterit aliquid seipsum movere. Atqui hoc falsum est. Ergo ratio invalida.

Mai. Nam esse in potentia dicit se *non habere* illud, ad quod est in potentia; esse in actu dicit se *habere* illud ipsum. Atqui inter non habere et habere aliquid non datur medium. Ergo nihil poterit seipsum vel inadaequate movere.

R. N. M. — Ad eius prob. *D. M.* Esse in potentia materiali seu pure receptiva passiva dicit hoc, *C.* Esse in potentia *activa* dicit hoc, *Sd.* Dicit se non habere illud *formaliter* et *individue*, *C.* Se non habere illud ne in virtute quidem sui, sic ne virtualiter quidem seu eminenter, *N. M.* — *Ctr. m.* Respectu potentiae pure *passivae*, *C.* Respectu potentiae *activae*, *Sd.* Inter simpliciter habere formaliter et non habere formaliter, *C.* Inter habere formaliter et non habere ullo modo, *N. m.* — *N. cons.*

136. — *Obi. IV* (Inst.). Stante illo principio, vivens ne inadaequate quidem movere se potest. Nihil enim reducitur de potentia in actum, nisi per ens actu. Atqui vivens est in potentia ad motum sui, non in actu etiam inadaequato motus sui. Ergo debebit adaequate ab alio moveri.

R. N. m. s. — Ad prob. *D. M.* i. e. de potentia ad τό esse primum ad actum τοῦ *esse* primi non trahitur nisi per ens actuale, *C.* De potentia unius perfectionis ad actum eiusdem, *Sd.* Si est in potentia pure *passiva*, *C.* Si in *activa*, *Sd.* Nisi per ens actu exsistens actuque continens *virtutem* productivam eiusdem perfectionis, *C.* Nisi per ens et actu exsistens et actu continens formaliter et individue eamdem perfectionem, *N. M.* — *Ctr. m.* Vivens non est *actu ens*, seu actu exsistens; aut est actuale quidem sed in potentia *mere passiva* ad novam perfectionem, *N.* Est actuale et insuper in *virtute activa* continens perfectionem, *C. m.* — *N. cons.*

Explico. Infinitus fit abusus phrasium (principia passim appellant), quibus sat arbitrarii sensus plerumque falsi nectuntur. Vera doctrina sensusque veri nuper innuebantur; videlicet: non solum non pugnans sed necessario verum est equum, licet *formali* careat individualique perfectione equi filii, *virtualiter* tamen eam *actu* possidere, cum ipsam *causet*. Equus (pater) ante causationem erat simul in potentia et actu, respectu scilicet *diversorum;* i. e. in potentia *filii* et in actu *virtutis* (productivae filii); cum filium genuit, est in actu filii, sed non in potentia *eiusdem*, nunquam enim poterit *illum* iam generare. Supponere autem, quod habens virtutem causativam non possit dare perfectionem formalem, est negare *causalitatem* efficientem creaturis. Est Occasionalismus Malebranchii (1).

Inst. Perfectio actus secundi i. e. operationis excedit perfectionem potentiae activae. Atqui perfectius ab imperfectiori procedere implicat, quod est magis ab eo quod est minus. Ergo viventia sese movere absonum (2).

R. 1° Ergo nulla causa efficiens quidpiam operari potest, nec in viventibus nec in non viventibus, immo ne Deus quidem. Talia Megaricis placerent.

R. 2° *N. M.* Facultas operativa nobilior quidem quacumque sua operatione est; est enim huic et *aliis* infinitis aequipollens. Ipsa perfectionis novae apparitio accensenda est exercitio virtutis causae, quod exercitium est quid *novum* (est conversio partis virtutis activae in hanc operationem) sicut novum quid etiam est concursus actualis ex parte Dei. Nec mirum igitur quod appareat iam aliquid *formaliter novum*, e conversione inquam virtutis in formam, velut evolutione in ipsam; virtus enim activa ad hoc nata est, nisi ad vocem vanam reducatur. Ceterum quid effectus causae primae quid secundis sit tribuendum alibi ex aliis capitibus est decernendum (Cfr. de Concursu). « Quidquid perfectionis est in effectu oportet inveniri in causa effectiva vel secundum eamdem rationem, si sit agens univocum, ut homo generat hominem; vel *eminentiori* modo, si sit aequivocum, sicut in *sole* est similitudo eorum quae generantur per virtutem solis. Manifestum est enim quod effectus praeexsistit *virtute* in causa agente. Praeexsistere autem in virtute causae agentis non est praeexsistere *imperfectiori* modo sed *perfectiori:* licet praeexsistere in potentia causae *materialis* sit praeexsistere imperfectiori modo; eo quod materia, in quantum huiusmodi, est imperfecta; *agens* vero in quantum huiusmodi, est *perfectum* » (3). Igitur causa efficiens continet effectum *virtualiter* seu virtute *semper;* seu effectus *praeexsistit* virtute in causa agente: *a*) virtualiter *univoce*, si causa sit *univoca; b*) virtualiter *eminenter*, si causa sit aequivoca; causa nempe aut *aequare* aut *superare* (eminere supra) tenetur nobilitatem effectus. Denique effectus producendus ipse, formaliter et individue *idem*, nunquam in ulla continetur causa; secus enim non tam *produceretur*, quam a causa in effectum mere translocaretur; atque mortuis causis, *novi* iam produceretur nihil, ut contra Megaricos Aristoteles aiebat (IX Met.). Cui quidem tendentiae plus aequo favere dicendi sunt neo-scholastici quidam ob clausam principii acceptionem, sub qua, cum omnia *ab extrinseco* penitus moveri teneantur, nulla causa ne inadaequate quidem quidpiam operari capax est; unde et dixit Schiller

---

(1) Ergo viventia, quae sunt *in actu* quoad *unum*, i. e. quoad *virtutem* activam, reducunt se in actum quoad aliud i. e. quoad *operationem* in se recipiendam sicut non viventia activa, quae sunt in actu *virtutis*, transeunt ad actum operationis *in alio* ponendae.

(2) Apud Garrigou-Lagrange, *Dieu*... p. 257. « Le plus ne sort pas du néant, l'être ne sort pas du néant ». Cfr. etiam Billot, *De Deo Uno*$_5$, thesis IV, § I, p. 56. Nec in his vera aderit lux nisi plene (cum Philosopho) capienti actionem semper solumque *in passo* recipi, in agente qua tali nunquam.

(3) S. Th. 1 p., q. 4, a. 2. c.

argumenta ex motu et ex causis solum in hypothesi *mechanista* mundi fluere; in philosophia dynamista omni privari valore (1).

137. — *Obi. V.* Plura moveri possunt *cyclice* alia ab aliis, seu *in circulum*. Atqui tunc moventia et mota habentur sine recursu ad *primum* motorem immobilem. Ergo ex motibus mundanis motor *immobilis* non obtinetur.

R. D. M... sine motore immobili exsistente *extra* cyclum, *N.* Cum illo, qui motum solus imprimat alicui ex cyclo, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.*

Explico. 1° Sine motore extrinseco cyclus perpetuo quiescere teneretur, immo purum esset nihil. Etenim sine ratione sufficienti nihil est. Sed ex motoribus cycli nullus habet in se rationem *sui esse* nec rationem *motus*. Ergo nec poterit in alium influere motum, ideoque motus in cyclo *vi cycli* exsistere nullus poterit. Motores cycli transmissores sunt motus, qui ut *transmittatur*, prius *esse* tenetur.

2° Duo contradictoria essent simul vera. Profecto A moveret B et simul non moveret B. Moveret ex hypothesi; non moveret, quia motor A non est adhuc motus, moveri enim debet ab F; sed ad F motus adhuc non pervenerat, cum venire debeat ex motibus B, C, D, E, et hi moveri debeant ab A et post A. Ergo duo contradictoria essent simul vera (2).

Deus — *Mot. immob.* — A — B C D F E

§ II. — *De causa incausata* (2ª via).

Propositio VII. **Ex causis, quas in mundo alias ab aliis oriri conspicimus, recte infertur exsistentia alicuius causae incausatae, Dei.**

138. — *Praenotanda.* 1. *Notiones.* Causa in *genere* est principium per se influens esse in aliud; agitur de *efficiente*.

Causa efficiens ea est, quae influit esse in aliud *active* seu mediante exercitio *activitatis* suae — *per actionem* — agendo: Deus faciens mundum, equus generans equum, penicillus pingens imaginem. Duplex causa efficiens venit hic consideranda: *causata* et *incausata*.

Causa causata, quae causat aliud, sed ita ut ipsa quoque fuerit ab alio causata; v. g. equus generans equum; ignis producens ignem. (Est motor *mobilis* seu per prius ipse ab alio motus, seu: *movens motum*).

Causa incausata, quae causat aliud, quin ipsa sit causata; v. g. Deus producens Adamum, Lunam, Solem...; est motor *immobilis*.

139. — *Causae ordinatae* eae dicuntur, quae concurrunt ad unum effectum dependenter una ab alia; v. g. equus et equus respectu novi equi; secus sunt *non ordinatae;* v. g. equus et leo respectu novi equi. Sistimus in causis *ordinatis* ob maiorem commoditatem probationis; appellantur etiam *subordinatae*. Unde *ordinatio* aut *subordinatio* causarum dicitur dependentia unius ab alia causa relate ad productionem unius effectus. Duplex est: *Essentialis* et *accidentalis*.

1) *Essentialiter* seu *per se* subordinantur illae causae, quae influunt in effectum *omnes actu* tam necessario, ut si vel una ex illis actu non influat

---

(1) In *Revue de Philosophie*, a. 1906, p. 653. — Cfr. Garrigou-Lagrange, *Dieu, son existence et sa nature*, p. 257. Quos hoc loco auctor scrupulos suscitat contra genuinam causationis naturam, in supradictis solutos habes.

(2) Palmieri, *Theod.*, th. 5, p. 99.

(hinc si actu non exsistat) effectus determinatus obtineri nequeat; vel etiam quando prima causa intendit ultimum effectum per varias causas medias (S. Th.). Hinc: *a*) si pictor imaginem Caesaris per manum et penicillum obtinere intendat, penicillus et manus et anima pictoris sunt causae *per se* ordinatae; *b*) si lapidem removere intendam mediante baculo, baculus, manus, musculi motores, voluntas mea, sunt causae *per se* subordinatae. In his una causa pendet ab alia *immediate* et *actu* quoad exercitium in ipsa hac operatione, baculus a manu, manus a musculis, hi a voluntate.

2) *Accidentaliter* seu *per accidens* subordinantur causae, si in effectum influunt quidem una dependenter ab alia, una tamen sine *actuali* alterius in ipsam vel in effectum influxu operatur effectumque obtinet intentum; vel etiam quando intentio causae primae (in illa serie) nonnisi in *proximum* fertur effectum (S. Th.). Sint exemplo: *a*) Pictor eiusque pater, avus, proavus respectu effectus pictionis. Pictor naturam quidem activam acceperat a patre, unde et pater mediate (a longe) in hanc influit picturam, quae nihilominus sine *actuali* patris in ipsam operativo influxu obtinetur, nec genitor *remotum* picturae nunc factae effectum intendebat sed *proximum* solum, *filium*. Igitur respectu picturae huius *accidit* tantum seu *per accidens* se habet quod pictor *illius patris* filius sit; *pinxisset* pariter, licet *ab alio* fuisset genitus, vel a Deo creatus. *b*) Si hoc unum intendo, accendere candelam *A*, sed haec aliam deinde accendit *B*, et haec vicissim aliam *C*, ego (strictius, lumen quo utor) et candelae *A*, *B*, sunt quidem causae *ordinatae* respectu effectus *C* (cum in eum influant), *per accidens* tamen; quia candela *C* sine *actuali* luminis primi influxu est accensa, nec ego *remotum* hunc effectum intendebam, sed *proximum*, i. e. accendendi candelam *A*.

140. — *Observa* 1. Causae *per accidens* ordinatae ut plurimum *homogeneae* sunt, unius speciei aut ordinis: homo et homo... equus et equus... ignis et ignis...; series generationum *naturalium*. Hinc in recensione causarum, omnes unius seriei causae pro *unica* reputantur, « tenet ordinem *unius* causae » (S. Th.); ad effectum enim intentum una sufficiebat (ad picturam sufficiebat *unus* homo); accidit solum plures in serie exstitisse homines, alios aliorum genitores. 2º Causae autem *per se* ordinatae *heterogeneae* diversorumque semper ordinum sunt; quia vero *singulae* ad effectum intentum requisitae, in reputatione causarum *faciunt numerum*.

141. — 2. *St. q.* Iam si quaeras utrae sint sumendae causae, quasi factum certum, praesentis inchoatio probationis, quaslibet censemus *causatas* fini inservire, speciatim tamen ad *ordinatas* uno vel alio modo esse attendendum, ita videlicet ut terminus medius sint *causae causatae* (quae supponuntur ordinatae). Cuius rei rationem confer in *scholio II*.

142. — *Prob.* Plura in mundo incipiunt esse de novo in virtute agentium mundanorum; planta nova, novus equus, calor novus...; igitur in mundo causae efficientes exsistunt. *Atqui* unaquaeque earum fuerat et ipsa per prius causata proxime ab alia forsan simili, remote et ultimo a *prima* causa *improducta*, quae a se est. *Ergo* ex causis causatis, quae in mundo exsistunt, recte infertur exsistentia Dei sub conceptu causae *incausatae* seu a se.

Mai. habetur in refutatione Occasionalismi (Met. Gener., Cosmol.).

Min. 1ª *pars.* Nam incepit exsistere, et quod incipit exsistere causam sui efficientem habet, seu causatur ab *alio* (Cfr. Met. Gener.); prius enim est

esse quam causare, quam operari. « Non est possibile quod aliquid sit causa efficiens *sui* ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile ». Ergo...

Min. 2ª *pars.* Nam praecedens causa, huius (quae nunc operatur) productrix, aut fuerat prius ab alio producta, aut a se exsistebat. Si 2um, habemus intentum; si 1um, disiunctio applicatur causae illam producenti, atque ita deinceps; teneberis ad causam venire *incausatam*, nisi ad seriem confugias causatarum infinitam. *Atqui* haec series, etiam data eiusdem possibilitate, necessitatem incausati non tollit extra supraque seriem exsistentis. *Ergo*, ne historia causationum mundanarum inexplicata iaceat, causa incausata est admittenda.

Subsumpta. Sine incausato series tota moritur, nihil est. Etenim una seriei causa e seipsa rationem *sui esse* non habet, igitur nec alieni (prius est esse quam operari); et in bina hac insufficientia omnes aequantur causae, sub natura aequali, saltem singillatim sumptae. Atqui collectio rem non mutat. Quod enim singulis *essentiale est, plena insufficientia*, ex accidentali omnium unione converti in *sufficientiam* nequit; opus esset, ut *initialis* (seu *partialis*) cuique sufficientia adesset. Plures caeci in seriem colligati non plus vident quam unus; plura puncta non faciunt extensionem, nec plura zero unitatem. Ergo nec plures tales causae sufficientiam ad *unum ens;* essent rivuli sine fonte; nihil.

143. — *Scholion I.* Secunda via fundatur principio *causalitatis* sub simpliciori forma « quod fit, ab alio fit »; maior eius claritas viam ipsam magis facit stringentem, quam *motus* 1ae viae. Ii, quibus omnia systematice eludere mos est, in hoc etiam principium dubia coniicere amant; sed vel ipse Kant de manifesta illius vi in ordine sensibili convictus videtur.

144. — *Scholion II.* Quandoque viam hanc, quasi in medio efficaciori, fundant in causis praecise *per se* ordinatis; sed cum causis mere ordinatis tam *efficax* evadit (Cfr. Prob.), immo expeditior, clarior. Talem etiam confecit S. Thomas: « Secunda via est ex ratione *causae efficientis...* » (1 p., q. 2, a. 3, c), quin causas *per se* ordinatas meminerit. Ceterum in his utique necessitas *primae relative* causae melius apparet; at *primam absolute* quaerimus; huius autem exsistentiam in una serie causarum per se ordinatarum in mundo concludes solum *petendo principium*, i. e. supponendo *primam relative* (quae habetur ut evidens) confundi cum *prima absolute*, quae tamen a conspectu nostro longe distat. Sed de his verbum.

In mundo duas contemplamur causarum *per se* ordinatarum classes, seu duas diversas series: *a*) plures cito *clausas*, breves, claras; v. g. pictor, manus, penicillus; et similes; *b*) longiores, in ipso iam cursu satis occultas, maxime vero in fine seu in clausura; tales sunt v. g. series causarum *per se* subordinatarum, quae in conservationem et nutritionem *vitae materialis* influunt; sunt causae in aëre, in terra, in nubibus, in Sole; ponamus has in Sole ut in causa *principali* claudi. Licebit cogitare supra et ante Solem alias quoque series dari, quae in Solem et in alia influant; atque ita deinceps. Igitur series serierum, seu processus in infinitum, non facilius vitantur in *per se* ordinatis quam in *simpliciter* ordinatis. Nempe: In una collectione, aiunt, *per se* subordinatarum evidens apparet necessitas *primae* causae. Transeat; sed erit prima *relative* solum; erit *Sol*, erit *angelus*, erit mea *voluntas*. Igitur tales etiam series seu collectiones semel iterumque repetere licebit, dum primam *absolute* quaerimus. Tunc vero simplicius condamus viam, sine complicatione innecessaria. *Brevi:* sine petitione principii, thesis non certius probatur ex causis praecise *per se*, quam ex causis *utcumque* ordinatis. Sed ex his clarius et simplicius. Ergo melius ex his.

145. — *Obi. I.* In causis ordinatis (etiam *per se*) processus in infinitum possibilis est. Atqui per hoc necessitas causae *incausatae evitatur*. Ergo 2ª via inefficax.

R. Tr. M. — *N. m.* quae nuper apparuit falsa. Censemus sic esse respondendum,

si viam *apodicticam* esse velimus; nec oportere ut eius valor suspensus maneat a tali possibilitate in quolibet causarum genere. Sane de facto talis series seu processus non exsistit, cum mundus initium habuerit (contra Aristot.). Sed id *ex fide* constat, ratio ipsa (vult S. Thomas cum aliis) apodictice non demonstravit contrarium *pugnare*. Nec efficacius probabis repugnantiam in seriebus causarum *per se* ordinatarum, quam in reliquis. Oportet autem viam in tuto collocare.

146. — *Obi. II.* Demonstratio ex causis forsan evincit primam causam incausatam pro unaquaque serie causarum; nullatenus autem *absolute unicam*, omniumque causam. Atqui tamen Deus absolute unicus omniumque auctor est. Ergo 2ª via inefficax.

R. D. M. Non evincit unitatem *formaliter* et *immediate*, *C.* Ne virtualiter quidem et mediate, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. cons.* i. e. *omnes* Dei notas formaliter et immediate non infert, *C.* i. e. non infert causam, in qua unitas cum reliquis veri Dei notis radicaliter insit, *N. c.* Sufficit unam Dei veri *notam* ostendisse, ut verus Deus fuerit ostensus, cum *nulla* Dei nota alteri competere possit. Causam incausatam nonnisi unam esse posse, infra dicetur (nn. **524-549**).

147. — *Obi. III.* In hac via Deus *personalis* mundumque transcendens non elucet, sed aliquid incausatum. Atqui monistae, athei... id non recusant (potius atomos primitivas aeternas ponunt et incausatas — cum Democrito... — vel materiam gazeiformem *a se*...). Ergo via inutilis.

R. D. M. Immediate et formaliter, *C.* vel *Tr.* Nec mediate virtualiter, *N. M.* — *Ctr. m.* i. e. quandoque concedunt pro aliis finibus, pro fine plerumque contrario, ut nempe evolutione materiae omnia explicent, Deum personalem excludant, *C.* Fixe et sensu quaestionis praesentis ut fontem, e quo immediate procedant omnes causarum series, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Non tenemus singulas *explicite* Dei notas sub singulis evinci argumentis; pro nunc causam vindicabamus incausatam. Hanc autem esse debere ens vivum, intellegens, infinite perfectum, ex evolutione materiae non ortum, proin esse ens *personale*..., per gradus obtinetur; v. g. intellegentia et personalitas non solum ex ordine deducuntur mundano, sed etiam a priori ex perfectione enti primo debita.

148. — *Obi. IV. Possibile* potest esse principium *actualis*. Ergo ex causis actualibus productis sequitur disiunctive *aut primum actuale* incausatum, *aut primum possibile* incausatum; non determinate primum actuale.

R. N. Antec. — Contra principium (falsum) Hegelii « *possibile* est principium omnis actualitatis » stat effatum (Aristotelis) « Ex nihilo nihil fit »; i. e. si nihil actu exsistit, nihil unquam producetur; quod verissimum est, ut patet.

§ III. — *De Ente necessario* (3ª via).

Propositio VIII. **Ex rebus contingenter in mundo exsistentibus eruitur ens absolute et per se necessarium, Deus.**

149. — *Notiones.* 1. *Ens contingens a*) in rigore dicitur, quod ita exsistit, ut possit non exsistere; prout vero ad ens *accidentaliter participiale* restringitur seu ad *creaturam actualem*, opponitur tum *pure possibili* quod ita non est, ut possit esse, tum enti *necessario*, *essentialiter participiali*, Deo. Tunc constituit 2ᵘᵐ membrum in divisione *entis participialis* in ens *a se* et ens *ab alio*. *b*) *Generalius ens contingens* dicitur quidquid esse et non esse potest, sive nunc de facto exsistat sive secus; quod de se indifferens est ad exsistendum; aptum moveri, i. e. in exsistentiam trahi, et ab exsistendo removeri. Cum vero omnia, sive actualia sive possibilia (Deo excepto), hoc sensu contingentia sint saltem supposito, ut verum est, Deum libere creasse, tale con-

tingens opponitur solum enti *essentialiter* participiali constituitque *integrum* secundum membrum in prima *entis nominis* (*entis ut sic*) partitione in ens *a se* et ens *ab alio*.

Ens contingens in enuntiato *stricte* sonat, cum nonnisi illud *experientiae* submittatur; *absolute* tamen ex quolibet contingente etiam sensus latioris arguere liceret.

150. — 2. *Ens necessarium* illud appellatur quod ita est, ut non esse non possit; *solus* Deus tale simpliciter est; adhuc necessarium concipitur duplex: *per se*, et *per alterum*.

Necessarium per se seu *simpliciter* (absolute et a se), quod vi *suae essentiae* tam necessario exsistit, ut ipsummet non exsistere absolute pugnet. In tali ente quidditas seipsa formaliter est actuata: *posse* esse et actu *esse* in eo formaliter idem sunt adeo, ut qui posuerit, cogitaverit, dixerit unum, iam et aliud posuisse, cogitasse, dixisse, verum sit, simpliciter quia *non est aliud*. Brevi: *necessarium per se* idem est ac ens essentialiter participium; Deus.

Ens necessarium per alterum (secundum quid) illud dicitur, cuius non exsistentia pugnaret non vi suae sed *alienae* essentiae; v. g. mundus in opinione (falsa) creationis necessariae. Ens ita necessarium, e se absoluteque contingens, solum *relative* ad aliud diceretur necessarium; hinc eius quidditatem *ab esse separatam* concipiens veram conciperet ipsiusmet essentiam (adaequate immo), cum τό esse sui in essentia non dicatur; cuius oppositum vidimus verificatum in ente *a se necessario*. De hoc solo nunc sermo.

151. — *I. Prob.* Teste et interna et externa experientia, de facto multa exsistunt in mundo; exsisto ego, exsistit mea cogitatio, exsistit Sol. Atqui si non exsisteret ens per se necessarium, nihil exsisteret in mundo. Ergo exsistit ens *per se necessarium*.

Min. Nam si quaecumque in mundo exsistunt *contingentia* essent, in nullo eorum reperiretur ratio ulla sufficiens sive propriae sive alienae exsistentiae nec adaequate nec inadaequate, ideoque pro singulorum exsistentia totalis daretur insufficientia. Atqui sine ratione sui sufficienti exsistere nihil potest. Ergo ente per se necessario non exsistente, nihil exsisteret in mundo.

Evidenter probatio aeque valet etiam admisso ente necessario *per alterum:* seu per hoc vis argumenti nullatenus frangitur; illud enim sine necessario a se nihil esset, ut ex eius notione constat.

Ad mai. Ratio sufficiens unica tunc assignabilis esset *determinatio* ad exsistendum *intrinseca* rei seu quidditativa; vel potestas aliqua eligendi τό esse prae non esse. Atqui res contingens habet praecise quidditatem tali sive determinatione sive potestate carentem. Contingentia enim, quae est indifferentia ad esse, non est indifferentia physica et activo-electiva, sed obiectiva et pure passiva, cum prius sit esse quam operari et eligere; ergo non habet rationem *sui esse* in se seu in sua quidditate, ne initialiter quidem aut partialiter. Atqui non magis rationem esse alieni; nemo enim dat quod non habet. Ergo respectu utriusque esse datur in contingente incapacitas adaequata ac totalis.

152. — *Declaratur.* Indifferentiam contingentis ad esse et non esse non licet fingere quasi *activam* capacitatem ad utrumlibet, ad instar indifferentiae voluntatis; id enim supponit *esse actuale*, cuius praecise ratio determinativa quaeritur; est igitur mera *potentia obiectiva*, quae ad esse trahi *ab alio* possit; hinc contingens sui ad esse indifferentiam per semetipsum *resolvere* electione

τοῦ esse prae non esse pugnat; si movetur (ad esse), *ab alio* (actuali) movetur; sibi autem soli ab initio ad finem si relinquatur, ad perpetuum non esse damnatur. Corpus e se ad motum quietemve indifferens, suam indifferentiam non resolvit; sed in potentia est ut *ab alio* ad motum trahatur; sibi relictum, perpetuo quiesceret. A pari.

NB. Quies est mera motus *carentia*, entitas nulla; motus autem *entitas* est corpori addita; unde et actualis motus *virtutem* petit, a qua producatur; minime quies. Similiter *esse actuale* contingentis eiusque mera *objectivitas.*

153.— *II. Illud necessarium* est *Deus*, i. e. a mundo adaequate distinctum. Sit velut secunda pars. Etenim cum Monistis modernistae opinantur frustra nos his insistere discursibus. Ens sic obtentum (aiunt) non Deus, sed aliud est; sit materia, sit anima mundi, sit mundus necessarius; « Il grande Tutto, la materia, il mondo » (Semeria). Ego concedo (ait Le Roy) necessarium in rebus, nec video tamen evinci *Ens* necessarium, mundo non immanens mundumque *transcendens*, quod *Deus* dicitur (1). Hinc de necessario (ut in 1ª via) ostendemus illud cum mundo confundi nullatenus posse.

154. — *Prob.* 1. Absolute necessarium exigit idem perpetuo esse, sine additione, sine ablatione, sine variatione. *Atqui* mundus ininterrupte ab uno in aliud labitur phaenomenon (id concedunt); substratum mundi sub qualicumque sua materiali fixitate, tandem additiones accipit partium, variationes, exigentias nunc alias, alias deinde; atque talia mundo opponi nec a priori videmus nec a posteriori, videmus immo clare cum ipso componi. *Ergo* ens necessarium nec mundus est, nec pars mundi.

Mai. In ente enim necessario *omnia* necessaria sunt seu *essentialia;* quidquid enim habet, *vi essentiae suae* habet, essentialiter. Ergo si in altero momento aliquid haberet, quo in priori caruisset, tunc in hoc priori ipsimet *deerat* pars essentiae, quod repugnat. Profecto cum essentiae immutabiles sint, una essentia *eadem* semper durat; in hoc igitur ente *evolutio*, vel etiam phaenomenalis quaecumque novitas, pugnat; *immobilitas* autem in perfecta identitate est de essentia illius. Nec ad exigentias appelles quasi ab essentia distinctas; aeque enim hae quam essentia fixae sunt inque actum invariabiliter *reductae*, cum agatur de ente a se. Quod autem essentia phases successivas sibi petat, quarum actuatione nunc sic, deinde aliter perficiatur, admitti non magis potest quam ens a se, *eligens* (antequam exsistat) unum pro initio sui, aliud pro momento incrementi, etc.

Brevi: Ens a se *evolutivum* pugnat. Si enim evolutione *perficitur*, initio sui inventum est *minus habens.* Atqui id *ratione* sufficienti caret sive intra sive extra. Extra se, quia *independens* ab alio; intra se, quia initialem sui esse quantitatem mensurare non potuit (prius est esse quam eligere). Ergo quod initio sui non totum, sed minus habens inveniretur *ratione* sufficienti careret; seu: ergo semper debuit *actu formaliter* possidere quidquid ens a se possidere tenetur; quod vetat vel minimam *evolutionem* ex radicali ad formale.

155. — *Prob.* 2. Ens a se necessarium debet esse *a*) simplicissimum, *b*) actu infinitum, *c*) prorsus immutabile (infra ostenditur). Ex 1º expellit *additionem* et partes; ex 2º *augmentum;* ex 3º *novitatem. Atqui* mundus par-

(1) Locis in Scholio citandis.

tibus componitur, quarum singulae partibus rursum constant; mundus *in se* permittit *additiones*, *novitates*. *Ergo* ens necessarium non est mundus.

156. — *Scholion I.* Ens divisimus in *necessarium* et *contingens* sensu in schola classico, acceptiones quoque τοῦ *possibilis* exposuimus. Adhuc sciendum voces « possibile, contingens, necessarium » in partitionibus entis pro Stagirita et Aquinate sat diverse passim sonare; videlicet: possibile (contingens), « quod est possibile esse et non esse » (S. Th.) apud eos quandoque significat aliquid *corruptibile*, i. e. non praecise aliquid aut pure possibile, aut simpliciter *annihilabile* (capax desinere esse utcumque), sed aliquid actu iam *exsistens*, quia tamen e materia conflatum ac forma, capax desinere esse id, quod est, ut *in aliud* convertatur per mutationem formae; i. e. *aliquid naturaliter corruptibile* (corruptione propria et per se) quod et *contingens* appellatur. Tunc *necessarium* sonat *incorruptibile;* seu ens ob carentiam compositionis ex materia et forma, obque eius spiritualitatem, corruptionis incapax (propriae). Tale necessarium non Deus *solus* est, sed quilibet spiritus creatus, anima humana (1).

Omni modo inter talia necessaria (quae sunt entia *ab alio*) et ens classice necessarium (ens a se) haec adest distinctio: quod illa *hypothetice* solum sunt necessaria (*si producuntur*, petunt non corrumpi) et *participate;* hoc autem est necessarium absolute et *imparticipate*.

157. — *Scholion II. Excellentia tertiae viae.* 1) *Negative.* Speciatim a Monistis, ab Hegelianis necnon a Modernistis perpenditur, acriter impugnatur. Quod enim non est (aiunt) ad esse venire e semetipso potest; possibile ratio est exsistentium; continens omnia in potentia purum nihil est, tale tamen nihil, ex quo omnia fieri queant (Hegel). Quibus tamen obviam fit metaphysica: « Prius est actus quam potentia (absolute loquendo); nihilo exsistente, nihil unquam fieri posset; nihil est sine ratione sufficienti; quidquid incipit exsistere causam sui efficientem habet ». 2) *Positive.* A theologis loco fere eminenti quasi argumentum princeps collocari consuevit, eius prae primis efficacitas ab iisdem valde sollicite declaratur, perficitur, nec immerito; est enim « clarum et simplex, non minus quam solidum et constringens » (Kleutgen). Medium demonstrationis (quodlibet exsistens) tam illustre, ut vel ipsos causarum detractores (Hume, positivistas) serio constringat, atque eis etiam probetur scholasticis, quorum placito motor immobilis et mobilis cum suis principiis obscuris in re gravi contra atheos vix essent nominandi (n. **130**). Denique Kant, argumentorum crisim aggressurus, Cosmologicum ex *contingentibus* eligit, quasi unicum ad quod cetera confluant, saltem quasi typum. 3) Ob suum quoque *principium*. In prima via principium erat « quod movetur, ab alio movetur » ; in secunda via erat: « causa causata, ab alio causatur; quod fit, ab alio fit »; in tertia autem via sic: « quod aliquando est, aliquando non est, non exsistit vi suae essentiae, sed per ens necessarium et a se ». Quae tria principia, reapse vix non identica, differunt formaliter, sicut et ipsae viae. Prima via in mundanis entibus considerat potentiam *passivam*, qua res motibus mutationique subiciuntur, altera in iisdem perpendit potentiam *activam*, qua res alias movent, mutant; tertia denique eorumdem *essentiam* assumit sub ratione *propriae insufficientiae* ad esse. Unde 1ª et 2ª via statum in rebus prospiciunt quasi *dynamicum;* 3ª necnon et 4ª staticum (2).

158. — *Scholion III. Principium causalitatis; tres eius formae; discutitur alia nec acceptatur.*

Probatio 1ae partis (Entis necessarii), tota quanta, applicatio erat *principii*

---

(1) Hinc S. Thomas: « Res dicuntur *necessariae* et *contingentes* secundum potentiam (capacitatem) quae est *in eis*, non secundum potentiam Dei » (2º c. G., 55, 13). Nempe: secundum *potentiam Dei* et attendendo ad illam, *omnes* res creatae sunt *contingentes* in quantum Deus *potest* omnes destruere. Si igitur quaedam ex his (ut spiritus et anima humana) dicuntur *necessariae*, aliae autem (ut corpora) *contingentes*, ideo sic appellantur, quia aliae habent *naturam* indestructibilem (naturaliter), aliae destructibilem. Unde primae dici possunt *necessariae*, aliae autem *contingentes* « secundum potentiam quae est *in eis* ».

(2) Praeclare de his Kleutgen (*De Deo ipso*, n. 166; et *Filos. Antica*, vol. 5º, tr. 9, n. 918...).

causalitatis, de cuius valore phaenomenistae, monistae, critici... merito praeoccupantur. Tribus efferri consuevit formis:

a) « Quod fit ab *alio* fit » (fere « quod movetur ab alio movetur » in uno ex huius sensibus).

b) « Omnis effectus habet suam *causam* » (non datur effectus sine causa).

c) « Quidquid incipit exsistere, causam sui efficientem habet ».

Formae *a*) et *b*) passim, de tautologia accusatae, quasi difficultatis solventes nihil, adhuc optimae sunt vereque analyticae; effectum a causa realiter separantes prohibent aliquid se ipsum facere, cum a possibili ad esse transit, etc.; Hegeliani, evolutionistae, non tam facile de hoc convincentur.

Forma *c*) omnium praestantissima est luce vividiori, maiorique ad omnem intellectum adaptatione; maximi usus in schola. Verum omnes tres formae idem dicunt, suntque sub analysi stricte evidentes; porro evidentia requiritur ad *prima principia*.

Exstat et alia forma: « Omne *contingens* causam efficientem habet ». Circa quam: 1º Prout de contingente sonans, quod *inceptionem* habuerit, evidentia gaudet; *transitus* enim ad quid *novum*, quod prius non erat, clarus est; a non esse ad esse. Est eadem forma *c*) sed *restricta* ad *contingentia*, cum forma *c*) sit generalior de omni eo, quod exsistere incipiat, utcumque id eveniat. 2º Si « contingens » significare velit quidlibet in qualibet hypothesi, solo Deo excepto, i. e. etiam ens *necessarium per aliud* et *sine initio* i. e. etiam mundum in hypothesi (falsa) necessariae *aeternae* creationis, vel mundum rursus in hypothesi (falsa) exsistentis *sine initio* et necessario (et sine creatione) tunc:

a) tale ens non tam bene dicetur « contingens », quia non exsistit vel exsisteret ita, ut *potuerit non exsistere*, cum *necessario* exsistat (etsi ab alio *forsan*);

b) hoc transmisso, principium non esset principium; non enim esset *evidens*, sed valde obscurum et controversum. Etenim:

159. — I. Magnis Graecis, etiam 2ae periodi i. e. Socraticae (anthropologicae seu psychologicae), persuasum erat (Aristotele non excepto) mundum fine carentem etiam initio caruisse, *proin* (concludebant) non factum sed *ingenitum* esse, ἀγένητον; pro illis « factum » esse sonabat « *ex praevia materia* factum ». Sic Democritus, quia suas atomos posuit *aeternas*, *ideo* dixit illas esse *non factas:* « Eius autem, quod *semper* est, non putat (Democritus) *causam* esse quaerendam » (Arist.) (1).

II. Clare etiam obstat Augustinus (Confess. l. 12, c. 15, n. 2); iuxta quem quidquid factum est initium habuit; proin *initio carens* et causa efficiente caret. Creaturae coaeternitatem cum Deo prohibet, « quoniam non sine initio, *facta est enim* »; quasi concedens: si initio careret et causa careret. Ergo pro S. Augustino extensio principii ad *aeternum* non obscure solum sed etiam *falso* fieret.

III. Plures scholastici ante et post S. Thomam (Albert. M., Halens, Bonav., Toledo, Less., Silv. Maur...) ens contingens aeternum (mundum *factum sine initio*) pugnare censent. Quod sane, si tam directe huc non facit, attenta doctrina ipsa, cum nec volita principii extensio talem praecise possibilitatem pronuntiet (solum enim hypothetice assignat tali enti causam efficientem), at facit omnino, si *rationes* doctrinae attendamus, quarum praecipua illis fuit ratio S. Augustini: Omne factum initium habet.

IV. Alii supponunt mundum pro his, qui necessarium et sine initio illum ponunt, iam *emanastice* a Deo oriri debuisse, *non effective*, non tanquam a causa efficiente. Ita v. g. P. Felix, S. I. (2).

---

(1) Cfr. Arist., *De caelo*, l. 1; S. Th. in l. *de Caelo*, c. 10, lect. 22.

(2) « Conferencias en Ntra. Sra. de París », año 8º, 1863; 2ª Confer., II (Madrid, 1902, pgs. 112, 113). Supponit et ait creationem aeternam necessariam mundi, aut vocabula sine sensu esse aut *evolutionem* Dei significare, seu *emanationem* mundi a Deo; igitur censet in dicta hypothesi mundum, qui non incepit, *causa efficiente* caruisse; quasi poneret: quod ab aeterno necessario exsistit (etsi *ab alio* sit, proin etsi absolute contingens sit) *non habet* causam efficientem. Quod idem est ac respuere extensionem principii *causalitatis* ad ea, quae *non inceperunt* esse. « Si (la creación) es necesaria, *¿cómo se distingue* la sustancia creada de la sustancia increada? » (p. 113, in fine).

Patet igitur quantum a vera evidentia, pro principiis requisita, distet extensio volita; proin sub tali extensione principium non est principium.

Sed sic (aiunt) fit magis *generale;* omnia (excepto Deo) et in omni hypothesi comprehendit. *Resp.* Ita sane; sed necesse non est ut principia ad omnia cogitata se extendant, utique necesse est ut quod enuntiant, incontroversum sit. Tale est « *quod incipit exsistere* causam sui efficientem habet »; non tale fore ostensum manet « contingens, etiam *ab aeterno* exsistens, causam sui efficientem habet ».

160. — *Obi. I.* Contingens idem est ac *possibile;* unde: Possibile ex sola notarum non repugnantia est iam possibile, sine respectu *ad causam.* Atqui tale ens ex se exsistere potest. Ergo contingens ex *se exsistere* potest sine recursu *ad necessarium.*

R. 1° *N.* Assertum. In rigore omne quidem contingens est possibile, quia aptum ad essendum, sed simul capax est esse et *non esse;* ideoque non omne possibile est *contingens,* v. g. *Deus* est possibilis, sed non *contingens,* quia non est capax esse *et non esse;* seu: possibile latius patet quam contingens.

R. 2° *Tr.* Assertum. Ad argum. *D. M.* Possibile *aliquod,* Deus, est hoc solo adaequate possibile, simul *necessarium, C.* Possibile *quodlibet,* etiam contingens, est ex solis notis possibile, *Sd. adaequate, N. inadaequate* i. e. mere intrinsece, *Sd.* 2° proxime et formaliter, *C.* Remote et fundamentaliter, *N. M.* — *Ctr. m.* Tale ens, cuius *adaequata* possibilitas consistit in notis, *C.* Reliqua, quorum adaequata possibilitas non consistit in notis, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. In Deo possibile est exsistens (prop. IV); possibilitas *ad causam* hic non appellat, sed eamdem excludit. In ceteris autem possibile non est exsistens; in his possibile, etiam adaequate tale, est quid obiectivum seu cogitabile, potentia obiectiva, *reclamans causam,* si in ordinem physicum venire velit; hinc *adaequate* possibile non constituitur sine respectu ad *virtutem* activam. Immo ne *intrinsece* quidem possibile funditus est (formaliter utique) sine fulcimento *Dei,* in quo appellat ad *essentiam,* ut fontem omnis entitatis (Cfr. Met. Gener.).

161. — *Observa. Possibile varie* accipitur: 1° prout oppositum *impossibili,* et sic *Deus* ipse possibilis est. 2° Prout oppositum *necessario per se;* tunc idem ac *contingens* est opponiturque Deo. 3° Prout oppositum *necessario* (sensu Arist., S. Th.) seu *incorruptibili;* tunc idem est ac *corruptibile.* 4° Ut opponitur actu *exsistenti;* tunc est *mere* possibile, potentia *obiectiva.* Immo 5° ut opponitur *contingenti;* tunc *possibile* est pure tale, i. e. non exsistit sed *potest* exsistere; *contingens* autem est quod *ita exsistit,* ut possit non exsistere; contingens in rigore.

162. — *Obi. II.* Recentes cum *Frohschammer:* Per contingentia et causata pervenitur ad rem pantheisticam, non ad Deum *transcendentem.* Mundus enim a Deo est causatus aut *a*) *necessario,* et tunc mundus hic noster erit solum *divinae vitae* momentum, seu Deus dato momento *ita* et non aliter *sese* exhibens; aut *b*) libere, et tunc nexus mundi cum Deo *necessarius* nullus adest; ideoque ex mundo Deus male concludetur.

R. C. disiunctionem Maioris, et eligo 2^{um} membrum. *Tr.* 1^{a} *p.* Minoris (est adhuc falsa conceptio). *Dist.* 2^{am} *p. Min.* Nullus *Dei cum mundo, C.* Mundi *cum Deo, N.* vel *Sd.* Absolute, *C. Hypothetice* i. e. posita creatione, *N. m.* — *D. par. cons.* Ex Deo male concluderetur mundus, *C.;* ex mundo Deus, *N. cons.*

Explico. E penetratione etiam intima causae *liberae* exsistentia effectus concludi nequit; *electio* enim opponitur *necessitati;* ideoque mundi exsistentia *a priori* non ostenditur, quia Deus, qui cum mundo non necessario connectitur, sine mundo aeque exsistere potest. Mundus autem semel factus, necessario cum Deo connectitur, cum sine Deo exsistere non potuerit. Ab architecto ad templum illatio non valet; valet a templo ad architectum, a mundo ad Deum.

163. — *Obi. III.* E re aliam non continente haec alia male educitur. Atqui contingens non continet necessarium. Ergo male concluditur.

R. D. M... si *nullo* modo continet, *C.* Si licet non physice formaliter, continet tamen *virtualiter illative, N. M.* — *Ctr. m.* — *N. cons.* Praemissae vi principii rationis

sufficientis et causalitatis non modo affirmant rem contingentem, sed etiam appellant ad necessarium; satis patet.

164. — *Obi. IV. Taine:* Quidquid exsistit, necessario exsistit sive quoad factum exsistendi, sive quoad modum exsistendi; nam haec tria « possibile, reale, necessarium » perfecte identificantur. Atqui tunc contingens est illusorium. Ergo demonstratio ex contingentibus vana est. *R.* 1º *N. M.* eiusque rationem; falso haec et gratuito assumuntur; immo discrimen inter illa tria evidens est. *R.* 2º *D. M.* Et dato (non concesso) quod res necessario exsisterent, illae essent per se *necessarium, N.; ab alio,* sese ad extra necessario communicante, *C. M.* — *Ctr. m.* Ens in rigore contingens iam non daretur, *C.* Nec daretur absolute et ratione sui sufficienter contingens, ut ex illo liceret eruere ens *per se* necessarium, *N. m.* — *N. cons.*

165. — *Coroll.* Ergo ratio *ultima,* cur creatura sit contingens, Deus necessarius, sistit in eo, quod *a*) quidditas creaturae ex se *possibilis solum* meraque *potentia* obiectiva est, non *actus* vel *actualis;* seu esse eius actuale non est sua quidditas, sed ab hac realiter distinctum; hinc licet quidditas aeterna sit ac necessaria (fundata necessario in essentia necessaria Dei) non est actualis vel actuata ab aeterno, immo pleraeque quidditates nunquam actuantur (pure possibilia sunt infinita); quod esse non posset, si realiter identificarentur; pugnat enim idem a seipso realiter separari; *b*) quidditas autem *Dei* ex se *actus est,* seu de quidditate Dei est esse eius; unde quidditatem Dei in ordine *possibilium* manere pugnat (prop. IV). *Brevi:* Deus est necessarius, creatura contingens; quia in Deo *possibile* et esse idem sunt; in creatura realiter distinguuntur, etiam separantur. Ulteriorem discriminis ontologicam rationem assignare velle, illusorium est.

166. — *Obi. V.* Quoties una praemissarum *contingens* est, etiam conclusio contingens esse tenetur, seu de re contingenti: « Peiorem semper sequitur conclusio partem ». Atqui in argumento ex contingentibus, una praemissarum « Exsistunt res contingentes » contingens est. Ergo conclusio debebit esse haec: « Ergo exsistit ens contingens, Deus contingens ».

R. D. M. Lex valet in argumento *a priori,* in quo praemissae sunt ratio *ontologica* conclusionis, *C.* Etiam in argumento *a posteriori,* in quo praemissae sunt mere *manifestativae, delativae* nobis, obiecti conclusionis, *Sd.* Si praemissae nectebantur cum contingenti, *C.* Si nectebantur cum aliquo ultimatim *necessario in se, N. M.* — *Ctr. m.* Et illa est causa *ontologica* conclusionis, *N.* — Mere *manifestativa* nobis obiecti conclusionis, *Sd.* Et quidem connexa cum obiecto ultimatim *necessario in se,* quod ut tale nobis manifestet in conclusione, *C.* connexa cum obiecto, quod possit esse et proxime et ultimo *contingens in se, N. m.* — *N. cons.*

Explico 1º Quoties obiectum praemissae est *causa ontologica* obiecti conclusionis, evidenter ita se res habet; si enim causa est *contingenter* realis, effectus (obiectum conclusionis) non poterit esse *necessario* realis, sed *contingenter* realis. Apparet in exemplo: « Sol positus in horizonte illuminat terram. Atqui nunc Sol lucet in horizonte. Ergo illuminat terram ». Quia Sol eiusque in horizonte apparitio sunt *contingentes,* etiam effectus, illuminatio terrae, *contingens in se* erit.

2º Idem valet in argumento *a posteriori,* quoties praemissa salvatur per connexionem cum aliquo *non necessario in se;* v. g. « Effectus reclamat causam proportionatam. Atqui templum Burgense est opus mire ordinatum. Ergo exsistit vel exstitit architectus sapiens (res in *se contingens*) ».

3º Si autem veritas praemissae non stat, quin proxime vel remote ens *in se necessarium* exstiterit, tunc nostrae cognitioni trahit illud necessarium, quod merito concludimus exsistere in re. Lex autem de *peiori* parte... se refert ad *quantitatem* et *qualitatem* logicas conclusionis eiusque *certitudinem* (quae e nexuum necessitate pendet); minime ad *obiecta* terminorum in praemissis, quasi in conclusione solum apparere possit vilissimum ex illis, non nobilissimum ex illis. Apparet illud, quod cum medio comparabatur.

167. — *Obi. VI* (Inst.). Effectus *contingens* sufficienter explicatur per causam *contingentem*. Ergo exinde non sequitur causa necessaria. *R. D. Ant.* Proxime et inadaequate, *C.* Ultimo et adaequate, *N. Ant.* — *D. par. cons.* Proxime, *C.* Remote, *N. cons.* Res manifesta est contra Kant.

168. — *Obi. VII.* De ratione *per se necessarii* est *non exsistens* concipi non posse; secus enim conciperetur aliquid sine eius essentia; contradictio. Atqui nos de qualibet re concipere possumus illam *non exsistere*. Ergo id, quod deducimus ex contingentibus, non est *ens necessarium per se* (ita Hume). *R. C. M.* eiusque rationem. — *N. m.* Contingentia possumus, *necessarium per se* non possumus sic concipere; esset concipere illud et *non concipere* illud.

169. — *Obi. VIII.* Argumentum ex contingentibus *fundatur in principio causalitatis* (ut praecedentia); formaliter *constituitur* ex eodem et ex conceptibus contingentis et necessarii. Atqui principium causalitatis non habet valorem *ontologicum* sed mere *logicum*, i. e. *regulativum* in anima quoad ordinationem et syntheses conceptuum nostrorum; conceptus autem contingentis et necessarii sunt *formae subiectivae*. Ergo ex hoc argumento deduci nequit *necessarium dari in re*, sed solum dari illud *intellectu* (Kant, Hume...).

R. C. M. totam. — *N. m.* quoad singula. Eius falsitas quoad principium causalitatis ostensa est in Met. Gener. — *Obiectivitas* autem *externa* conceptus *contingentium* est clara, cum conceptus ille ex directa *rerum* observatione nascatur, qua res apparent *in se* defectibiles. Conceptus entis *per se necessarii* efformatur ex *oppositione* ad conceptus contingentium; eius *externa obiectivitas deducitur* legitime in ipso argumento.

170. — *Obi. IX.* (Kant praecipue sic): Argumentum *Cosmologicum* (ex contingentibus) in *ontologicum* (seu a simultaneo) incidit. Atqui hoc *vanum* est. Ergo et illud.

Prob. Mai. Ex contingentibus eruitur quidem (a posteriori) aliquid necessarium (1ª statio); sed quod illud sit *infinitum*, ex *analysi* solum necessarii, proin *a priori* deducitur, quasi in secunda argumenti parte (2ª statio). Atqui quousque *infinitas necessarii* non fuerit ostensa, Deus non est demonstratus. Ergo argumentum Cosmologicum, si Deum ostendere velit, in ontologicum incidere cogitur.

R. N. M. — Ad eius prob. *D.* 2am *partem Mai.* Et haec deductio aprioristica est illud praecise argumentum *ontologicum*, quod ut vanum derelinquitur, *N.* Est nova argumentatio *a priori valide et legitime* instituta, *C. M.* 2am *part.* — *Ctr. m.* Deus in prima parte non est demonstratus ut ens necessarium, sub nota proin Dei distinctiva, *N.* Non praeterea sub nota explicita *infinitatis* et *similium*, *Sd.* Et argumentum, has deinde *a priori* eruens, est ontologicum illud, *N.* Est *aliud* verum et legitimum, *C. m.* — *N. cons.*

Explico. Argumentum a simultaneo seu *Ontologicum* non est *quaelibet* aprioristica deductio notarum Dei, sed quae *actualitatem* Dei a priori ostendere praesumit, seu primo *realizare* summum illud, quod mente versamus, quodque priusquam sciamus esse quid reale, definimus. Sed postquam a posteriori *realitatem* eius actuatam obtinuimus, via aprioristica aperta manet pro legali inquisitione naturae et attributorum, quorum *realitas* iam radicaliter in tuto collocata erat in prima parte aposterioristica.

171. — *APPENDIX de mente modernistarum.* Hi de efficacia viarum non convincuntur, immo positive Blondel, Bergson, Le Roy, Semeria, Tyrrel... illas critice abiciunt. Pro omnibus *Le Roy* audiatur. Atque primo viam ex motu considerat ille acceptione sive veterum sive recentiorum. « Argumentum *primi motoris*, ait, nititur argumento *ex contingentia* mundi, cuius varietas quaedam est, particularizatio, aspectus, momentum ». Hinc totam criticam in via *ex contingentibus* consumit (more Kantii).

1º *Exponit* argumentum sic: Observatio cum discursu contingentiam

mundi nobis aperiunt: Si partes mundi unam post aliam sumas, hanc in singulis deprehendes notam, quae et de complexu valet: posse esse aut non esse. Sed contingens, sibi ex ipsa definitione insufficiens, anteriorem reclamat exsistentiam necessarii. Sane *Ens* (l'être) est ingenerabile, quidquid de *entibus* sit. Generatio totalis *ex nihilo* est radicaliter incogitabilis; si aliquo momento nihil exsistit, in aeternum nihil exsistet. Ergo, concludit S. Thomas, « oportet aliquid esse necessarium in rebus ». Sed, ut vidimus in argumento motoris, hoc *aliquid* esse nequit *universum* aut in eo *immanens*. Ergo est Ens transcendens naturam, « quod omnes dicunt Deum » (1).

172. — 2º *Iudicat argumentum.* Incommodis abundat, ait: 1) ego concedo *necessarium* in rebus (le nécessaire); sed si hoc *supponatur* esse *Ens* necessarium, quaestio praeiudicatur. Non video fuisse demonstratum *Ens illud transcendens* mundum, quod Deum appellamus, sed unice *immanentem* quandam necessitatem. 2) Immo etsi demus Ens ostensum fuisse, sed illud adhuc non est *Deus*, nisi supponatur esse Ens *perfectum*. Igitur probatio ex contingenti erit probatio *Dei*, solum vi *postulati* quod necessitas involvat *perfectionem;* unde, ut dixit Kant, inevitabilis est recursus ad argumentum *ontologicum*, quod iure invalidum habetur (sic ad p. 140).

173. — 3º *Respondemus:* 1) Illud necessarium esse *transcendens* deductive eruimus reflexione supra ipsum cadente; igitur 2) sive transcendentia, sive infinitudo necessarii aprioristico sane obtinentur processu. 3) Qui tamen processus a *puncto* necessarii iam *realis*, aposterioristice possessi, ad sequentia (a prima statione ad secundam) tam licitus est atque philosophicus, quam illicitus erat *ab initio* ad *illud punctum*. Initio enim *realitatem* necessarii ignorantes, perfectionesque ipsimet addentes, nescimus utrum supra Deum an supra chimaeram easdem cumulemus. Cum autem realitatem necessarii a posteriori consecuti sumus (1ª statio Kantii), nova iam succedit *aprioristica* reflexio, quae supra reale iam necessarium prolapsa aliis aliisque notis (infinitatis, simplicitatis, etc.) Deum realem realiter exornat. Maxima igitur difficultas, quae consistit in *realizando* necessario, vincitur viis *aposterioristicis*.

§ IV. — *De Ente perfectissimo* (4ª via).

PROPOSITIO IX. **Limitatae perfectiones, gradibus diversis in mundo distributae, certo nos ducunt ad ens summe perfectum, Deum.**

174.— *Quarta via* considerat perfectiones hinc inde diverso gradu sparsas. Non ignota Platoni (in Phaedone), pulchre ab Augustino exornata, a S. Thoma non uno semper modo adumbratur. Clare in 3ª quaestione de Potentia, a. 3; exinde

175. — *Prob.* Quoties perfectio aliqua in diversis entibus varie distributa reperitur, signum est perfectionem entibus non ex propria essentia insitam esse, sed *participative* ab alio, ultimatim ab Ente, summe eamdem a seipso possidente. *Atqui* diversas exhibent mundana entia perfectiones,

(1) *Le Roy* in articulo « Comment se pose le problème de Dieu » ad *Revue de Métaphysique et de Morale* (Mars et Juillet, 1907, p. 137). — Negari nequit vim argumenti fideliter his exhiberi.

nec singula singulas secundum eumdem gradum possident, v. g. sapientiam, bonitatem, energias, vitam, substantialitatem, entitatem. *Ergo* exsistit ens *summo* gradu omnes a se possidens, Deus.

Maior. Perfectio, *imparticipate* alicui competens, perfecte totaliterque ab eodem possidetur; « quod alicui convenit *ex natura sua* et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest » (2º c. G., c. 15). Tunc sane quod magis in uno, in alio minus, adesset perfectionis et non in singulis *tota*, explicari non posset; prius enim est esse quam limites sibi imponere. Hinc sicut qui *humanitatem* vi essentiae et quasi ex fundo proprio possideret, quidquid perfectionis in illa est possidere teneretur, selectio enim partis prae parte impossibilis maneret, similiter qui vitam, bonitatem, entitatem, *imparticipate* habet, singula *summo gradu* habebit. Ergo quod perfectio diversimode limitata in uno et alio reperiatur, significat perfectionem *ab alio* singulis fuisse donatam. Quod aliud, si adhuc limitate eamdem possideat, novum datorem arguit, ita ut ultimus dator *imparticipate* et a se, ideoque perfectissime, totam possideat.

176. — *Observa* 1. Apparet character *proprius*, efficacia *propria* et formalis huius viae. Hinc: 1) Minus exacte dices ipsam in (subaudita) *exemplari* causalitate inniti (1); *a*) S. Thomas id non tacuisset; *b*) iustificatio viae non sit denaturatio viae. 2) Nec melius cum aliis addes hanc viam in causalitate *efficiente* aut *finali* aut in utraque fundari; de his Aquinas in aliis cogitaverat viis. 3) Nec necesse ut habeatur fundata in duplici hoc theoremate: α) Si quidam character in duobus reperitur entibus, neutrum e se illum possidet; β) Si quidam character, e se imperfectionem non dicens, imperfectus reperitur in ente, ens non eum e se possidet (Garrigou). Haec, in se vera, innecessaria videntur. Nec ideo tamen via efficaciis orbata pronuntietur (2). — Adhuc plures sat diffidenter hac utuntur via. Scilicet: phraseologia Aquinatis, speciatim in Summa (3), difficilior, aequivoca; de eius fontibus, sensu, intentione quaeritur, utrum inspirator fuerit Plato (quasi formas separatas redoleret), an Avicenna, an potius Aristoteles, cui Simplicius attribuit verba: « Generatim in quibus est aliquid *melius*, in his est aliquid *optimum;* quoniam igitur in entibus est aliud alio *melius* est etiam aliquid optimum, quod erit *ens divinum* ».

177. — *Observa* 2. Argumentum (4ae viae) a viris etiam magnis, a Caietano et Suarezio (4) *minus recte* fuisse intellectum innuit Kleutgen (De Deo ipso, n. 168); exactius forsan alibi: « y de hecho Suarez lo establece por otra via » (Fil. Antigua, tr. 9, n. 982). Sane argumentum per *aliam* ducere viam, non tam ignorationem prioris, quam praeferentiam significare potest alterius, quae efficacius convincens fuerit deprehensa. Omni modo argumentum censemus optimum, ut tale generatim accipitur (5).

---

(1) Ita *Revue de Philosophie*, Nov. Dec. 1924.
(2) In *Archives de Philosophie*, Vol. 3, cahier 3, p. 104.
(3) P. 1, q. 3, a. 3: « Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis, sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem libro dicitur » (i. e. in Libro Metaph. II, text. 4).
(4) *Caiet.* in 1 p., q. 2, a. 3; *Suarez*, Disp. Met. 29, s. 3.
(5) Cfr. Kleutg. n. 982; Honth. n. 238; Schiff. breviter (p. 25). Garrigou-Lagrange advertit (*Revue Thomiste*, 1904, p. 373) hanc a praecedenti via vix differre; attamen quod ibi erat mere contingens hic esse *limitatum*. Formalitates differunt, nec amplius est exigendum. Pro historia, crisi argumenti cum apud Aquinatem tum apud Scotum; pro eius charactere omnino Platonico; pro incommodis, quae ponderantur; pro eius (ut alii volunt) inaptatione complexioni systematicae D. Thomae,... vid. Ruibal, *op. cit.*, « Problemas », V. 6º, c. 11, p. 604-633.

Articulus II.

DE ARGUMENTO PHYSICO - DE SAPIENTI ORDINATORE (5ª via).

Propositio X. Ex ordine mundi adspectabilis concluditur Deus, ut sapiens supremus ordinator.

178. — *Praenotanda.* 1. *Indoles viae. Est physico-metaphysica. Curnam tam popularis.* Quinta via est ex *ordine Universi* (apud veteres « ex *gubernatione* », « ex providentia » et similiter). « Quinta via sumitur ex gubernatione rerum... operantur propter finem » (S. Th.); et conditur tota supra res *sensibiles* ordinatas, ideoque *physica* dicitur; sed quatenus in sensibilibus ordinem eorumdem tendentiamque in fines perscrutatur, sub hoc aspectu *metaphysica* est. Videlicet: sicut 1ª via ex motu erat *physica* prout ex motu *stricto*, *metaphysica* prout ex motu *latiori* ut e medio arguendi procedebat, similiter 5ª via physica dicetur prout *corporeum ordinem* contemplans, metaphysica vero aut physico-metaphysica, si *medium integret* ex sensibilium *finalitate* supra sensum elevata; ex eadem hac finis nota, seu ex finalizatione, dicitur quoque « Teleologica »; unde et *Kantius* quinque vias ad duas reducens, hanc *physico-teleologicam*, alteram ex contingentibus *Cosmologicam* nuncupavit.

Haec via, valde popularis, in aestimatione usuque singulari habita semper est, non ab apologetis solum, sed etiam a theologis, immo ab ethnicis philosophis, v. g. ab Aristotele, ob ipsam videlicet medii *perspicuitatem*, qua animos totamque hominis naturam quasi sensitive commotam retineat, sicut aliae v. g. e contingentibus mentem tantum, per intimiorem licet metaphysicam, percellere videntur.

179. — 2. *Notiones. Ordo in genere. — Ordo mundi.* — *Ordo*, « parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio » (S. Aug.) (1), in genere est « apta plurium dispositio secundum aliquam *rationem* ». Dicitur etiam unitas in multitudine, i. e. unitas dispositionis multorum secundum aliquam rationem. Videlicet: *a*) *Pluralitas* rerum respectu ordinis est elementum valde *materiale* (in rigore *praesuppositum*); ordo strictus per duo sequentia constituitur. *b*) Elementum *formale* ordinis stricti est *ratio*, cui rerum viriumve dispositio obedit, ut ob ipsam haec prae alia habeatur dispositio. *c*) Tandem elementum *materiale* iam *ordinis* stricti est *dispositio* rerum et virium. Unde et sic: In ordine adsunt haec tria: 1) *multitudo* seu distinctio elementorum, « quia non est ordo aliquorum nisi distinctorum » (S. Th.) (2); 2) apta illorum constitutio, *dispositio;* 3) *ratio* ordinis, *iuxta quam* plura sic vel aliter disponuntur; estque *specificans* ordinem « ex qua etiam ordo in *speciem* trahitur » (S. Th.). In casu *elementa* sunt res *mundanae sensibiles* earumque vires. *Dispositio* est apta earumdem constitutio, collocatio in iis adiunctis, in eo medio ambiente viisque promotionis, quae a charactere determinati ordinis exigantur, seu quae reclamentur ab illa *ratione*, secundum quam elementa mundana fuerint ordinata. Talis *ratio* varia esse solet pro ordinum varietate;

---

(1) *De Trinit.*, 19; *De civit. Dei*, c. 13. — Est definitio ordinis *secundum locum* (S. Th.).
(2) 1° Dist. 20, q. 1, a. 3, Solutio I. — Id potius est *praesuppositum* quam ordinis constitutivum (S. Th. ib.).

quantitas pro ordine merae *symmetriae* (si libri iuxta externas dimensiones distribuantur); *qualitas* sensibilis pro apta *colorum* in picturis combinatione; *situs* in ordine prioritatis et posterioritatis localis seu collocationis; *tempus* in ordine prioritatis et posterioritatis temporalis (in successione historica); dignitas in ordine primatiarum... In ordine mundano praeferenter saltem est *finalizatio*, sive *active*, i. e. id, quod ab ordinante intenditur (ratio ut causans), sive *passive*, i. e. *ducentia* ipsa cursusque rerum in finem intentum (ratio ut causata). Qui finis simpliciter ultimus unus est (extrinseca Dei gloria); sed alii quoque (non primarii nec ultimi) dantur, sive *generales*, v. g. pulchra et duratura integritas mundi (bonum *universi* totius), sive *particulares*, v. g. commoda viventis evolutio, apta energetica expansio, abundatia mediorum pro vita beata huius, alius hominis, etc. Licet enim una pro *uno* ordine praecipiatur ratio, eo quod plura ad unitatem nonnisi per *unum* trahantur (S. Th.), sed id rigore verbali de ordine *simplici* sonat; in ordine *complexo* (mundi) suo adhuc modo idipsum verificatur per unitatem rationis ultimae (finis ultimi), quae totam regat rerum universitatem sub apta earumdem ad finem primarium conducentia, quin impediat tamen alios partiales ordines, quos ordinator per *eadem materialia* elementa obtineat; pro quibus singulis totidem aderunt rationes finesve secundarii seu totidem finalizationes.

180. — 3. *St. q.* Liquet iam *ordinem mundanum*, *medium* arguendi, a primaria finalizatione « gloria *Dei* » plene nunc praescindere, ne manifesta adsit petitio principii; ignoramus enim exsistentiam Dei. Hinc, primario fine (gloriae Dei) ad Ethicam vel ad Cosmologiam reservato, mundanus ordo magis (ut ita dicam) mundane est iam assumendus, prout ipsimet destinatus mundo atque mundanis servitiis varie adaptatus deprehenditur, ita quidem ut Deus in conclusione fluat quasi fructus ordinis in mundo et *pro mundo* observati; fluet enim tunc solum, cum *medium* argumenti sit *mundana* finalizatio, *sileant* autem ordo et finalizatio, quatenus ad *gloriam* diriguntur *Dei*. Unde sub *obligatoria* pro nunc ordinis restrictione:

181. — *Ordo mundanus* est apta *rerum viriumque dispositio, quo res aliae ab aliis oriri, nutriri et conservari possint, omnesque in bonum, pulchritudinem et unitatem universi conspirent.*

Hinc simul elucet *a*) *indoles* argumenti et *b*) *principium* in quo nititur; videlicet: *a*) dictus ordo seu complicata dispositio atque in unum conspiratio, in tanta rerum viriumque diversitate passive exsistens *appellat ad ens*, in quo active tota simul conceptio formalisque intentio exsistat, *finalizatio* activa in actu primo et in actu secundo. — Hinc *b*) *principium*, viam proxime fundans, erit: « Opus (per se et constanter) ordinatum est causae intellegentis effectus ». Immo argumentum ipsum quasi *duplicatum* appareat necesse est; saltem sub duplici finalizatione seu teleologia: particulari nempe et *complexiva*, *individuali et sociali*, quam in studio mundani ordinis deprehensam habebimus. Etenim ens unum observatur sibi inservire alterique *individuo*, quasi se quaerens et amans, proximum quaerens et amans (finalizatio individualis); simul autem notatur in conspirationem intrare *communem*, ad bonum universi (finalizatio socialis). Quo tamen probatio clarius valida simpliciorque procedat, utrumque per modum *unius* accipiemus, ad complexum tamen in conspiratione harmonicum praeferenter attendentes.

De qua adhuc entium conspiratione *duo* veniunt notanda: 1º Ad illam pro complexu affirmandam exigi non debet *singulorum* perfecta cognitio;

seu ne exigatur ut nullius in concreto rei vel virtutis determinata nos lateat destinatio aut officium locusve fixus in communi officio. Ex his, quae novimus, inductione et ad res alias concludemus. 2º Non omnia mundana entia uno conspirant eodemque modo, nec finalizationes sive individualem sive socialem una exsequuntur ratione, sed pro naturarum *diversitate* in fines diversimode ducuntur:

a) *Intellectualiter* ens intellectivum, quod finem et media *formaliter qua talia* bene percipere capax est (homo);

b) *instinctive* ens sensitivum *materialiter* solum percipiens finem et media (bellua);

c) *plastice* ens non cognoscitivum, debite tamen propria plasmans organa pro sui perfectione generisque perpetuatione (planta);

d) *legaliter* ens non vivum, iuxta leges tamen naturae ad requisita tendens temperamentum, densitatem, etc. (mineralia) (1).

182. — *Prob.* In mundo mirus splendet ordo, sub quo res diversae, etiam contrariae invicem sic sociantur, ut sive ad individui, sive ad universi perfectionem apte constanterque conspirent. *Atqui* id *effectus* est causae intellegentis, sapientis ordinatoris, ultimo Dei. *Ergo* ex ordine mundi adspectabilis recte infertur Deus ut sapiens ordinator primus.

Maior affirmat duo: 1. Res agunt ob fines PARTICULARES, i. e. singulae ob *personale* sui aliorumque bonum (quo solo iam omnes inservient toti, cui subordinantur). Est factum manifestum. Id autem evenire *per se*, i. e. a rebus per modum *naturae* seu ab *intrinseco* exsecutioni mandari non *per accidens* perque modum extrinseci impulsus (ut sagitta a sagittante movetur), ex ipsa phaenomeni constantia Cosmologus concludit.

2. *Res mundanae conspirant in perfectionem universi.* Uberius id in dies naturales scientiae intimiusque suis inventis collustrant. Etenim: *a*) *res infimae*, elementa, apte cum energiis distributa, sollicite texturas elaborant, membranas nervosque viventis, cuius complexa functio biologica etiam organa complexa reclamat. Porro vita sub normali elementorum harmonica distributione possibilis fit, facilis, pulchra; iisdem perturbatis, morbi adveniunt, mors.

b) *Viventia* alia aliis subordinantur: planta nutrit animal, in vita sustentat (plantae chlorophillosae, in adspiratione sibi assumentes dioxidum carbonicum, aërem reddunt oxygenatum, vitae animali aptatum...); animalia alia aliis nutrimento invicem atque praesidio sunt; homini inserviunt; homo vicissim eisdem varie providet. Cum quibus individualibus servitiis simul totalitatem universi in suo pleniori esse retinent. Ergo res mundanae in bonum *universi* conspirant.

Min. Ordo mundanus: 1º non est *a se;* secus enim perfectissimus *exsisteret* et invariabilis (Cfr. 3ª via). Atqui mundus actuali perfectior facile concipitur; hic praesens limitatus est, quaquaversus variabilis. Ergo non est *a se*, sed factus.

2º Est ab aliqua *intellegentia*, non a *casu*. Causa enim nequit esse effectu inferior. Atqui effectus est complicatissimus, ordinatissimus, fines constanter obtinens iisdemque suos adaptans plexus; *casus* autem, caecus ordinisque nescius, *tam constanti* opponitur cursui et conspirationi. Ergo ordo ab aliquo proficiscitur intellectu.

---

(1) Cfr. Hontheim, n. 259

Ad min. Nemo casui vel semel adscribere praesumit litterarum in Aeneide distributionem, aut guttarum combinationes in tabula puellae Immaculatae Murillo; si talia pluries repetantur, minus adhuc. Ergo minime opus universi complicatius et constans.

3º Est ab *intellegentia summa et a se*. Nam si vel una operis particula, oculus animalculi, non effici et ordinari sed ne intellegi quidem ab homine potest, a fortiori infinitae propemodum partes harumque coagmentationes. Reliqua autem mundana intellectu carent. Ergo illa intellegentia a mundo distincta est; igitur est *a se*. Si enim esset ab alio, i. e. si v. g. esset angelus aliquis (intermedius), *hic ipse quia participatus*, etiam in hypothesi sufficientiae pro tanto opere ordinando, patrando, alium argueret *imparticipatum* ut supremum fontem, *ens a se*, Deum, sapientissimum, potentissimum.

183. — *Scholion I. De valore casus.* I. « Casu fiunt omnia ». Est evasio atheismi, sed antiscientifica; cum enim res explicanda *miram* exigat causalitatem, exigentiae satisfacit per causalitatem *nullam*, quae est propria *casus*.

Hos philosophos (Thaletem et Anaximenem) Aristoteles in despectu habuit: « tantam rem casui fortunaeve tribuere non pulchre se habet »; Anaxagoram autem, qui materiae *intellectum* (νοῦν) addidit, sobrium inter ebrios appellat. Enimvero Thaletem, non Anaxagoram, imitantur sive materialistae ordinem universum atomorum *determinationi* tribuentes, sive Kant id possibile esse decernens. Sane *determinatio* naturae *unica* semper est et caeca, in sua monotonia incapax variationes selectivas explicandi, quae pro finium varietate apparent in mundo apte infiniteque multiplicatae, sive constantes sive transeuntes; curnam v. g. oxygenium et nitrogenium ad debitam vitae proportionem in aëre misceantur; alibi autem eadem aliter pro alio effectu consocientur, etc.

184. — II. *Deterministae - Casualistae.* Igitur *Deterministae* minus adhuc quam *Casualistae* ordinem explicant; determinationi enim ideo casum hi superaddunt, quia solam illam clare impotentem censent. Utrique tamen in excludendo *intellectu*, consequenter omni *elicita* ordinis *intentione*, conveniunt. Deinde vero discrepant:

a) *Deterministae* enim *naturalem* ordinis intentionem atomo concedunt ob eius determinationem ad *duo:* 1º ad suos motus *individue* necessarios ex propria natura; 2º ad harmonicas cum motibus aliorum *combinationes*.

b) *Casualistae* primum quidem atomo, sed alterum *casui* adiudicare amant non atomo. Sed nec de hac praeoccupemur differentia (in se levi, pro nunc nulla); utique de *alio* puncto, contra utrosque *essentiali*, de *necessitate* inquam intellectus, supra elementa sistentis eademque sapienter dirigentis.

185. — III. *Quid sit casus.* Casus dupliciter sonat: *active* et *passive*. *a*) Dicimus: casu inveni amicum, casu occidit fratrem... et tunc casus appellat *causam* efficientem; *b*) sed et sic: talis eventus casualis fuit, et tunc casus appellat *effectum*. At reipsa casus proprie ad *eventum* pertinet, ad effectum, qui tamen non habuit in casu *specialem* sibique propriam *causam;* causalitas enim *casus* nulla est, ait Aristoteles. Hinc eventus *casualis* ille dicitur, qui per accidens seu praeter intentionem agentis et agentium evenit, seu qui effectui per se intento ita *unitur*, ut ipse nec elicitive nec naturaliter fuerit intentus; v. g. Petrus deambulans intendebat valetudinem, ut et Paulus amicus; occursus in platea fuit *casus*. Aratrum intendebat cultum terrae, offensio thesauri fuit *casus*. Sed *defectus* intentionis in causa plenus sit oportet adeo, ut 1º causa ipsa (aratrum) naturaliter ad rem illam non ordinetur; 2º nec motor causae rem illam *nunc* intenderit; si enim aratrum tunc spe thesauri ducebatur, inventio thesauri non fuit casus.

Albertus M., philosophum commentans, ait « fortuitum semper (saepius) causari ex *duobus intentis* ». Tunc casus erit coincidentia non praevisa effectus duplicis ex duplici intentione procedentis; seu quid coëxsistentiam illorum comitans; v. g. amicorum occursus; inventio autem thesauri comitatur coincidentiam occultationis intentae thesauri cum cultura terrae intenta.

Neutra causarum ad alteram ordinatur, et respectu eventus utraque *fortuito* seu *per accidens* se habet. Inde et phrasim Philosophi « casus proprie nullius causa est, quia est causa accidentalis » explanat Angelicus: « Omne quod est *per se*, habet causam; quod autem est *per accidens* non habet causam (i. e. propriam sui et distinctam), quia non est vere *ens*, cum non sit vere *unum*. *Album* enim causam habet, similiter et *musicum;* sed *album musicum* non habet causam (tertiam), quia non est vere *ens* neque vere *unum* » (1 p., q. 115, a. 6, c). Sunt *plura* entia.

186. — *Observa.* 1° Condicio illa « ut raro eveniat », casui ab Aristotele (1) imposita (nec nimio rigore sumenda), casus *exclusiva* non est; v. g. miraculum, etsi *raro* fiat, non fortuito fit, cum *per se* intendatur; sic et eclipsis solaris, quae ex naturali causarum *intentione* contingit, etc.

2° *Casus* et *fortuna* invicem differunt ut *magis* et *minus* late patens; fortuna enim est eventus *fortuitus* in agentibus *liberis*, deliberate operantibus (Arist.); casus autem eventus *casualis* in *quibuslibet* causis.

3° Idem factum, pro uno casus, pro alio potest non esse casus: videlicet, *a*) *pro Deo* nullus eventus est casualis, cum omnia praevideat, et aut intendat aut permittat; *b*) occursus servorum in horto pro *domino illum praevidente* non est casualis, utique pro servis nihil praevidentibus (S. Th. 1 p., q. 116, a. 1).

187. — *Schol. II.* Illogice Kant ab adhaesione, argumento ex ordine olim praestita, recedit suspicans mundi harmoniam non *contingentem* sed necessariam esse: quod radii circuli aequales sint ex *essentia* circuli venit, etc. Sit ita; sed argumenti vis *intacta* manet; quod enim essentiae actuatae fuerint apteque ad fines disponantur, *ab alio* tandem intellegente procedit. Immo sequitur ex doctrina Kant, iuxta quam: 1° essentiae et possibilia *fundantur* in actuali essentia sapientis auctoris, ne aliter sapiens auctor fiat *dependens* ab essentiis (ut contra Genuens. et Storchenau... nosmet arguebamus in Met. Gener.); 2° mundus *libere* fuit conditus, potuit non condi; hinc *deliberatio* mundi et *talis* mundi cum *hoc* ordine supponit sapientem conditorem, qui res numero, mensura condiderit, *apteque* fines disposuerit.

188. — *Obi. I.* Mundanus ordo potuit *casu* oriri. Ergo ex ordine mundano summus ordinator inferri nequit. — *Antec.* Una ex *possibilibus* atomorum positionibus haec *actualis* est. Atqui atomi deinde in motu sunt a tempore fere infinito. Ergo e seipsis prout nunc sunt disponi potuerunt.

R. N. Ant. Ad prob. *D. M.* Una ex possibilibus actualis est, transeunter ordinata exsistens, *Tr.* Constanter apte ad unum tendens, *N. M.* — *Tr. m.* — *D. par. cons.* Transeunter semel, *Tr.* Constanter, *N. cons.*

Explico. Vis argumenti non tam ex impossibilitate unius casualis ordinis, quam ex *constantia* ordinis fluit, seu ex eo quod casus *constanti* omnium in unum tendentiae opponatur (2). Ceterum vel ordo ipse transitorius, in *mathematica* quidem abstractione possibilis, concrete et physice vix eveniret, cum infinitis fere atomorum necnon virium fixis combinationibus constare teneatur. Partes enim universi valde heterogeneae, finibus heterogeneis inservientes, neque per excessum neque per defectum ullibi peccantes, quomodo e seipsis ne semel quidem actuali ordine sese disposuerint, difficile concipitur; sed *constantia* nullo modo.

189. — *Obi. II.* Si Deus mundani ordinis finem intenderet, a finibus creatis moveretur. Atqui Deum a creatura moveri absonum est. Ergo non est ordinator mundi (3).

---

(1) II Phys., c. 7.

(2) Sic S. Thomas: « Impossibile est aliqua contraria et dissonantia in *unum ordinem* concordare *semper vel pluries*, nisi alicuius gubernatione...; sed in mundo videmus res diversarum naturarum in *unum ordinem* concordare, *non ut raro et a casu*, sed ut semper vel in maiori parte. Oportet ergo esse aliquid, cuius providentia mundus gubernetur; et hoc dicimus Deum » (1° c. G., c. 13).

(3) Immo iuxta Spinoza a vero dicendi sunt aberrare « qui statuunt Deum omnia *sub ratione boni* agere. Nam hi aliquid *extra* Deum videntur ponere, quod a Deo *non* dependet, ad quod Deus tanquam ad exemplar in operando attendit, vel ad quod tanquam certum scopum collimat, quod

R. D. M. Moveretur *proprie, perfectionem* a fine accipiens, *N.* Improprie, i. e. quatenus illum vere *vult*, *C.* vel *Tr. M.* — *Ctr. m.* Proprie, *C.* Improprie, *Sd.* quatenus rem creatam velle nequit *primario* et propter ipsam, *C.* rursus. Quatenus ne *secundario* quidem illam velle possit ob suam gloriam, cui ut *media* ordinantur creaturae, *N. m.* — *N. cons.*

190. — *Explico.* Si Deus invenisset res iam independenter a Deo exsistentes, unde aliquid sibi sumeret, aut saltem ipse illas fecisset ex *indigentia* cuiusdam profectus, difficultas valeret. Enimvero Deus est factor rerum; aliunde Deus, sibi sufficientissimus, in se perfectissimus, *nihil* perfectionis e rebus a se factis ut quid non proprium mutuari potest; cumque ipse sibi finis sit, externam sui gloriam, non recipiendo, sed dando adipiscitur. Ubi nec fato locus est, nec externae *dependentiae*, ut Spinoza contendit. Moveretur enim, si posset, a *sua gloria* extrinseca, quam sane vult ut finem sed *libere* (et actus, quo id vult, est ipsa essentia Dei immobilis); proin sive res, sive earum ordinem libere vult ut media ad finem ad gloriam sui. Visionem vult esse in oculo animalis non ob visionem ipsam primario, sed ob suam gloriam; etsi deinde visum et apta visionis organa dat animali, *ut videat;* et hoc sensu organa vult ob visionem, et visionem ut *finem* (secundarium).

Plures difficultates in Cosmologia solvuntur, in Ethica aliae.

191. — *APPENDIX. De modo quintam viam sumendi:* I. Controversiam suscitat de Munnynck, pro quo mundanus ordo efficaciae quidem popularis est, si in eo ab interna praescindatur finalitate, at huius usus principium petit; finalitatem enim « non cognoscimus, nisi ex eo quod *Deus creaverit* mundum, atque proinde ad eam (finalitatem) praesupponitur *cognita* exsistentia Dei » (1). Respondeo id nec scholasticae traditioni nec veritati sat conformari, si affirmatio generalis esse velit seseque *ad omnes* finalitates extendens; sub restrictione ad *gloriam Dei* valere (Cfr. stat. quaestionis). Sed modo ipso probandi tollit ille restrictionem: Nos (ait) finalitatem non cognoscimus, nisi ex eo quod Deus *creaverit* mundum (quia secus *res non* exsisterent, proin...). Ergo cognitio *finalitatis, medii in* arguendo, praesupponit iam *cognitam* exsistentiam Dei, quae est in quaestione. — Sed haec immerito dicuntur. Etenim

R. D. Ant. Nos finalitatem (quam per res cognoscimus) non cognoscimus, nisi ex eo quod res mundanae *prae-exsistant* quales consistunt in se *ordinatae*, utcumque et *a quocumque* fuerint in exsistentiam perductae, *C.* Nisi ex eo quod *praecognoverimus Deum* illas creasse, *N. Ant.* — *D. par. cons.* Si ad percipiendam ordinationem, quae nobis manifestatur, seu finalitatem, *quam de facto* in rebus percipimus, necessaria esset *praecognitio* quod res et ordo exsistens, *a Deo* facta sunt, *C.* Secus, *N. cons.* — De fine ultimo *gloriae Dei*, concedo omnia (ut antea). Igitur in his duo sunt accurate distinguenda: praevia *exsistentia* mundi *ordinati*, et praevia *cognitio* creationis a Deo. Primum evidenter praerequiritur ad cognitionem cuiusvis finis. At posita mera rerum exsistentia, qualis conspectui apparet, sive interea mundus a se sit, sive ab alio (quod non est necesse scivisse), intellectus observans rerum tendentias ad unum, tunc *primo* cogitat de *fine* aliquo (non de gloria Dei); mox facile evictus inanimata praefigere sibi fines non potuisse, tunc *primo* co-

---

profecto nihil aliud est, quam Deum *fato* subicere, quo nihil de Deo absurdius statui potest ». (Ethices pars I, prop. 33, Schol. 2 in fine).

Observa: cum addit Deum esse *liberam* rerum causam, non sibi contradicit prius explicanti hunc praesentem mundum et ordinem esse necessario talem, nec alium posse esse quin Dei *voluntas* proin *essentia* realiter mutaretur. Nam pro Spinoza libertas Dei est solum a *coactione* sed non a *determinatione* ad unum.

(1) Munnynck, O. P., *Praelectiones de Dei exsistentia*, Lovanii, 1904.

gitat de *auctore sapiente concluditque illum* exsistere. In quo sane processu petitio principii nulla adest; de gloria deinde Dei non prius cogitare permittimur, quam Deum auctorem mundi ostenderimus.

192. — II. Mentem quoque Aquinatis aliam non fuisse, novimus 1) *passim* in Summa; 2) in q. 2ª de Verit. a. 3; 3) valde perspicue 1º c. G., c. 13 nuper citato (*obi. I*, nota); philosophus autem, si quando exsistentiam Dei demonstravit, id praesertim ex interna rerum obtinuit finalitate; immo in hac finalitate ut in cardine movetur integra sive Aristotelis sive Aquinatis Physica (notatum habent D. Nys, De San, Lahousse, alii); neuter tamen in Physica Deum praesupponebat; ex actualibus arguebant entibus in τοῦ esse actuatione deprehensis, qualiscumque deinde ipsorum fuisset origo.

Ascensus ex finalitate. Angelicus perspexerat permanentem in *unum* tendentiam in irrationalibus; quia vero in his *idea* finalitatis subiectari formaliter non poterat, necessario veniendum esse *conclusit* ad intellegentiam superiorem, mundi ordinatricem (1).

193. — *Epilogus ad quinque vias. Cur S. Thomas vias praecise sic ordinaverit.* Demonstratio desumitur *e sensibilibus;* primo sumit sensibilissima, *motus* corporeos. Attentius res contemplans, vidit entia *surgere ex causis.* Si iam res *ab alio fiunt, contingentes* erunt, *e se* incapaces essendi; in his autem facile observamus *gradationem* in *perfectione* semper limitata; quaerendus illius fons. Convergentiam quoque omnium in *unum finem* contemplamur. Methodus Angelici est in his a notiori ad minus notum, « ex evidenti ad arcanum... Invisibilia per visibilia » (Claverie, *l. c.*) (2).

Articulus III.

De argumento morali

Propositio XI. **Communis et constans humani generis consensus Deum esse demonstrat.**

194. — *Praenotanda.* 1. *Classes argumenti moralis.* Argumenta *moralia*, seu quae medium ex facto aliquo mutuantur creaturae liberae, tria recenseri solent: 1um ex universali *consensu* (Historicum); 2um ex *appetitu* felicitatis (Psychologicum seu Eudaemonologicum); 3um ex *synderesi* principiorum vitae practicae: bonum est faciendum, malum vitandum; parentes sunt honorandi, etc. (Ethicum). Tertium autem, immo et secundum ut integrativa prioris habeantur licebit, in quantum iudicia syndereseos in efformationem generalis consensus fortiter influere considerantur. Hinc classicum e *consensu* delibasse nunc sufficiat, quod Ethnologicum quoque et Historicum audit [seu Ethnologico-Historicum, quasi ex gentium (ἔθνος) consensu, historice noto, desumptum; unde et *Logico-Historicum*]. Veteribus non ignotum, Ciceroni vehementer placuit. De duobus aliis separatim in art. IV, § III aliquid dicemus.

---

(1) Claverie, *Revue Thomiste*, Ian. 1909.

(2) Pro historia critica fontium evolutionis... quinque viarum, consule Amor Ruibal, *Los Problemas...*, T. VI, in quo per 5 capita accuratum instituit studium de modo elaborandi vias trans varias aetates philosophicas in diversis scholis.

195. — 2. *St. q. et notiones*, sicut etiam condiciones, sub quibus ex hoc fonte veritas probabilis, quandoque moraliter certa, dimanet, satis ex Logica constant, et in probatione erunt necessario repetenda. Hinc

196. — *Prob.* Sensus communis iudicia *proprie talia*, i. e. sub certis condicionibus, veritate donantur. *Atqui* « Deum exsistere » unum est ex his iudiciis, i. e. 1) circa illud consensus semper exstitit; 2) nec scientiae opponitur; 3) nec ex ignorantia procedit adversus principia certa; 4) est summi momenti practici. *Ergo* consensus populorum probat Deum exsistere.

Mai. Talia iudicia (quae caeco instinctui accenseri non possunt, cfr. Log.) *universalia* sunt et *constantia*, ideoque ex ipso dictata *naturae rationalis* lumine. Atqui lumen naturale omnes fallere nequit (facultates sunt per se veraces). Ergo iudicia sensus communis veritate donantur.

Ad min. Consensu universali gignitur *semper probabilitas*, *quandoque* (debitis actuatis condicionibus) *certitudo*. Nunc intendimus *certitudinem*.

Min. 1ª *pars. a*) De populis antiquioribus scribunt, v. g. 1) *Tullius:* « *Omnes*, natura duce, eo vehimur Deos *esse*... De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est » (*De Nat. Deor.* I, 1). « *Omnibus* innatum est et animo quasi insculptum, *esse* Deos. Quales sint, varium est; *esse nemo negat* » (*ibid.* 2, c. 4). 2) *Seneca:* « Nulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos *Deos esse* credat ». 3) *Plutarchus* belle: « Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, legibus... carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem *templis Diisque* carentem... nemo unquam vidit ». 4) Est illud « *testimonium* animae naturaliter christianae » *Tertulliani;* est illa « scintilla ignis caelestis in animis fulgens » *Bossuet;* est illa notitia spontanea etiam paganismo communis *SS. Patrum;* est adhuc illa lex naturalis, a Xaverio cum Bonzis (Iapon.) disputante invocata: « Sed Deus tam bonus (aiebant) dereliquisset nos tot saeculis *sine medio* salutis ». — « Vos cognoscebatis Deum (respondet) *ex lege morali* ». Idem populi senserunt omnes, paucis forsan exceptis « quorum natura nimium depravata est » (Aug.), qui de Deo vix aut ne vix quidem cogitasse videntur.

b) De recentioribus exstant statisticae in Apologiis Christianismi, v. g. apud Schanz, Réville; in tractatibus de Religione, de Historia Religionum, in foliis circa Missiones, etc. Inde universi homines 1435 milliones, *religiosi* omnes: *Catholici* 218 milliones; *Christiani* acatholici 214 milliones; *Iudaei* 8 milliones; *Mahometani* 120 milliones; *Brahmanistae* 138 milliones; *Buddistae* 503 milliones; *Fetichistae* 234 milliones (1).

Min. 2ª *pars.* Nec cum scientia pugnat. *a*) In vigore scientiae, in efflorescentia coetuum sive monotheistarum sive paganorum, Deus a praeclarioribus ingeniis centrum potius scientiarum, solutio aenigmatum mundi explicite passim, implicite semper habitus est. *b*) Quod mechanicistae, Monistae aliique totam scientiam, legum firmitatem in hypothesi theismi ruinari dicant, 1º opponitur non Deo cuilibet, sed potius monotheistarum; 2º inde venit, quia sub Dei libertate et providentia res omni carere fixitate censeant, cum tamen etiam a Deo libere creatae, naturas acceperint fixas fixisque catenatas legibus, seu ex quibus fixas liceat eruere leges. Ergo sub falso solum supposito Deus creator scientiis adversari dicitur.

Min. 3ª *pars. Nec ex ignorantia nascitur.* Ignorantia sane, superstitio, praeiudicia nationalia, magisteria dolosa, fanatismus sacerdotum, aliaque

---

(1) Computum Hubner ap. Honth. n. 407, *Siglo de las Misiones*, Burgos, Nov. 1924.

id genus, variationi subiacent, ante tribunal rationis titubant. Atqui etiam transactis fetichismis tonitruorum, cometarum..., persuasio de Deo firma viget scientiis consociata. Ergo inter *superstitiones* ignorantiae illam falso collocant (Spinoza, Mirabaud...).

Min. 4ª *pars.* Probatur per integram Ethicam.

197. — *Scholion I. De valore proprio licet secundario argumenti Ethnologici.* Pro his, qui proprio diffidentes ingenio supra aliena fidentius quiescunt dictamina, hoc argumentum esse poterit *princeps.* In virtute autem scientifica primum esse nequit; immo si *hoc solo* fonte omnes semper fuissent usi, eius vis *nulla* esset, nisi admissis iudiciis *caecis.* Seu in historia universali hominum usus fontis *externi* (auctoritatis seu consensus) praesupponit usum *priorem internorum,* ex quibus sagaciores homines veritatem hauserint, et *per posterius* efformaretur consensus plurium sufficienter gravis, cui alii acquiescerent, eaque ratione communis consensus constitueretur iam *propriam* habens *vim,* ut etiam primo seu ut ex *primo* motivo alios convinceret. Igitur si argumentum ethnologicum *proxime* et *formaliter* in se spectetur, novus ei ac *specificus* adest character, qui a novo *motivo* nascitur, *auctoritate* scilicet testimonii generalis, vi cuius exigit, ut qui talem noverit auctoritatem, ob ipsam, etiam ut ob *primum* motivum, rei relatae assentiatur, licet rei acceptae extrinsecum sit ideoque non absolute primum, sed alia supponens intrinseca, quae merito proprio multorum prius movissent animos consensumque progignerent, capacem constituendi pro aliis novum motivum (ut dictum est).

198. — *Scholion II. Habitudo huius ad alia argumenta. An petat principium. Ordo historicus* in motione motivorum ex dictis fluit. Assensus, absolute *primo* praestitus iudicio « Deus exsistit », motivari initio debuit (extra hypothesim semper locutionis Dei) ab intrinseca ratione v. g. 3ae et 5ae viae; pro omnibus nunquam necessario. Verum iidem, qui ob rationes quondam consensere intrinsecas, deinde intrinsecorum quasi immemores ponderum, e sola iam auctoritate ut e primo ab aliisque specie distincto motivo, consensum iterare possunt. Concludes: argumentum non pure *indirectum* esse (Schiffini) merumque veritatis aliunde notae *confirmativum,* sed *novum* fontem, *e se* medium; immo esse posse *relative* (seu pro aliquibus) *primum.* Sed aliunde, si ita assentiens quaeratur undenam sciat eos, qui Deum esse enarrant, non falli, respondere nunc non poterit ut in Logica « quia secus natura duceret homines in errorem, et vitium refunderetur in *Deum* »; quod enim ibi (ob suppositam Dei exsistentiam) bona erat ratio, clara nunc esset petitio principii. Ex inductione autem bene respondebit: si res aliae in proprium bonum finesque naturaliter feruntur, homo, ceteris superior, in suum praecise malum (error malus est) natura non vehitur. Atque haec sufficienter recusant petitionem principii, quae argumento obicitur Ethnologico, necnon et Eudaemonologico. Ethnologicum censent inniti ratione mox perpensa; Eudaemonologicum in hac: « quia secus dedisset *Deus* tendentiam frustraneam ad beatitudinem »; ideoque (inquiunt) assumit *Deum,* quod erat in quaestione (Buonpensière). — Bene quidem si ratio assensus assumatur *bonitas Dei;* secus vero, si in *inductione* sistat, ut nuper de Ethnologico dicebamus.

199. — *Obi. I.* Exstitit consensus populorum (Iudaeis exceptis) pro polytheismo, nec plures tamen dabantur dii. Ergo a pari, consensus populorum exsistentiam Dei non probat.

R. Tr. Ant. N. cons. et parit. Persuasio polytheistica carebat, caret, notis iudicii sensus communis; nempe: cum scientia non cohaeret, quippe quae obsistit principio: ens a se nonnisi unum esse posse. Error ex ignoratione fluebat *naturae;* quasi Sol, plantae et bestiae (creaturae reipsa homini subiectae) in hominis punitionem irruere libere valerent, etc. Hinc evenit tali iudicio *constantiam* defuisse, coram scientia *robur.*

200. — *Obi. II.* Consensus diu tenuit de motu Solis, terra quiescente; de sinistro eclipsium praesagio, aut cometarum; de concavitate caelorum; de pugnantia antipodarum. Atqui singula falsa sunt deprehensa. Ergo idem de consensu in Deum suspicari licebit.

R. N. parit. E memoratis iudiciis nullum debitis ornabatur condicionibus. Pleraque in Physicae nescientia nitebantur, cum indubiis collidebant principiis, nec vitalia dictabant in moribus dictamina, quae ab ipsis penderent; nec e fundo denique oriebantur rationalis naturae, hinc scientia veniente evanuerunt.

201. — *Obi. III.* Consensus ipse non est *universalis.*

R. D. Assert. Mathematice, *C.* Moraliter, *N.* Universalitas hic requisita non talis est, quae ne unum quidem alterumve negantem toleret (populum, gentem...), sed sufficit *moraliter* universalis ad omnes fere populos aetatesque sese protendens.

202. — *Obi. IV* (Inst.). Atqui ne *moraliter* quidem universalis dici potest. Nam votum unius sapientis valet plus, quam mille rudium. Atqui plures obstant scientiae cultores, athei positivi, critici. Ergo consensus ne moraliter quidem est universalis.

R. 1º Invocatur factum non certum. Plures id voce negant, intus affirmantes; vel etiam ex corruptela morum *cor* quidem ait: non est Deus; sed reluctante intellectu. *R.* 2º Si in intellectiva sincerorum hominum suasione insistas solamque quaerentium veritatem, tunc respondeo superbia solum evenire nec simulata satis autolatria ut intellectus titulo licet invocato scientiae, motivorum ponderi proterve resistat, sophismata ipsa sub apparentiis nimis acceptet, unde etiam diu veritas lateat. Nec ipsa igitur positiva paucorum renitentia ordinatam rationis universalitatem frangere dicenda est; in argumento autem consensus sumitur *ordinatus,* coram *intellectu* sincerus, neque sequelis iucunditati ingratis minorandus.

203. — *Obi. V.* Consensus populorum e fontibus variis ortum habuisse videtur, a *natura* rationali distinctis. Ergo nihil ex consensu sequitur. *Antec.* 1º Ex humana lege atheos dure puniente. 2º Ex fraudibus sacerdotum. 3º Ex praeiudiciis hereditariis. Ergo.

R. N. Ant. — *Ad prob.* 1am *a*) Nego suppositum historicum; tales leges raro exstiterunt. *b*) Humanae leges ad internam obedientiam impellent sub praevia solum cognitione Dei submissionem praecipientis. Sine hoc leges irrisorie, passim etiam despective, acciperentur, extrinsecus autem et coram ministris solumque ex metu punitionis observarentur. Atqui Deum Deosve colere etiam interne extra conspectum aliorum homines consuevere (1); veniam peccatorum internis flagitabant gemitibus; eventus bonos, beatitudinem mortuorum, silentio sollicite expostulabant. Humanae igitur leges argumento detrahunt nihil.

Prob. 2am *N. a*) Fraudes sacerdotum in pueros quidem aliosve similes etiam diu fortiter influere poterunt, minime vero in sagaciores obiectivoque motivorum ponderi attentos. *b*) Sacerdotes passim non aderant; a populo ipso e plebeis designabantur, nec sapientiores semper, proin nec ad decipiendum aptiores. *c*) Error facile deprehensus esset; utilitas in errore diffundendo pro sacerdotibus nulla; incommoda plerumque, bonorum amissio, despectus, mors. *d*) Immo sacerdotalis institutio suasionem de Deo exsistente praesupponit.

Prob. 3am *N. a*) Praeiudicia hereditaria corrigi possunt; nonnulla de facto aut disparuere, aut reformationem sunt passa. *b*) Nec talis hereditas ad omnes se extendit homines; primaevae quidem generationes aliunde quam e traditione suam de re scientiam mutuari tenebantur.

---

(1) « Haec cum diceret Socrates, mihi videbatur efficere ut familiares suī a rebus impiis, iniustis et turpibus abstinerent, non solum quando ab hominibus conspicerentur, sed et in solitudine, existimantes *nihil* eorum, quae agerent, deos latere posse » (Xenophon, *Memorabilia,* libr. 1, c. 4, ultima verba).

Articulus IV.

DE ALIIS PROBATIONIBUS

204. — Aliorum quoque argumentorum brevis accedat notitia necesse est; quorum rursum distributio sit in *Metaphysica*, *Physica* et *Moralia*.

§ I. — *De argumento metaphysico.*

205. — Quoniam e mundo desumitur ideali, i. e. sive ex *possibilibus* sive ex aeternis *veritatibus*, in mundo possibilium fundatis, *ideologicum* quoque appellant.

I. *Probatio ipsa.* De facto dantur possibilia, vere producibilia, ideoque ab absoluto nihilo distincta. *Atqui* nec dari nec ab absoluto possent distingui nihilo, si reale eorumdem fundamentum, Deus, actu non exsisteret. *Ergo* exsistit Deus. — Idem ex aeternis colligitur veritatibus.

Mai. A mundo actuali ad res potentiales facile transimus; levi supra has speculatione *obiectivitatem* iisdem *propriam* comperimus, a subiectiva cogitatione independentem eaque priorem; atque haec praecise obiectivitas constitutivum est possibilis formalis inque sphaera entis realis ipsummet collocans, prout reale chimaerico opponitur. Hinc possibile ab ente *rationis* differt, differt a chimaera; supra ipsum integrae fiunt demonstrationes, possibilibus applicantur praedicata, principia, quasi realiter actu exsisterent, v. g. circulo, triangulo, homini possibili, etc. (Cfr. Met. Gen.).

Min. Illa quaecumque possibilium realitas rationem sui *in se* non habet. Nam: *a*) Cum sit creatura, ens *ab alio est; b*) secus *infinita* esset actuque exsistens ut *ens a se*. Ergo rationem sui extra se habet, ultimatim in *ente a se* (Contra Wolf. Storchenau... in Met. Gen.). Atqui pugnat ens a se mere *possibile*, actu *non exsistens* (n. **77**). Ergo si dantur possibilia, exsistit Deus.

206. — *Observa.* Data Minoris probatio firmius, clarius, vim totius argumenti sustentare videtur, quam illa alia: « Quidquid a nihilo differt, ab illo differat necesse est *per aliquam* exsistentiam ». Porro ad hanc respondemus: *a*) Sui an alterius? *in aequivoco* sistit; aut *b*) supponit quod est in quaestione; *c*) nego simpliciter; potest differre per aliquam *possibilitatem*.

207. — II. *Discussio.* Lites de valore argumenti (nostro quidem iudicio) partim ex modo diverso nascuntur intellegendi *formale* possibile, partim ex aliis hypothesibus.

1. Simpliciter illud approbant post Kleutgen plures, v. g. Schiffini, Pesch Chr., Boedder, Van der Aa...; clare propugnat illud Hontheim (nn. 219-234).

2. Alii aut praetermittunt, aut illud in sua *Minori* de petitione principii accusant (v. g. Lahousse, *Theod.*, n. 104).

3. Pro nobis peccatum, si adsit, potius in *Maiori* latet. Maior ex vi propria *possibilis* atque a priori ostendi nequit, principium petit. Hinc: Probatio solitarie ac sine exsistentium adiutorio efformata, inefficax est dicenda. *b*) In concreto autem, ut proponi consuevit, efficax, *nec nova* tamen aut ab his, quas e rebus *actualibus* mutuamur, separanda. Scilicet: nisi actua-

lia prius perceperimus, de possibili nulla aderit cogitatio; si adesse fingamus, ignorabimus utrum necne *vera* sit essentia in actum trahibilis, an chimaera. Idipsum de aeternis veritatibus circa totum, partem, etc. valere concludimus, nec illas in absoluta propria veritate sub omni hypothesi subsistere posse: *Farges* autem propriam eis attribuens consistentiam, ad *Storchenau* accedit, possibilia claudentem in se ipsis sine fundamento Dei. Sane omnis veritas, omnis possibilitas fundari debet in Deo exsistente; sine quo proin *neutrum* dari poterit. Extra hanc hypothesim nec verum nec falsum aderit, sed absolutum nihil (1).

Brevi: *Maior* argumenti aprioristice, si Deus non supponatur, falsa est. Hinc Deus demonstretur ex exsistentibus; quod sufficit.

§ II. — *De argumentis physicis.* *Ex miraculo. — Ex Biologia. — Ex Entropologia.*

208. — 1. *Ex miraculo:* Historia miros profert eventus praeter leges naturae, supra vires creatas sive sensibiles sive etiam insensibiles; v. g. resurrectionem Lazari. *Atqui* citra exsistentiam superioris causae, cui naturae leges obtemperent, talia facta inexplicata manerent. *Ergo* exsistit Deus.

Ex hoc quidem capite egregium emergit argumentum. Adhuc quia plenior eiusdem scientifica evolutio elementa requirit varia, critica, nec adeo in se simplicia, v. g. discerniculum veri et falsi miraculi, utrum necne miraculum vires *omnes totius* naturae, nec sensibilis solum, superare teneatur etc.; cum aliunde horum necessaria tractatio brevi non sit absolvenda calamo, argumentum ipsum alio amandare consiliamur, v. g. ad Apologeticam.

209. — 2. *Biologicum* ex vita mundana, trahitur ex *origine* organismorum, quae necessario adscribenda sit Deo; sic: Initium vitae organicae non coincidit cum initio mundi anorganici. Atqui aliunde *vita* organica non potuit oriri a viribus elementorum. Igitur exsistit ens supramundanum, quod vim novam materiae indiderit. Cum *Minor* abunde in Psychologia ostendatur, probatio valida atque etiam ob scientificum apparatum elegans proditur; acriter tamen eiusdem nomine scientiae ab evolutionistis expellitur ceterisque materialistis, quorum nota est aversio a novitate principii (2).

210. — 3. *Entropologicum* ex principio physico *entropiae* seu conversionis: Calor mundi in dies crescit, aliis decrescentibus energiis, quae in calorem convertuntur. Ergo mundus initium habuit, secus enim calore nunc succenderetur infinito. Ergo exsistit Deus, qui mundo initium dederit. Fundatur in facto physico nec satis claro nec facile intellegibili. Cavendum tandem ne rationum aut multitudo satians, aut levitas crescens, causae plus noceat, quam proficiat.

---

(1) In his consentientes habemus etiam plures, qui scholasticam scientiam exstinctam praedicant; v. g. *Cousin* pulchre de hoc veritatum et principiorum disserit fundamento ultimo (*Du vrai, du beau et du bien*5. Paris, 1855, 4ème leçon: « Dieu principe des principes »).

(2) Illorum mentem personificat Ludovicus Büchner, *Force et Matière*, passim v. g. c. 5: « Valeur de la matière », versus fin. « Que l'on abandonne donc les vieilles idées en contradiction avec les données de la science... ».

§ III. — *De argumentis moralibus.*

211. — Inter moralia, ethnologico supra exposito duo praesertim adiunguntur:

I. *Eudaemonologicum* ex beatitudine: Homo in beatitudinem sponte tendit, in bonum, cuius possessione voluntas plene quiescat. Ergo ne secum natura pugnet, i. e. ne partem sui *nobilissimam* infelicem reddat, cum viliores in possessionem perducat suorum finium, necesse est ut homo appetitum beatitudinis satiare seu in possessione finis penitus quiescere possit. Atqui nonnisi bono *infinito*. Ergo exsistit bonum infinitum, Deus. — Subsumptam demonstrat Ethica.

Eadem probatio pro animae immortalitate alibi prorsus est acceptata; Psychologia tamen capitale punctum in sapientia firmabat *Dei*, cuius esse probatum supponebat, quod nunc non licet; unde nunc locum Dei occupat iam *natura*. Sic:

1º Probatio solide confici potest. Petitio autem principii, quam obicit Buonpensière, vitata erit, si Deum substituat natura, i. e. si consequentia Maioris non e sapientia *Creatoris Dei* (ut ille supponit), sed ex inductione (ut supra) probetur, ex condicione inquam *naturae*, quae cum inferiora ad suos fines usque perducat, seu cum in parte viliori suos constanter obtineat fines, a fortiori hominem in via ponet suum assequendi bonum, seu: si in vilioribus natura non deficit, nec in nobilioribus deficiet.

2º Adhuc, concessa vialitate viae, displicet tantam ipsimet decretare primatiam, quasi sola nos ad Deum tuto conducat.

3º Immo sub dictis ad sapientiam vel *Dei* vel *naturae* effugiis, discursus iidem, qui nomine concreto *Dei* clare evincunt, vago *naturae* titulo suam adhuc exercent quidem vim, tam subobscure tamen, ut sub hac sola luce quiescere quasi in fine gravissimi problematis philosophus vix aut ne vix quidem addiscere velit.

4º Tandem pro Pantheistis finis hominis, sicut et universi, in ipsa consistit entis expansione, in eius sine fixo termino evolutionibus; hinc, quoniam ad *Deum* determinatum verum, bonum, nec intellectu unquam nec voluntate perveniemus, beati erimus supra bonum ut sic perpetuo gyrantes. Similiter positivistae cum Comte beatitudinem hominis in progressu *humanitatis* collocant. Haec sane falsa esse scimus, adhuc falsitatis non tam facile convincuntur.

212. — II. *Deontologicum.* Derivatur e synderesi rationis practicae sic; prostant *dictamina* practica: Bonum est faciendum, malum vitandum, maiores honora, alteri ne facias quod tibi fieri non vis..., quae semper et ubique universaliter obligant. *Atqui* tam illustre conscientiae factum, Deo non exsistente, inexplicatum maneret, i. e. dictae intimationes iam non obligarent, immo falsae essent. *Ergo* exsistit Deus.

Brevi: Exsistit *lex* naturalis, *stricte* talis seu vere *obligans*. Atqui, Deo non exsistente nec ipsa lex exsisteret; lex enim sine *superiore* non est stricte lex. Ergo Deus exsistit. Quod argumentum in honore nunc habetur.

213. — *Crisis.* 1º Pro *oratore* quidem, pro animo sincero inque bona fide Deum quaerente egregium dices, necnon pro philosopho argumentum quasi *confirmativum* aliunde notae veritatis adhibente. 2º *Philosophice* et pro phi-

losopho eidem ut *primae* principalive rationi adhaerente, minus excellens; *probabile*, non *certum*. Etenim talia dictamina vim *strictae* legis habere, vere scilicet *obligantis*, nisi praevie perque viam aliam Deum esse noverimus, ostendi vix poterit. Fautores *Moralis sine Deo*, immo philosophi inter utrumque medii (neutrales) totum ad voces trahent *honestatis naturalis;* remorsus, rubores aliaque signum esse dicent meri in societatem peccati aut in propriam entis *rationalis* dignitatem, seu meram esse coram societate verecundiam, coram *se digno* (1), minime coram *Deo*. Circa *remorsus* autem, si his haereas eosque intendas sine exsistentia superioris legislantis, minitantis, inexplicatos manere, tunc ille negabit suppositum: negabit *tales* remorsus dari; negabit illos a fonte *Deo* manare; nec de hoc illum convinces (notat Mattiussi « Credo in unum Deum »). Verbo: qui reliquas sibi vias scientifice clausas habet, per hanc incertam intrare dedignabitur. Ergo insistamus in aliis potius viis.

Articulus V.

de atheismo

I. *Atheismus*. — II. *Athei*. III. *Exsistentia Atheorum et causae Atheismi*.

Pleniori Atheismi studio theologis relicto, brevis sufficiat conspectus.

214. — I. *Atheismus*, etymologice *ignoratio* vel negatio *Dei*, aut etiam negatio Deismi (α, θεός), re et doctrinaliter est systema philosophicum exsistentiam Dei aut negans aut controvertens.

1. Opponitur in rigore *cuilibet Deismo*, i. e. cuiusvis personalis creatorisque Dei systematicae affirmationi; attamen ex intentione atheistarum plerumque potius *Theismo*, i. e. Deo personali, creatori, sed insuper *provido* rerum atque operoso conservatori; specialiter adhuc *Mono-Theismo* (de Polytheismo enim ut tam clare antiscientifico, ne praeoccupari quidem solet); intra Monotheismum specialius Monotheismo Christiano-Catholico, sub aspectu *supernaturalitatis* sibi characteristicae (2) cum toto illo miraculorum rituumque sacramentalium apparatu, cum suo Decalogo, cum fundatione Ecclesiae divina.

215. — 2. *Observa*. Terminologia, i. e. sensus et oppositio terminorum « Deismus, Theismus » non una semper mansit, neque nunc manet. Cum primo (saec. XVI) « Deismus » sonuit, Deismus et Theismus indistinctim *Atheismo* opponebantur, etsi certe theismus et theistae ad catholicos praeferenter applicarentur. Post Lockium deinde, eiusque merito, cum (saec. XVIII) in Anglia fervere cepit philosophia « illuminationis » (maximam in omnibus quaerebat *claritatem*), quae erat naturalismus in philosophia et religione, tunc quidem philosophia *Deismi*, « Deismus », quid mere *naturale* involvebat

(1) Coram *personalitate* sua, quae excitat venerationem, cuius idea sublimitatem nostrae naturae ob oculos ponit, ut Kant loquitur, simul increpans incohaerentiam nostrae actionis cum nostra dignitate (*Erit.d. l. Razón Práctica*, l. 1, c. 3, in fine ; in transl. Picavet, p. 157. — « *Deber*, nombre sublime y grande...? Quién no ha observado alguna vez haberse abstenido de una mentira, por otra parte inofensiva... en reverencia al derecho de no hacerse *vil en secreto a sus propio ojos*...? » ib., p. 155-157).

(2) Etiam Iudaismus et Mahometismus suo gaudent supernaturalismo.

ad instar « christianismi rationalis » Lockii; exinde *Deismus* significare cepit Deum personalem sane mundique creatorem, at quasi in hoc sua Dei officia terminantem Deum mere naturalem, providentia aliisque attributis Dei christianorum destitutum. *Theismus* (Deismo iam oppositus) repraesentabat Deistarum Deum quasi *supernaturalizatum* cum attributis *providentiae*, etc.

Quae terminorum acceptio deinceps praevalebat ut nunc quoque praevalere videtur (1).

216. — 3. *Atheismus* recenter formam induit fere *Monismi* Cosmologici, vel potius atheismus scientificus vitat odiosum « *athei* » titulum, sese sub voce Materialismi aut Mechanicismi Cosmici occultans, qui tandem Monismus est omnia per mundum explicans, nec ullum creatorem aut mundi principium mundo ipso superius agnoscens (2); ita sane, ut *Pantheistae*, Monistae, ut et dicti Materialistae (Moleschott, Büchner, Vogt...) etsi ore Deum proferant, veri sint athei; Deus enim mundo *immanens* nullus Deus est (3). Hinc et paradoxon resolves Pantheistae-Athei; videlicet: Pantheismus, licet antithesis videatur Atheismi, reipsa tamen ad Atheismum sic accedit, ut cum eo convertatur. Si enim omnia Deus sunt, evidenter nihil est Deus; seu: Si Deus, cum natura absorbente identificatus, in homine solo intellectum induit et conscientiam, tunc potius *homo sibi* erit *Deus;* sed quia homo nec sibi nec aliis est Deus, simpliciter Deus non exsistet. Ergo Monismus est Atheismus. Vel etiam sic: Si Deus est *esse logicum* a me conceptum aut *esse vagum* sese paulatim ad exsistentiam determinans, tunc quia Deus est idea aut *ens in fieri*, de Deo tanquam de proprio obiecto tractet *Logica*, tractet *Metaphysica* de ente *in fieri*, non autem *Theologia*. Pantheismus est suppressio Dei; est Atheismus (4). E duplici tendentia duplex emergit pro Monismo titulus:

a) *Materialista*, qui materiam cum energiis primum rerum decernens principium, mundi regimen atque gubernationem legibus ipsis mechanicis committit.

b) *Pantheista*, res mundanas ex evolutione Absoluti explicans, quod Absolutum ens supra-sensibile abusive tantum nominat *Deum*.

Brevi: 1) Monismus *materialista*, *naturalista*, *atheus*, qui Deum sacrificat naturae (convertit Deum in mechanicismum mundi). 2) Monismus *spiritualista*, *mysticus*, *exaggeratus Theismus*, qui naturam Deo sacrificat (5).

217. — II. *Athei* sunt illi, qui exsistentiam Dei *non agnoscunt;* i. e. qui Deum vel ignorant, vel positive excludunt, vel crisi subiectum sub dubio relinquunt. Athei dividuntur in *practicos* et *speculativos*.

1. *Practici*, Deum esse *fatentes*, vivunt quasi non esset; hinc improprie solum athei nuncupantur, ut improprie *haereticum* dicimus eum, qui animo revelationem accipiens *operibus* fidei resistit.

2. *Speculativi* dicuntur, qui Deum aut non agnoscunt aut dubio submittunt; hi rursum tales sunt: *a*) *Improprie*, *negativi* scilicet, seu in aetate dis-

---

(1) Cfr. Klimke, S. I., *Hist. Phil.*, I, p. 343. - Nec omnes tamen his stant limitationibus; v. g. *Toussaint*, explicans quomodo conceptio circa originem mundi intime nectatur cum Atheismo vel Theismo, sic ait: aut *a*) mundus explicatur per suas leges, evolvitur fatalitate *suarum virium*, sibi est causa; et habetur *Atheismus* formalis; aut *b*) evolvitur per interventionem causae *superioris*, a cosmicis phaenomenorum seriebus *distinctae;* est *Theismus* (Vacant, *Dicc.*, *Theol.*, ad vocem « Athéisme » col. 2193, IV).

(2) « Omne systema atheum quasi necessario materialisticum est », notaverat Ravignan, S. I. (Conferencias en Ntra. Sra. de París, IX Conf.: « La noción de Dios »).

(3) Typum Atheismi scientifici moderni exhibet Carolus Vogt: *Leçons sur l'homme*, Paris, 1865.

(4) Cfr. Blanc, *Histoire de la Philos.*, T. I, n. 16.

(5) Cfr. P. Ravignan « Conferencia IX », Paris, 1860.

cretionis notitia Dei carentes, de Deo non cogitantes. *b*) Proprie, *positivi*, quotquot, habita Dei notitia, positive eum reflexe vel penitus recusant et tunc dicuntur *dogmatici;* vel de eo *dubitanter* se habent, eo quod certo id scire nequeamus, et sunt *sceptici*, *agnostici;* vel etiam qui dubitant ideo, quia argumentorum in usu valor *dubius* iudicetur, et sunt *critici*.

E quibus *Speculativi positivi*, prae primis *dogmatici* valde *stricte* dicentur *athei; practici* autem immo et *speculativi negativi*, vix proprie; sat proprie *positivi sceptici* necnon *critici*. Distinguere adhuc oportebit atheos *sinceros* ab *hypocritis*. *Sinceri* seu *interni* sunt, qui de facto mentem ita perverterunt, ut *serio* iam decernant extramundanum dari nihil. *Hypocritae* autem (*externi*) intus de Dei exsistentia persuasi, ore contrarium iactant aut ex vanitate scientifica, aut ex animi levitate, aut ut suae cursum vitae suavius excusent; quorum ingens numerus.

218. — III. *De exsistentia atheorum.* Quaeritur utrum de facto inter homines *exsistant athei*.

1. *Practicos* semper exstitisse plures, indubium est.

2. *Circa theoreticos* distinguendum est: *a*) *Negativi*. Nemo usu rationis pollens Deum *absolute ignorare* saltem *diu* potest; hinc atheus negativus *absolutus*, Dei conceptu etiam confuso *inculpabiliter diuque* carens, datur nullus; distincto carent multi etiam diu (per totam immo vitam), Dei inquam ut unius rerum domini; probabilius culpabiliter; quisque enim pro viribus ob rei gravitatem perquirere tenetur quid de ente supremo, quid de praeceptis eius; tunc vel maxime cum *vividior* intus insurgit cogitatio entis domini. In peccato sunt non ii solum, qui primaevam obliterari siverunt fidem, sed posterae quoque soboles ob desidiam in inquirendo; reatus tamen pro singulis *gradum* metiri nolis, cum praesertim aliena auctoritas criterium veritatis quasi inappellabile apparere plerisque soleat; adhuc facienti quod est in se suam Deus non denegat gratiam.

b) *Positivi*. Sub actuali providentia positivus atheus *inculpabiliter* (invincibiliter) nullus; culpabiliter (vincibiliter) *Sceptici*, *Critici* plures, *Dogmatici* pauciores. « Ore plus dicunt multi, quam animo sentiant » (Bayle); « magis vitio voluntatis quam errore intellectus » (Rousseau); exsistunt tamen. Si quaeras qui fieri possit ut exsistant, respondeo: 1) Haec propositio, vere in se demonstrata, ad earum tamen genus non pertinet, « totum maius est sua parte », vel « summa angulorum in triangulo aequat duos rectos », statim lucideque mentem percellentium, evidentia scilicet mathematica. 2) Res ipsa a sensibus abest; ens divinum valde mirum, insuetum est. 3) Fallaciae seu sophismata contraria abunde fluunt iucundeque (« Diis exstinctis, Deoque, successit humanitas »). Videlicet, cum eliminatio Dei placitis egoismi adeo faveat, artificia multiplicantur ut nomine scientiae sophismata stent, principia titubent; unde intellectus denuntietur aut dubii solum capax (Sceptici), aut ad assensum firmiora petens argumenta magisque critica quam sint quinque viae (Critici), vel Atheismum positive demonstrans i. e. demonstravisse praesumens (Dogmatici). Hos postremos diu firmiterque subsistere posse, difficilius est concedendum. Qui enim mentalem sibi iactat vigorem tam intus rerum naturas penetrandi, ut pro suis sibi dictaminibus formandis alieno uti dedignetur adiutorio, sincere si deinde sublimiores metaphysicae campos perlustrans, de causis quaerat, de moralitate hominis finibusque, tam plene caecutire non poterit, ut nullum prorsus in tot Dei tamque praeclaris signis robur deprehendat.

Articulus VI.

NATURA CERTITUDINIS PHILOSOPHICAE DE EXSISTENTIA DEI

219. — Quaeritur de certitudine circa exsistentiam Dei; utrum naturalem habeamus et cuiusnam classis sit. *Solutio per gradus.*

I. Utrum de *facto certi simus.* 1) Qui ex praeiactis argumentis solam fluere *probabilitatem* diceret, in haeresi quidem non esset; aliud enim est « Deum... per ea, quae facta sunt, naturali rationis *humanae* lumine *certo cognosci posse* » (in can. 1 de Revelatione, Conc. Vatic., Denz. n. 1653), aliud per exposita iam argumenta certo *fuisse cognitum*, quasi per haec tota Deum cognoscendi capacitas exhausta manserit; ulteriores conatus non *excluduntur*. Adhuc nonnisi temerarie quis ita se haberet; licet enim sola *incapacitas* directe damnetur, at qui *nullam hucusque* veram de Deo certitudinem obtentam fuisse decrevit, de incapacitate ipsa fere sententiam tulit; coram tot enim ingeniorum conatibus, si ii infecundi teneantur, transitus a *facto* negativo ad *posse* negativum sat obvius apparebit. Hinc prima solutio, quasi ad haeresim invitatio, derelinquenda est.

2) Classicis argumentis, saltem complexive sumptis, apodictice Deum evinci, sincera ratio dictat, nec viarum validiorum fundata spes adesse videtur; hinc certitudo de *facto* obtenta iam esse dicenda est.

220. — II. *De genere certitudinis.* Ipsa haec certitudo ab aliis dicitur *metaphysica* (saltem reductive), solum *moralis* ab aliis praesertim veteribus. Dissensus autem (potius apparens) a significatione provenit vocum apud alios et alios non uniformi; scilicet; *metaphysica* certitudo, si *subobscure* solum convincat, *moralis* passim nominatur. Iam negari nequit nostram de Deo certitudinem de se metaphysicam esse seu classis *metaphysicae: a*) *Obiective* seu ex motivo praemissarum; hoc enim conflatur ex *principio* analytico seu metaphysico, et ex *facto* exsistentiae rerum, quod ipsum *reductive* concreteque metaphysice certum est, licet pro unoquoque casu physicam certitudinem non transgrediatur (Cfr. Log.). *b*) Consequenter etiam *subiective;* i. e. *assensus* in conclusionem est metaphysice certus, cum *actus* specificetur ex obiecto formali, ex motivo.

Si ais: de facto nemo de his *dubia* non experitur, dubia autem etiam imprudentia cum certitudine *metaphysica* non coutuntur.

221. — *Respondeo.* In certitudine de *genere* suo metaphysica, *incapacitas* dubitandi duplex esse potest pro diversitate materiae: 1ª *Physica* seu absoluta impotentia realis; causatur a rebus fulgidissimis evidentiae mathematicae « totum est maius sua parte; quod est, est; 2 et 2 aequant 4, etc. ». — 2ª *Moralis*, cum actuali imprudenti dubio sociabilis, non vero cum prudenti; ut in his: « Ens contingens non habet in se rationem sufficientem sui esse », « Nihil reducitur de potentia in actum nisi per ens actu », etc. Iam ab eo, qui evidentiam vere metaphysicam agnoscere recuset nisi cum *physica* dubii incapacitate coniunctam, certitudo dicetur nunc non *metaphysica*, cum per evidentiam mathematicam non rapiat. Si vero sub minus etiam rutilo fulgore nexus ipsi subsistant metaphysici, metaphysiceque mentem percellant, ut in casu, certitudo erit adhuc dicenda vere *metaphysica.*

222. — III. *Resumendo.* 1º Exsistentiam Dei naturaliter a nobis *certo cognosci posse, de fide est;* unde nos huius certitudinis incapaces naturaliter esse, haereticum sonat. 2º De facto a nobis *certo* cognosci, immo *demonstrari*, temerarie negabitur; admittendum vi argumentorum. Confirmatur disciplina Ecclesiae, quae id pronuntiare iubet in iureiurando doctorum. 3º Certitudo est de genere suo *metaphysica;* non *mathematica* physice rapiens, sed obscurior, *difficilior*, et quasi de rebus a sensu nimia longinquitate dissitis dubia permittens.

NB. Iuxta Theologos plures non *certo* sed *probabilissime* in Scripturis continetur quod homo *possit* Deum demonstrare, nec ideo tamen excusatos eos habent, qui de Deo dubitant; Suarez autem opinatur hoc solo totam de hac re Scripturarum vim plene non colligi; id iam probabilius habetur.

PARS SECUNDA

DE ESSENTIA DEI

Nexus rerum. - Ordo tractandorum.

223. — Fructus primae partis, in quinque viis velut maturatus, hic erat ut naturali certitudine suaderemur illud, quod nomine Dei cogitabamus, ens supremum et a se, non purum mentis figmentum nec possibile solum sed actuale esse.

I. Cuius entis actuationem non adeo in abstracto obtinuimus, quin a quaestione *an sit* lux aliqua ad quaestionem *quid sit* reflueret; seu ens mirum, in fine viarum sese nobis actuatum manifestans, nec prorsus vagum fuit nec indeterminatum (nihil id profecisset), sed praeclare immo *determinatum* personalitate cum aliis inconfundibili, sub notis inalienabilibus aseitatis, necessitatis, incausationis, ordinatoris. Nec aliis sane induebatur ornamentis ens in nominali Dei definitione iam ab initio menti propositum. At eius nota princeps, tunc ignoratio, nunc scientia est: tantae videlicet cogitatae sublimitatis *realitas* et *actuatio*. Hinc futuri labores, ulterius determinativi, supra ens cadent iam tuto *reale* atque ita exercebuntur, ut notae eaedem, quas clare *reales* a *posteriori* didicimus, cum simul radicaliter *essentiales* appareant, fundamentum et nobis esse possint et fons fecundus in *aprioristico*, quod aggredimur, duplici studio: *a*) in intimiore pleniorique notarum earumdem seu essentiae quasi evisceratione (2ª *pars*); *b*) in ontologica praedicatorum *attributalium* derivatione; attributorum inquam, quae in Deo ipso concipere licebit ad instar additamenti necessario ex essentia fluentis, creaturis quidem a posteriori usque iuvantibus (3ª, 4ª et 5ª *pars*).

224. — II. *Ordo tractationis. a*) Generali ordine iam adumbrato, maior indicatio nunc redundaret. Insuetam solum adverte praxim ab essentia ad proprietates, cum alias opposite progredi soleamus, a proprietatibus et operatione ad essentiam. Videlicet: 1) Cum in creaturae incumbimus studium, ex una parte eiusdem essentiam directe penetrare prohibemur (Cfr. Psychol.), ex alia vero parte res ipsa finita in externa energiarum exhibitione suam proferens essentiam, tota fere operando quasi consumitur, ideoque totam fere se manifestat. 2) De essentia vero Dei non sic. Sublimis quidem naturae indolem inter demonstrandum eius esse clare secernimus ut infinite a creatis distantem, in aequivoca plene categoria positam; at effectus deinde mundani, umbrae tenuissimae, ne partim quidem etiam minoratam reflectere

eamdem possunt, unde mens in penetratione divinitatis qua talis seu qua indolis novae infinitaeque progredi serio queat. A priori autem progredi potest per homogeneas infiniti ab infinito derivationes.

b) *Ordo specialis pro secunda parte*, quae ad essentiam Dei restringitur, hic erit, *ut caput* 1um *generaliora* quaedam rimetur praedicata, simul intense characteristica, inconfundibiliter divina, v. g. identitatem quidditatis et esse, esse a se, esse per essentiam, etc.; *caput* 2um ad determinatiores descendat notas proximiusque essentiae constitutionem fixantes, i. e. ad notas formaliter essentiales, *totam* undequaque *invadentes* essentiam, eius simul quasi figuram pulchre delineantes, quales sunt v. g. omniperfectio, infinitas, simplicitas. His 2a pars claudetur, reservatis ad 3am, 4am et 5am partem attributis ab essentia derivandis.

225. — III. *Attributorum ab essentia separatio.* Absoluto tractatu de exsistentia Dei, Theodicea remanens inscribi posset « De perfectione Dei », « De divinis perfectionibus » (more v. g. Schiffini); plures etiam *debere* ita fieri opinantur, cum in Deo omnia *perfecte unum* sint. Sensu reali verum aiunt. Sed et finalitas est attendenda paedagogica; quae quidem suadere poterit ut res hominibus tradendas humano captui pro modulo adaptemus; intellectus autem necnon memoria iuvabuntur, si in obiecto in se uno ac simplici, ob cumulatas tamen perfectiones difficili, quasi partem separemus a parte, ut in mutuis earumdem connexionibus et oppositionibus infinitae intensitas perfectionis clarius resplendeat; seu ut totalitas perfectionis infinitae per latera diversa nobis quasi repetita, maiori totalitate apprehendatur.

CAPUT III.

Generaliora circa essentiam Dei.

Articulus I.

DE ADIUTORIO CREATURAE

Propositio XII. **Nostra Dei cognitio propria esse nequit, sed analogica solum ex creaturis; ab his autem de divina essentia tripliciter docemur: via affirmationis ex causalitate; via negationis seu remotionis; via excessus seu supereminentiae.**

226. — *Praenotanda. St. q.* Res mundanae, quae Dei exsistentiam nos docuere, eaedem et ad essentiam nos conducant necesse erit. Modos iam recensemus, quibus id munus creatura exercet; more autem praeambuli prima pars indolem describit nostrae de divina essentia cognitionis.

227. — *Declaratur* 1a *pars.* Quaevis nostra cognitio aut *propria* est, aut *analogica.*

1) *Propria*, per quam res exhibetur sub sua forma, ideoque res ut *in se est* cognoscitur; a S. Thoma alio nomine *quidditativa* dicitur.

2) *Impropria* seu *analogica*, per quam res exhibetur sub forma non propria *rei*, sed aliena, *alterius* scilicet obiecti, quod a perfecta cum re similitudine deflectit; unde per talem cognitionem res non ut *in se* est, sed analogice solum cognoscitur.

Propria rursum triplex: *a*) *Intuitiva sine specie;* i. e. cognitio rei non *immediata* solum, sed ad praesentiam rei directe sine *praevia* speciei impressione nascens. *b*) *Intuitiva* cum *specie*, i. e. cognitio *immediata*, ad praesentiam rei auxilio tamen speciei *impressae* nascens; per hanc facultas percipit rem *immediate* quidem, sub contactu tamen non directo facultatis cum re, sed indirecto ob mediationem *speciei*. *c*) *Abstractiva quidditativa*, i. e. cognitio de re, non ex huius praesentia directe nascens, sed in huius absentia ex alio, quod respectu rei sit effectus causam plene *adaequans*, seu cognitio rei ex effectu *univoco*, cuius praesentia in intellectu univocam cum re similitudinem infert (S. Th. comm. ad Epist. 1am ad Cor.); ut si quis equum patrem ex equo novit filio perfecte noto.

228. — *Prob.* 1a *pars.* Dei cognitio in nobis esset *propria* aliquo ex relatis modis. Atqui non 1o et 2o (contra ontologos ostensum est); sed nec tertio, effectus enim mundani, Deum nedum adaequent, infinite ab eo distant. Ergo dicta cognitio *propria* non est. Remanet impropria.

229. — *Observa.* Cum de nostro Dei conceptu agitur, *quidditativus* esse non poterit, quin simul *intuitivus* sit (Suarez ad mentem divi Thomae contra Scotum); cum enim effectus Deum non adaequent, ab effectibus haustus conceptus cum Deo univocare non poterit.

230. — *Pars* 2a. Doctrinam exprimit in Theologia substantialiter classicam: a mundo tres nobis suggeri vias aut tres in una via gradus, quibus exiguam de Deo scientiam *relative* perfectam reddamus.

Prob. E mundo hausta cognitio indirecte solum improprieque Deum repraesentat (1a *pars*). *Atqui* creaturae in hoc qualicumque magisterio *tripliciter* sumi possunt: *affirmando, negando, elevando; singulisque* modis aliquid *speciale* de divina essentia nos docent. *Ergo tripliciter* nos de Deo creaturae docent.

Min. 1a *pars. Perfectiones* in creatura, v. g. vita, scientia, vires, pulchritudo, iustitia... sunt *effectus* Dei. Atqui perfectio effectus *continetur in causa* iuxta nobilitatem saltem aequalem. Ergo creaturae aiunt creatas perfectiones in Deo aequali saltem nobilitate reperiri. Ergo via *affirmationis* ex causalitate, creaturae aliquid nos docent de Deo; docent *affirmare.*

Min. 2a *pars.* Creaturae varias prae se ferunt *imperfectiones:* esse ab *alio* (a sua causa); esse *contingenter* ideoque *deficienter; constare* potentia et actu in ipsa ratione essendi, quippe quae purae de se *potentiae* (obiectivae) actuari queunt sed et non actuari. Etiam post sui actuationem dicunt: *esse rursum* in potentia *subiectiva* (iam non *pura*) ad *novos* actus; dicunt defectibilitatem, compositiones varias: ex materia et forma, ex substantia et accidentibus, etc. Atqui indubium est (infra ostendemus) *ens a se* tam perfecte constitui, ut in eo praedicta sensu careant. Ergo creaturae via *negationis* (remotionis), per suas imperfectiones, « per ablationem » (S. Th. ex Dyon.), speciale quid de Deo docent; docent *negare.*

Min. 3a *pars.* Creatura proprias perfectiones vitae, activitatis..., exhibet *limitatas*, indole gradibusque restrictas. Atqui easdem in ente a se aliter consistere, excellentius ac illimitate, plane perspicimus. Ergo creaturae via

eminentiae seu per excessum (καθ 'υπέροχην, aiunt PP. Graeci) speciale quid de Deo docent; docent *elevare*. Ergo *tres* nobis vias creaturae suppeditant, seu sub triplici respectu sumptae, sub unoquoque speciale quid de Deo nos docent.

231. — *Observa* 1º. Via ipsa *negationis* utilis dicenda; negans enim unum, implicite contrarium innuit, cum negatio negationis affirmatio sit; v. g. negans Deum esse ab alio, innuit esse a se, seu appellat explicitam affirmationem τοῦ esse a se, cum Deum esse iam supponeretur, seu removendo abalietatem, incitat τοῦ esse positivam *elevationem* in 3ª via, usque ad *aseitatem*. Ceterum 2º non diffitemur vias non tam *tres* (adaequate realiterque distinctas) quam gradus tres unius esse dicendas; nos enim uno continuato motu statim percurrimus totam: creatam scientiam affirmavi de Deo (1ª via); hanc in Deo labore *successioneque* carere statim capio (2ª via); simul eminentius in Deo residere percipio (3ª via). Adhuc 3º divinam perfectionem sub sua propria forma contemplari non dabitur; nunquam quidditative positive quidpiam Dei penetrabo, per ullam viam nec a priori nec a posteriori; daretur effectus sine causa; effectus maximus, cognitio propria Dei, productus a causa minima, specie creaturae.

232. — *Scholion. De methodo eminentiae.* 1. Vix non exclusive plures eam nunc laudant. Per 1am viam (aiunt) anthropomorphismus, per 2am fovetur agnosticismus; eminentia (3ª via) sola quid positivum Deoque minus indignum elargitur. In his sane nimia iactatur viarum separatio ac velut *autonoma* cuiusque virtus, cum tamen viae consociatae sint sumendae utque *unam* integrantes viam; immo methodus eminentiae, aliis praevie non motis, clausa nobis atque sterilis maneret; unde formula triplicis viae retinenda.

233. — 2. *Ontologicum Eminentiae meritum;* seu: progressus per eam positivus in realitate iam deificata *Dei* significanda. In synthesi: Realitas Dei infinite melior est sublimiorque realitate *creaturae;* seu: Deus est quod est creatura infinite melioratum. Quae quidem *melioratio*, plus quam in remotione limitis velut extensivi a perfectione creata (proprium est 2ae viae), consistere dicenda est in positiva eiusdem transformatione in aliam summe excellentiorem, supra omnia eam praedicamenta collocando, supra species et genera, quasi fontem ipsorum radicemque ontologicam per categoricas affirmationes. Quod iam Albertus M. innuebat: Dico: Deus est essentia... non ex illis, quae per genus et differentiam definire solemus. Ex hac oppositione infero: Deus est essentia supra omnem essentiam, et sic procedens intellectus «stat in infinito et diffunditur in illo» (1). En eminentiam logicam seu cogitationis. Evidens tamen est (2) talem *supra-essentiam*, ut in *se est*, a nobis tandem non pertingi sub ulla methodo. Eminens enim Ontologicum hiatus immensus a creata separat realitate, nec minus a nostro intellectu, etiam aliqua exstante proportione; adeo sane ut infinita in se realitas seu super-essentia, plus quam *terminus* cogitationis, dici queat *directio* cogitationis in conatibus magis magisque ad eminens accedendi divinum, prout in se est.

---

(1) In Summ. Theol. I-II, q. 13. — Cfr. Diccion. Theol. Vacant, T. 4, c. 2424.
(2) Et notatum voluit D'Alés (Dicc. Apolog. «Dogme», t. I, col. 1135).

Articulus II.

DE HABITUDINE QUIDDITATIS AD ESSE EIUSDEM IN DEO

Propositio XIII. Circa ens a se iam reale, in ordine ad eius essentiam determinandam creaturae nos primo docent in eo quidditatem et esse quidditatis perfecte identificari (1).

234. — *Praenotanda* I. *St. q.* 1) Indicatur quid primo a creaturis de Deo addiscamus sub praecisa finalitate determinandi, aprioristice evolvendi, Deum ens a se, cuius realitatem possidemus.

2) In studio quinque viarum apparuit curnam creaturae, in *esse Dei* ducentes, in eius quoque nos ducant *naturam* sub primis radicalioribus praedicatis. Iam, unum ex his « *ens a se* », cum in scientifica essentiae divinae qua divinae analysi vere caput sit, exactiori examini submittitur.

3) Novitas igitur peculiarisque propositionis progressus in eo est, quod aseitatem e *concreto* ente a se (iam possesso) ad abstractum transferat, *ad formam* scilicet, *ad quidditatem;* quae translatio, realiter ac in se tautologica, didactice proficit; licet enim ens a se concretum suam aseitatem τῶ esse *quidditatis* statim iam concedere videatur, in toto tamen rigore id *deducendum* est. Nunc igitur a priori ostendemus: quidditatem ex *seipsa* actum esse seu *a seipsa* esse. Hinc etiam:

Observa 1º. Sicut nota « ens a se » *Deum* inter concretamque creaturam abyssum interponit, similiter nota « quidditas a se actus» divinam *quidditatem* a *creatis* quidditatibus infinite seiungit. 2º Quae dicta est *prima* institutio atque doctrina, prima est non *historice* seu prioritate temporis in successione nostrarum cognitionum; sic enim non est prior nec *a*) *absolute*, quia prius erudiunt nos creaturae de *seipsis;* nec *b*) *relative*, i. e. respectu entis a se, quia prius docent nos *ens a se* in concreto (quinque viae); sed est prima *ontologice* et in ordine prioritatis *in essendo;* sic autem est prima sive *a*) *relative*, i. e. respectu entis *a se*, cum in nullo ente, hinc neque in ente a se, aliquid essentia seu *quidditate* prius dari queat, sive *b*) *absolute*, cum res *ente a se prior* pugnet. Igitur prima erit *ontologice*, atque *etiam logice* in analytico hoc entis a se determinativo studio. De facto plures inde eruemus veritates.

235. — *Sensus* propositionis. 1. Homo non *est, quia* est homo; Deus *est, quia* est Deus; seu: homo, qua homo, *non dicit actu esse;* Deus, qua Deus, *dicit actu esse*. Quo iam a concretis ad formas translato: Quidditas hominis non est suum esse, non dicit suum esse, pro ente enim homine quidditas et esse quidditatis sunt duo, sunt *aliud et aliud*. Quidditas Dei est suum esse, pro ente enim Deo quidditas et huius esse non *duo*, sed *unum* sunt. Unde quidditas hominis non *est* (non exsistit) ex hoc solo quod est *quidditas;* sed quidditas Dei *est* (exsistit) ex hoc solo quod est *quidditas*. Atque haec valent in *formali* praedicatione, vi scilicet conceptuum de una et altera quidditate, quasi diceremus: de *ratione formali* unius est actu esse; de *ratione formali* alterius non est actu esse. Paulo aliter sic:

---

(1) « Ex his autem, quae supra ostensa sunt, ulterius probari potest, quod in Deo non est aliud essentia vel quidditas, quam suum esse » (1º c. G., c. 22).

Essentia Dei *vera* quidditas non erit etiam mere possibilis quin *reipsa* sit (prop. IV); hinc si essentiam Dei ut rem *non exsistentem* concepisti, essentiam etiam in metaphysico possibilium ordine destruxisti. Essentia autem creaturae *vera* quidditas est, una ex possibilibus, quin *reipsa* sit; seu, etsi in ordine physico nihil sit, in metaphysico tamen vera quidditas est; si *realiter non exsistentem* concepisti, non hoc ipso destructa, sed plena perfectaque manet cum tota illa metaphysica entitate, quae formaliter ei competit. Brevius sic: De conceptu metaphysico Dei est exsistere; de conceptu metaphysico creaturae non est exsistere (1).

En intentum propositionis duplex: *a*) *Affirmativum* cuiusdam perfectionis, sicut in *Deo* sic in *quidditate* divina prorsus radicalis; *b*) *Infinite separativum* Dei suaeque quidditatis a creatura et huius quidditate. Uterque divinae quidditatis respectus, in Dei demonstrationibus iam implicite tactus, explicite nunc magisque reflexe perpenditur.

236. — 2. *Quidditas* est in omni re id, quo res est id quod est et non aliud; sic et in Deo. De *quidditate* autem Dei: *a*) non dicimus quid sit, an infinita, an finita..., consequenter id de *esse* quidditatis adhuc non resolvimus; *b*) neque dicimus quidditatem cum Deo toto seu cum integra divinitate identificari ideoque in Deo solam dari quidditatem; nec enim habitudo venit nunc perpendenda quidditatis huiusque esse ad *Deum*, sed habitudo quidditatis ad *esse quidditatis*. Hinc *c*) dicimus solum hoc: in Deo quidditatem et esse quidditatis, quidquid tandem sint (id enim adhuc ignoramus), invicem identificari; plene quidem perfecteque, i. e. sive realiter sive formaliter seu ratione (2).

237. — *Prob.* 1. Deus exsistit *ut primum* absolute ens *a se* et incausate (1ª et 2ª via). *Atqui* non ita, si in eo quidditas e seipsa non esset sua actualitas. *Ergo* in Deo quidditas sua est suum esse.

Min. Tunc enim esse quidditatis *ab alio* per prius actuali *causaretur* vel utcumque proveniret; quid enim non actuale ratio sufficiens alicuius actualis esse non potest (nemo dat quod non habet). Hoc actuale non est quid Deo *internum*, quia primum quod in aliquo actuatur est *quidditas* seu essentia, reliqua per posterius solum; igitur esset ens Deo *externum* seu aliquid *non Deus* nec *Dei*. Atqui tunc Deus non absolute *primum* sed secundum esset ens (post suam *causam*). Ergo si in Deo quidditas e seipsa non est sua actualitas, Deus non est primum ens nec ens a se (3).

238. — *Prob.* 2. Deus exsistit ut ens *per se absolute necessarium* (3ª via). *Atqui* non sic, nisi in eo quidditas sua sit suum esse. *Ergo* in Deo sua quidditas est suum esse.

---

(1) Apposite Angelicus: « Omne quod est in genere (in praedicamento) habet *quidditatem* differentem *ab esse*, sicut homo, humanitati enim ex hoc quod est humanitas, non debetur *esse in actu;* potest enim *cogitari humanitas* et tamen ignorari an aliquis homo *sit;* et ratio huius est, quia commune, quod praedicatur de his, quae sunt in genere (in praedicamento), praedicat quidditatem... Illi autem quidditati *non debetur esse* nisi per hoc quod *suscepta est* (quidditas) in hoc vel in illo (homine *actuali*) ... Unde constat *quod* esse suum non est *quidditas sua*. In Deo autem *esse suum* est quidditas *sua*, aliter enim esse *accideret* quidditati et ita esset *acquisitum* sibi ab alio, et non haberet *esse per essentiam suam* » (1° Dist. 8, q. 4, a. 2).

(2) Cogita de distinctione rationis *ratiocinatae maiori* seu simpliciter praecisiva; haec pro nunc excluditur. Infra aliae *minores* considerabuntur.

(3) « Oportet quod illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat *esse causatum ab alio*. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse *primam causam efficientem* » (1ª p., q. 3, a. 4. — Cfr. etiam 1° c. G., c. 22, n. 3). Insuper: « In Deo *esse suum est quidditas sua;* aliter enim (esse) accideret quidditati, et ita esset *acquisitum sibi ab alio*, et non haberet *esse per essentiam* suam ».

Min. Tunc enim Deus *de se* seu ex propria essentia *insufficiens* et indifferens esset ad actum essendi, seu Deus esset *in potentia* ut *aliunde* quam a seipso superveniat ei *dari* in rebus. Atqui hoc idem est ac esse *per se* absolute contingens. Ergo si in Deo quidditas sua non est suum esse, Deus non est ens per se absolute necessarium.

Ad mai. Unumquodque enim *ex se* et formaliter illud solum est, quod eius *quidditas* ex se dicit. Sed in hypothesi quidditas Dei *ex se* non dicit esse actu. Ergo Deus ex se esset in potentia ad esse, non in actu eius.

Ad mai. Nec suspiceris aliquid ex se sed *concrete* et *derivative* posse forsan esse plus, quam quod formaliter *quidditas* dicit, unde et Deum *ex se* exsistere posse, quin *quidditas* sua formaliter sit suum esse. Talis derivatio maxime τοῦ esse ex quidditate evidenter pugnat, sive per efficientiam sive per resultantiam quamlibet. Prius est enim aliquid in re dari, quam ut ex illo aliquid utcumque realiter procedat. Sed in hypothesi quidditas non *datur in re*. Ergo esse Dei ex quidditate oriri, absonum est. Nec ex aliquo non quidditativo Dei; id enim pugnat (n. **237**). Ergo.

239. — *Prob.* 3. Per illud S. Thomae: « Unumquodque est *per suum esse*. Quod igitur non est suum esse, non est *per se* necesse esse. Deus autem est *per se* necesse esse; ergo Deus *est suum esse* » (1º c. G., c. 22). Videlicet (1): Quidlibet, v. g. Petrus, Luna, Deus... est de facto per illud *actuale*, quo constituitur nunc a parte rei, quodque *suum esse* iam est sive *originarie*, sive acceptum ab alio. Ergo si aliquis, Petrus, non e *sua quidditate* est illud actuale quod est, seu, si in Petro quidditas non est esse suum, Petrus non est actuale necessarium e *seipso* seu per se (*per se* enim nunc significat merito suimet-ipsius), sed est actuale (contingens) per alium. Atqui Deus est actuale necessarium *per semetipsum* (3ª via). Ergo in Deo quidditas est esse quidditatis.

240. — *Corollarium* 1. Ergo ens *nomen*, quod omnibus *essentialiter* competit, respectu Dei est formaliter ens *participium;* seu: Ergo respectu Dei ens praecisive *possibile* est *essentialiter actuale;* quod de nulla alia re sive actuali sive possibili verificatur. Hinc supra divinam essentiam actualem *duos* efformare *praecisivos conceptus* prohibemur, quorum prior *quidditatem potentiam* (quidditatem *possibilem*) alter *actum* repraesentet seu *physicum* quidditatis esse, in quidditate possibili velut receptum. Porro talis quidditas potentia pugnaret; esset enim quidditas Dei ex hypothesi, simul non esset quidditas Dei, quia haec essentialiter (formaliter) *actus* est. *Illustratur adhuc.* Qui formam hominis cum anima *spirituali* compararet formam sine spiritualitate concipiens, si ex his cogitatis erueret *aliud* atque *aliud* illa esse, non recte se haberet; forma sic concepta non *hominis* sed vel alterius vel nullius principium formale erat. In casu divina *quidditas* prioris conceptus secum fert *esse secundi* conceptus, ideoque quidditas et esse ne in conceptu quidem aliud et aliud esse queunt. « Potest cogitari *humanitas* et tamen ignorari [non cogitari] an aliquis homo *sit*... In Deo autem *esse suum* est quidditas sua » (*l. c.*). Ergo in Deo quidditas, *non cogitato esse*, nec ipsa cogitatur.

241. — *Coroll.* 2. Ergo Deus est « *qui est* », ut Petrus est « *qui potest esse* », per formalem praedicationem, sub qua praedicatum de *ratione* tenetur

---

(1) Haec melius intelleguntur, si in Deo omnia ponantur esse quidditas ut verum est; immo si et de aliis entibus idem supponatur, nec de superadditis accidentibus etc. praeoccupemur. Iuvat, nec periculum infert petitionis principii.

esse subiecti. Sed an Deus sit « *qui est* » simpliciter et sine addito, ignoramus adhuc; scimus eum esse « qui *est* id quod est », sicut homo est « qui *potest* esse id quod est » nempe homo.

242. — *Coroll.* 3. Ergo quidditatem inter et esse Dei distinctio *formalis* ex natura rei non adest, ne ipsa quidem rationis maior seu vere praecisiva, quasi inter animalitatem et rationalitatem. Rationis quoque minor infra excluditur (n. **427**).

243. — *Obi. I.* Si in Deo quidditas adeo cum esse ligatur, hae voces synonymae erunt. Atqui diversa nobis repraesentant. Ergo non identificantur.

R. C. M. — *D. m.* In aliis, *C.* In Deo, *N. m.* — *D. par. cons.* In aliis, *C.* In Deo, *N. cons.*

Explico. 1) *Quidditas* Dei et *esse* Dei idem intellectui ingerant necesse est, cum substantia divina formaliter sit *esse* divinum (Cfr. prob.) ideoque duos conceptus nullatenus patiantur (Coroll. 1). 2) Circa haec a creaturis decipimur; scilicet: postquam substantiam Petri concepi, plures eidem successive notas addo « *vivens* », *animal*, *rationale*, tandem *esse;* quae quidem additiones bene iam accipiuntur, eo quod nota prior, alteram actu non dicens, in potentia esset ad ipsam; si autem nota prior etiam alteram actu dixisset, additio alterius locum habere non potuisset. Id praecise in Deo evenit. 3) Quod homini ut tali concepto addas mentaliter *rationale* pugnat, cum homo id iam diceret; si autem hominem concepisse dixeris quin rationale conceperis, tunc non homo sed aliud fuerat a te conceptum: animal, substantia. Porro essentiam *alicuius* concipi non concepta *eius* essentia implicat; sic Deum sine suo esse concipi.

244. — *Obi. II* (Inst.). Distinctio rationis manifesta apparet. Si enim essentia Dei *non* exsistens concipi nequit, nec atheus dicere poterit « *Deus non est* »; prius enim est concipere quam dicere; dicit tamen. Ergo.

R. N. M. Prob. D. i. e. prius est *simpliciter* concipere Deum *non exsistentem* quam dicere (iudicare), *N.* Prius est simpliciter concipere Deum *ut exsistentem*, quam iudicare et dicere tale ens non dari, *C.* — *D. par. m.* Dicit iudicative de Deo concepto *ut exsistente*, *C.* De Deo concepto *ut non exsistente*, *N. m.* — *N. conseq.* utramque.

Explico 1º Atheus iudicialiter hoc unum declarat: se prius considerasse essentiam nomine Dei expressam, sensu polemico i. e. ut *a se exsistentem*, ut deinde sententiaret eam reapse non dari.

2º Atheus retinens forsan conceptum Dei ut *possibilis*, ut *non exsistentis*, pugnantem retinet obiectivitatem, essentiam scilicet vere *destructam* (per errorem iudicialem anteriorem).

245. — *Obi. III.* Si quidditas est *formaliter* esse, « Deum esse » est *immediate* notum. Atqui non sic. Ergo.

R. D. M. quoad *se*, *C.* quoad *nos*, *Sd.* si eam statim novimus *veram* esse prae chimaera essentiam, *C.* Secus *N.* — *Ctr. m.* Non est *quoad se*, *N.* Non est quoad *nos*, *Sd.* Ob defectum penetrationis essentiae, *C.* secus *N. m.* — *N. cons.* Solutio in proposit. I.

246. — *Scholion I. Quid sibi nunc quidditas et esse velint.* Momentum quaestionis, profunda Dei a reliquis separatio ob singularem quidditatis huius ad suum esse habitudinem, in eo consistit, quod quidditas Dei seipsa *realis* sit seu physica ideoque actus, cum quidditas aliorum seipsa *possibilis* solum sit, metaphysica, *pura potentia obiectiva;* in eo rursum consistit, quod Deus e *se* seu *quidditative* in rebus sit; alia vero e se et quidditative in rebus minime sint, sed in regione *possibilium*. Cuius sane radicalis in quidditatibus discriminis suppressio ducit ad Pantheismum, ad Monismum, ad Atheismum. Sed dicto discrimine accurate stabilito, omnia in tuto collocata manent, quaestio praesens *absoluta* est. Nec enim aliud intendebamus, nec magis rem implicandam censemus; ita etiam cum S. Doctore praeclari auctores

(Schiffini...) hoc loco alia non miscentes, quasi opus esset *duos* sensus distinguere in esse, ut in utroque identitas τοῦ esse Dei cum quidditate appareat. Si ais, progressum sic sine intricatione ulteriori obtentum sat esse exiguum, transmitto; si enim *progressus* tandem sit, cum in re magna contingat, magni erit pretii, praesertim si etiam sub *unica* sed *explicita* forma discrimen radicale funditus clareque penetretur.

247. — *Scholion II. De alio sensu.* Ostensa vel fere supposita (ex quinque viis) radicali propositionis sic acceptae veritate, sunt qui ostendere etiam satagant identitatem quidditatis iam *realis* cum *esse exsistentiae*, seu: praeoccupentur hic de removenda *compositione physica* ex essentia *reali* (*potentia*) et esse (*actu*), quam in creatura aut verificatam aut saltem possibilem opinantur. — Enimvero talis conatus (extra illorum doctrinas sensu carens) 1° aptius ad tractatum de simplicitate Dei reservabitur; nunc enim processum theologicum turbat. 2° Immo positive nunc *nocet;* cum enim rationes pro dicto conamine afferri solitae tam labiles sint (1), suspicaberis aeque labiliter sensum propositionis fundamentalem teneri, aut ut fundamentum quid incertum proponi. 3° Rursum et *aliter nocet.* Illi enim, remota a Deo tali compositione, divinam deinde substantiam in pura reponunt exsistentia sic intellecta, ut ipsa (proindeque Deus) *actus quidam* sit, ab omni re et *essentia* distinctus, supra rem et essentiam etiam infinitam velut suppuratione haustus, aut incontaminate elevatus. Utrum autem *tanta puritas* in aliquo actu adesse possit actuata dubitare serio licet; ideoque Deus sat problematicus ab initio cogitaretur.

248. — *Scholion III. Realitas Dei in tuto collocanda.* Praedictis imponitur futura methodus: essentia Dei sic evolvetur, ut praedicata alia ex aliis non metaphysica solum necessitate, *sed et certo realia* deriventur, nihilque in dubio fundetur, in opinione dicam hic innecessaria, et in se a plurimis Doctoribus prorsus reiecta; ne ad finem tractatus amara vox sonet: « Deum fictitium fabricasti, qualis nec est nec esse potest, etiam iudicio maximorum doctorum ». Igitur *esse* Dei nobis perpetuo significabit realem Dei substantiam, qualem ostendimus cum Dei quidditate confundi.

249. — *Scholion IV. S. Thomas.* Atque in his Angelicum aliter se non gessisse nec de alia cogitasse compositione verius habemus. Profecto: Titulus capiti 22 (1° c. G.) « Quod in Deo idem est esse et essentia ». Initium: « Ex his autem, quae supra ostensa sunt, ulterius probari potest, quod in Deo non est aliud essentia vel quidditas, quam suum esse ». Varie probat thesim, v. g. sic: « Amplius si esse Dei non est sua essentia (non autem *pars* eius *esse potest* cum essentia divina sit *simplex*, ut c. 18 ostensum est), oportet quod huiusmodi esse sit aliquid praeter essentiam

---

(1) Praecipuas perpende. 1ª Si in Deo realis essentia sibi adiunctam exsistentiam haberet, tunc *primum* ens non esset Deus, sed essentia et exsistentia essent prima entia, cum partes *priores* composito sint. Atqui Deus est primum ens. Ergo non componitur ex essentia et exsistentia. — *Resp. D. M.* Tunc Deus non esset primum ens *quod, N.*, etiam *quo, Tr.* — *Rat. p. Dist.* Partes sunt priores ut *quo, Tr.*, ut *quod, N.* — *Ctr. m.* — Deus est primum ens *quod, C.*, praeterea *quo, Sd.* Si compositio illa non adsit, *C.* secus, *N. m.* — *N. c.*

2ª In hypothesi esse Dei dimanaret ab essentia. — Atqui id fieri nequit, cum prius sit esse quam operari. — Ergo. — *R.* 1°. *N. M.* Sit a seipso. — *R.* 2°. *Tr. M.* — *N. m.* — Rationem *Dist.* Prius est esse *quid reale* i. e. esse cum *esse essentiae* quam operari, *C.* cum *alio* insuper esse, *N.* — Ex fonte *reali* poterit quid reale dimanare. — Si *inst.* Illud reale esset *potentia.* — *R. D.* Esset potentia *obiectiva* seu capacitas essentiae realis, *N.;* est enim essentia *ipsa realis, actus* respondens sibi *possibili.* Esset potentia *subiectiva* respectu exsistentiae, *Sd.* Et ex tali potentia, si alicubi possibilis sit, dimanare nihil potest, *N.* Potest, *C.* donec contrarium probetur. Adhuc autem probatum non est Deum quasi duplici parte a se interne non constare, quarum una ab alia velut fluat; id enim in thesi de simplicitate est excludendum.

3ª Distincta uniuntur per tertium. Ergo Deus esset illud tertium, a quo partes Dei unirentur. *R. D. Ant.* In creatis, *Tr.* In ente a se, *N.* — Fortasse in eo sicut sunt a se, etiam uniuntur a se. In creatis ipsis transmissum est; sane *a*) in anima potentiae ab ipsa anima cui uniuntur fluunt, non ab efficiente externo, in multorum opinione; *b*) quantitas a corpore fluens, huic sponte unitur; etc.

Liquet ergo quam incerta sint argumenta hoc loco afferri solita.

eius. Omne autem quod convenit alicui quod non est de essentia eius, convenit ei per aliquam causam... Esse igitur convenit illi quidditati per *aliquam causam*. Aut igitur... per essentiam ipsam, aut per aliquid aliud. Si primo modo,... sequitur quod aliquid sit *sibi ipsi* causa essendi. Hoc autem est impossibile... nisi intellegatur quod aliquid sit sibi causa essendi secundum *esse accidentale*, quod esse est *secundum quid;* hoc enim non est impossibile; invenitur enim aliquod *ens accidentale*, causatum e principiis sui subiecti, ante quod esse intellegitur *esse substantiale* subiecti. Nunc autem non loquimur de esse accidentali, sed de *substantiali*. Si autem illi esse conveniat per aliquam *aliam* causam; omne autem quod acquirit esse ab *alia causa*, est causatum, et non est causa *prima*. Deus autem est prima causa, non habens causam, ut supra (c. 13) demonstratum est. Igitur illa quidditas, quae acquirit esse aliunde, non est quidditas Dei; necesse est igitur quod Dei esse quidditas sua sit ». — In pulchro testimonio mentem Doctoris inquiramus.

1° Quaestio et difficultas ponitur in explicanda *realitate* quidditatis, quae *realitas* ostenditur haberi *ex vi quidditatis*, cum quidditate confundi. Respectu angeli, Lunae... *aeterna* horum quidditas non est ab aeterno realis seu actualis ex vi quidditatis; esse enim actuale seu reale non est de essentia illorum, sed extra essentiam cadens; « quod autem convenit alicui *quod non est de essentia eius*, convenit ei per aliquam *causam* ». Ergo si sunt quid *reale* (physicum), id habent a *causa* producente. Sed Deus non habet causam, quia est incausatum et prima causa. Ergo respectu Dei in eo quidditas est realis vi quidditatis; seu: ergo in Deo quidditas eiusque realitas seu esse sunt *idem;* quod erat demonstrandum. Clare singula fluunt, si *esse* significat *realitatem quidditatis;* si autem significaret *aliud*, plura aut valde problematica aut vix intellegibilia manerent (1).

2° In dictis habetur etiam *essentias* reales (physicas) angeli, Lunae... *causari;* « omne enim quod convenit alicui, *quod non est* de essentia eius, convenit ei per aliquam *causam* ». At essentia *realis* non est de essentia seu de quidditate ullius creaturae; secus ab aeterno omnes essent reales seu physicae. Ergo causatur a Deo. Proin a Deo creatur Luna, Angelus, i. e. *tota* eius *realitas substantialis*, non *pars* illius. « Unde necesse est *angelos* a Deo creatos esse. Formae subsistentes habent causam producentem totam substantiam... Hanc *naturam non* habuerunt *ab aeterno*, sed data fuit eis a Deo, quando ipse voluit » (1 p., q. 61, aa. 1, 2). Quibus contradicunt opinantes creari esse et non essentiam, quasi in composito (quod fingunt) reali ex essentia et esse, creetur pars eius, non totum. Sed etiam in hypothesi, quod S. Thomas tale acceptet compositum, ait et probat creari *totum*, non partem.

3° Aliqua substantia causare potest *suum accidens; reale* accidens hic appellatur *esse* accidentale, ut *realis* substantia appellatur *esse* substantiale; est idioma apud Angelicum sat usuale. Ergo quoties « esse » comparatur hic cum « quidditate », *esse* significat *realem* quidditatem sive de Deo, sive de creatura; et opponitur quidditati pure possibili, aut saltem praescindenti ab actuali esse.

---

(1) In hac v. g. disiunctione « si primo modo... » i. e.: « Si quidditati convenit esse (distinctum a quidditate) per essentiam ipsam, tunc « aliquid erit *sibi ipsi* causa essendi; hoc autem est impossibile ». — *R.* 1° Si quidditas erat iam e se *physica*, realis, curnam *impossibile* ut ab illa *aliud* quid fluat v. g. esse? 2° In rigore quidditas non *seipsam* produceret, quia sua realitas ei per prius competebat, sed produceret *aliud*, i. e. esse seu exsistentiam, formam abstractam puram, qua quasi se indueret. 3° Nec dicas: Sed *idem* sunt in Deo. — Id enim erat in quaestione; id probatio *intendebat*. — Ergo S. Thomas probat id solum, quod probare oportebat: quidditatem ex seipsa et in vi quidditatis *realem* seu actuatam esse; quod *unum* est pro nunc *capitale*.

Articulus III.

De rigore nexuque formularum

250. — Essentiae Dei Deoque indifferenter applicantur phrases variae Deum vere signantes, sonitu vix non identicae, re differentes, logicis licet nexibus intime rimatae. Praecisam singularum significationem limitesque fixare oportebit sicut et mutuas habitudines, ne gratis, immo falso, unam aut aliam, vel etiam unam pro alia sumamus.

Formulae ipsae. — Earumdem veritas et deductio.

251. — 1ª *Deus est ens a se, ens absolute necessarium, ens per essentiam, ens essentialiter participium...* Est unica formula, unum *concretum de uno concreto* varie praedicans; cuius quidem formulae significatio, iam saepe demonstrata, clarescet magisque e contrario definietur. Creatura est ens *ab alio*, ens absolute *contingens*, ens per *participationem* (ab alio), ens *accidentaliter* participium.

a) Per dicta Dei praedicata *unum* semper significatur: *Absoluta* essendi necessitas *ex intrinseca* quidditativa sufficientia et determinatione, proin absoluta *independentia* et *irreceptio* propriae entitatis *ab alio.*

b) Per opposita creaturae praedicata exprimitur pariter unum: *Contingentia* essendi *ex intrinseca* quidditativa insufficientia et indeterminatione, proin absoluta *dependentia* et *receptio* totius suae realitatis *ab alio.*

252. — 2ª *Deus est sua quidditas, sua essentia, sua substantia, sua natura.* Sunt praedicationes abstractae de concreto, quasi partis de toto; in creaturis, illicitae et falsae, in Deo licitae ac verae sunt. Formulae veritatem ita Angelicus probat: « *Sola* accidentia sunt in re aliqua praeter *essentiam* eius. In Deo autem non sunt aliqua accidentia, ut ostendetur (c. 23); nihil igitur est in eo praeter *essentiam* eius; est igitur ipse *sua essentia* » (1º c. G., c. 21 « Adhuc... »). Quasi diceret: In creatura, quia *ex essentia* et *accidentibus* componitur, *essentia* est *pars* subiecti; et quia partem de toto praedicare non licet, ideo praedicatio « Petrus est sua quidditas » illicita et falsa est. *Atqui* in Deo praeter quidditatem, quae est essentia, natura, substantia, nullum est *accidens. Ergo* Deus *est sua quidditas.*

Min. a) In ente a se quidquid est, aeque primum et *essentiale* est, cum in eo omnia ex absoluta necessitate habeantur, ut deficiente aliquo ex illis, quidditas Dei non sit Dei. *b*) Praeterea essentia *a se* perfecta est. Atqui accidentia sunt quid *secundum* et derivatum, explens *deficientiam* substantiae. Ergo Deus *totus* est substantia (Plura de his infra).

253. — 3ª *Deus est suum esse. Prob.* Deus est sua quidditas (formula 2ª). *Atqui* in Deo sua quidditas est suum esse (prop. XIII). *Ergo* Deus est *suum esse;* nempe *essentiale, substantiale, quidditativum.* De reliquis praedicatio talis « Petrus *est* suum *esse* » duplici titulo prohibetur in praedicatione *formali* et *per se:* 1º quia Petrus non est sua *quidditas* (Cfr. form. 2ª). 2º Quia etiam hoc permisso, cum Petri quidditas non sit eius *esse* sed eius *posse* esse, *falso* rursus diceretur « Petrus est suum esse ». Ergo Petrus non exsistit quia Petrus, i. e. non e sua quidditate exsistit, quae actuale esse dicat.

254. — *Observa* 1°. *Suum esse in Deo.* Deus est *suum esse a se;* a se autem non *efficienter*, sed *formaliter*. Profecto esse alicuius *ab illo* est, cui debetur, seu *a quo venit*, licet sit huius, *quod* per illud esse est. Iam esse Dei est Dei, est *suum* esse, quia per illud esse, non alia res, sed Deus est; insuper est *a Deo*, quia non *ab alio* venit nec alteri debetur. Ergo debetur Deo (non datur tertium), a Deo venit. Ergo Deus *est suum esse a se.* Sed a Deo non *efficienter* procedit; id enim nec *possibile* est (prius est esse quam operari, unde nemo sibi *dat* esse), nec *necessarium*, quia extra-efficienter in *formali* quidditatis ratione iam dicitur esse, sicut in formali ratione hominis dicitur rationale. Ergo esse Dei est a Deo non efficienter sed formaliter et quidditative, ideoque solum formaliter esse Dei *venit* a Deo, quatenus in Deo esse *debetur sibi.* Ergo Deus est *suum esse a se formaliter.*

Inde sequitur *suum* esse in Deo significare duo: *a*) Quid *vulgare;* Deum per esse illud esse sicut homo est per suum esse, et sicut unumquodque est per *suum esse; b*) speciale et exclusivum; illud esse, per quod est, non esse *utcumque* suum v. g. per *donationem* ab alio, aut per *derivationem* a se, sed suum modo exceptionali, *irrecepte* a quopiam, *a se formaliter quidditative.*

255. — *Observa* 2°. *Suum esse in creatura. A possibili* oriri actuale repugnat. Cum igitur quidditas creaturae de se *possibilis* tantum sit, esse creaturae evidenter *donatio* est *ab alio* facta, est esse a creatura receptum ex alio, ex Deo. Adhuc illud esse dicitur *suum* esse (creaturae), illo enim esse creatura est quod est; « unumquodque est per *suum* esse » (D. Th.). Igitur non Deus solum sed et creatura est per *suum esse;* at infinite aliter: 1) Esse *suum pro creatura* nec efficienter neque formaliter est *originarie suum*, sed ex *causatione* Dei; immo etiam post receptionem huius esse sui, Luna non est suum esse, Petrus non est suum esse... ex duplici ratione: *a*) Nam hae praedicationes sunt *per se* seu *quidditativae*, in quibus res praedicati affirmatur ad *rationem* subiecti pertinere; ad rationem autem Lunae, Petri, pertinet utique esse *possibile* (adhuc ab alio) seu esse *potentiam obiectivam*, minime vero esse quid *actuale* etiam ab alio. Ergo etiam suum esse, ab alio receptum, non est de ratione Petri; seu non est de ratione Petri ut *sit* (etiam ab alio) id quod est, sed ut *possit* esse (ab alio) id quod est, si alius *det. b*) Petrus *essentialiter* dicit quidditatem substantialem, sed non *accidentia.* Igitur praedicatio « Petrus est *suum esse* » totale nempe, quod nunc de facto est, substantia cum accidentibus, erit falsa in praedicatione *per se*, licet vera in praedicatione *per accidens;* de facto enim talis est Petrus in rerum natura. 2) *Esse suum* in Deo est suum perfectissime, i. e. in toto rigore praedicationis *per se;* de ratione enim Dei est: 1° ut *sit* id, quod est (non ut *possit* esse id quod est) et quidem a se *formaliter*, quia est ens *a se* participiale (n. **240**); 2° ut sit non praecise solumque substantiale id, quod est, sed totum id, quod in Deo reperitur (quidquid illud est); quia in ente a se *omnia* sunt *essentia.* Ergo *esse suum Dei* est *perfectissime suum.*

256. — 4ª *Deus est actus purus.* Actus purus sumi potest vel *relative* vel *absolute.* 1° *Relative* seu *secundum quid*, respectu nempe τοῦ mere *esse realiter* id quod est; tunc autem formula significat Deum sic esse et sic esse id quod est, ut nec ad esse nec ad *esse id quod est* fuerit unquam *in potentia*, nec in potentia versetur *amittendi* deinceps aut *esse* aut illud *esse* quod est, eo quod sive esse, sive esse id quod est, quidditative ipsimet competat. Hinc quoad haec duo Deus essentialiter in actu est *sine admixtione potentiae,*

ideoque *in actu puro*. Formulam sic sumptam meram praecedentis modulationem merito dices. Nec mirum quod idem varie exprimamus, cum esse actum purum relative tam insigne pro Deo sit, radix scilicet *actus puri absoluti*.

2º *Absolute* seu *simpliciter* actus purus sonat *plenitudinem* extensivo-intensivam infinitae actu perfectionis, sine ulla aut incrementi aut mutationis potentialitate. Sane quod Deus tam absolute *purissimus* actus sit adhuc ignoramus; e divina infinitate erit corollarie derivandum (n. **314**); unde et concludes formulam, sensu quidem *relativo* demonstratam, in sensu *absoluto* hic praeaccipi scopo solum universalitatis in comparandis phrasibus.

257. — 5ª *Deus est* « τὸ εἶναι, τό *esse*, *ipsum esse* ». Quatenus solum hoc sibi vult (ut potest): Deus est *actus purus* (relative i. e. Deus est *esse* suum), varietas quaedam praecedentium habeatur. Exacta tunc formulae significatio haec erit: Deus quidditative non est τό *posse esse*, sed τό *actu esse;* non est *possibilitas* ad esse, sed actu esse; cum alia entia quidditative sint τά *posse esse*, sint mere possibilia. Unde graecum τὸ εἶναι, latine passim « ipsum esse », hic melius vertetur « hoc quod est *esse* » vel « esse *suum* » prout opponitur solum τῶ *posse* esse, τῶ « hoc quod est *posse esse* »; nec includat pro nunc oportet alium sensum, quem particula « ipsum » innuere solet, i. e. *plenitudinem* esse, entis, seu perfectionis; seu infinitatem Dei.

Igitur formula « Deus est ipsum esse » pro nunc aequivalet huic: « Deus quidditative non est *potens esse*, sed *est* ». Nuper demonstrabatur; ab Aquinate magis adhuc: 1) « Quia quod *potest* esse, potest *non esse*. Deus autem *secundum* se non potest non esse, cum sit sempiternus; in Deo igitur non est *potentia ad esse* ». 2) « Quod est in potentia, nondum *est*, unde nec agere potest. Ergo oportet esse aliquid prius, quo educatur de potentia in actum. Et iterum si hoc est exiens de potentia in actum... oportet devenire ad aliquid, quod est *tantum actu*, et nullo modo in potentia, et hoc dicimus Deum » (1º c. G., c. 16). 3) « Id, quod est *per se necesse esse*, nullo modo est *possibile esse*. Quia quod est per se necesse esse non habet *causam*. Omne autem quod est *possibile* habet *causam*, ut supra ostensum est. Deum autem per se necesse est esse; nullo igitur modo est *possibile* esse » (ibid.).

258. — 6ª *Deus est ipsum esse per se subsistens; est actus purissimus*. Hae formulae: *a*) Prout synonymae cum quinta et quarta primi sensus, i. e. prout sub nova pureque iam latina forma mere opponuntur τῶ *posse esse* seu « actui quidditative impuro », significant: Deus est τό esse suum, a se et per se subsistens actu, quin ab alio in actu poni aut egeat aut possit. *b*) Sumptae autem pro intensiori significato *plenitudinis* τοῦ esse et entis, aiunt *esse suum* Dei non sub aliqua circumscribi mensura generis aut speciei ad instar aliorum esse v. g. hominis, plantae, angeli...; sed in *ente atque esse pleno* subsistere, essentialiter ac per se, hinc sine ulla potentialitatis permixtione nec quoad actu esse, nec quoad *amittere esse*, nec quoad *augere* aut *minuere* suum esse. Quo quidem sensu formula progreditur, *novum* quid praecedentibus explicite addens; ait enim illud *esse suum* (nonnisi quoad *actu esse a se* hucusque determinatum) actumque illum relative purum iam sub essentiali determinatione nova cum *esse pleno a se* converti undequaque essentialiter immutabili, seu cum actu *purissimo*. Demonstratur in infinitate Dei (n. **294-317**).

259. — 7ª *Deus solus est proprie esse.* Quomodo verum, quomodo falsum, accipe ab Aquinate: 1º Si « *proprie* » applicetur subiecto, phrasis falsa est, cum et alia vere proprieque sint *aliquod esse* (in praedicatione per accidens); igitur formula ne sonet quasi « *solus* homo est *proprie* risibilis »...; haec ut a *subiecto* homine excludens reliqua verum ait. 2º Si « *proprie* » se refert ad *praedicatum* quatenus hoc dicit *esse purum* sine ulla potentialitate, tunc formula *vera est* ut aliorum *exclusiva* (ex formula 6ª). Etenim « divinum esse non habet admixtionem alicuius *privationis* vel *potentialitatis*, sicut esse creaturae » (S. Th.). Tunc formula mere ponderat perfectionem τοῦ esse divini per exclusivitatem, quasi aiens: Esse Dei est *a*) a se *actuale; b*) *tota* perfectio, *totum* esse; *c*) hinc sine *privatione* ullius; *d*) sine *potentialitate* aut crescendi aut moriendi. Esse autem aliorum contrariis vilescit characteribus. Demonstratio in infinitate Dei.

260. — *Observa.* Similiter audias phrases: « Solus Deus est proprie ens, est proprie essentia ». Profecto etiam alia vere hinc proprie ens sunt atque essentia, eo quod definitionem *entis* et *essentiae* proprie verificent; sed Deus solus est ens, essentia sine ulla entitatis privatione, minoratione. Adhuc Deus « *super-ens super-essentia*, minus exacte dicitur; est enim ens et essentia non aut *extra* aut supra ens et essentiam, sed *intra* ens et essentiam cadens; immo in rigore ens divinum cadit *infra ens*, cum sit *inferius* entis, prout in prima entis divisione *in ens a se* et ens ab alio expressum habetur. Igitur ens divinum nonnisi improprie (*comparative* ad ens ab alio) dici poterit supra-ens...

261. — 8ª *Deus est ens imparticipatum; est ens irreceptum; est esse irreceptum.* Fluunt sive *ex ente a se*, sive ex prop. XIII, sive ex formula 5ª. At Deus *esse irreceptum* bifariam dicitur et reipsa est: *ab, in: a*) Deus est suum esse *a se*, hinc irreceptum *ab alio*, non receptum *a causa* dante (5ª via et prop. XIII). *b*) Deus est, concipi quoque debet, esse irreceptum *in quidditate* ut in praevio possibili typo, etiam *infinito* (prop. XIII); a fortiori est irreceptum in *limitato* speciei typo, prout esse humanum recipitur aut recipi concipitur in praevio typo hoc humanae speciei, in praevia quidditate possibili Petri, Pauli.

CAPUT IV.

Determinatiora circa essentiam Dei; seu de essentiali perfectione Dei in specie.

262. — *Consecutio rerum. Distributio capitis.* 1. Praecedens caput essentiam et esse realis Dei signabat charactere valde *radicali*, immense personali, sed tandem vago; charactere inquam quidditativitatis τοῦ esse sui, quidquid illud est. Hoc idem esse, per formulas varie consolidatum, ex una in aliam duximus formam in puritate perpetua *actus*, et quidem sive *pro* ente a se *concreto* sive pro *quidditate* a se, praevia legitimatione transitus a concreto in formam ob perfectam entis a se cum sua quidditate (form. 2ª) cumque suo esse (form. 3ª) identificationem adeoque convertibilitatem.

263. — 2. Sed hoc esse *quidditativum*, miram hanc Dei perfectionem, quae infinitatem absolutam licet subobscure vere tamen adspicit, quaeque per totum formularum circuitum tam vaga semper ac velut germine clausa

necessario iacebat, expandere nunc vellemus; explicitando, determinando, mirosque realitatum thesauros, in τῷ esse a se latentes, nobis quasi extrinsecando.

In concreto inservient determinationi potentiora quaedam et valde protensa praedicata, quae cum ex propria transcendentia non tam explicitam *lineae* unius perfectionem (proprium attributi) quam *totam Dei essentiam* sub diversis singula fere lateribus describant, essentia Dei proprius quam attributa dicentur; sic Omniperfectio, Simplicitas, Infinitas. De his iam agendum; accedet comparatio essentiae cum attributis in genere. Hinc

Articulus 1. De Omniperfectione Dei et modo eius.
§ 1) De exsistentia omnium perfectionum in Deo.
§ 2) De modo quo perfectiones coëxsistunt in Deo.
Articulus 2. De Simplicitate Dei.
Articulus 3. De Infinitate Dei.
Articulus 4. De ipsa reali essentia Dei, formaliter tali.
Articulus 5. De praedicato inter essentialia pro nobis *primo*.
Articulus 6. De habitudine essentiae ad attributa.

Articulus I.

DE OMNIPERFECTIONE DEI ET MODO EIUS

§ I. — *De exsistentia omnium perfectionum in Deo.* (Est latus *extensivum* essentiae.)

Propositio XIV. **Deus est ens natura sua Omniperfectum.**

264. — *Praenotanda.* Quaeritur quaenam sit et quanta essentialis perfectio Dei. Primo quaenam sit; nunc (prop. XIV) unice *quotnam numero* perfectiones sive de facto sive de iure insint Deo. Deinde agetur de earumdem conciliatione, reductione, intensitate.

Notiones. 1. *Perfectum ex etymo* est « totaliter factum »; domus, statua, pictura... perfecta tunc dicuntur, cum ideam artificis adeo in se actuant, ut eiusdem ideae in ipsis deficiat nihil; si autem dimidiate solum ideam reproducunt, dicuntur imperfecta (vulgo « interminata »); igitur perfectum in rigore sensus originis nonnisi de rebus *factis* diceretur. Sed per quandam nominis extensionem (ait S. Thomas) « perfectum » applicatur et quidem constanter Deo ipsi i. e. etiam rebus *non* factis, at in actu completo constitutis (solum Deus resque divinae sunt *non facta*). Unde:

2. *Perfectum realiter* est illud, « cui nihil deest secundum modum suae perfectionis vel naturae » (S. Th.). *Perfectio* autem est id, quo aliquid bonum redditur, seu quo aliquid constituitur in proprio esse completum; unde et perfectio voce abstracta dicitur « omnis ratio, per quam actu habitam participatur aliquid de *realitate* seu de *esse* » (1).

265. — *Partitiones perfecti.* 1. *Perfectum simpliciter, secundum quid.* Perfectum *simpliciter* est illud, quod habet omnia, quae natum est habere;

(1) De San, « De Deo Uno », T. I, n. 58, p. 120 (Lovanii, 1894).

v. g. homo in statu beato. Perfectum autem *secundum quid* est illud, quod habet omnia, quae *in aliquo statu* adhuc non definitivo ei debentur; potestque tale esse vel *solum essentialiter*, vel etiam *integraliter;* unde perfectum secundum quid varie adhuc accipi et esse potest iuxta diversos gradus; v. g. homo in via necessario perfectus est quoad partes *essentiales*, nec semper tamen quoad *integrales*, v. g. caret oculo, pede, loquela. Quia vero perfectum *secundum quid* nonnisi *improprie* perfectum est, ab eo praescindentes de *simpliciter* perfecto nunc agemus.

2. *Divisio. Simpliciter perfectum* subdividitur in *relative* et *absolute* tale.

a) *Relative* perfectum, seu *perfectum* (sine addito) id dicitur, quod in *suo ordine* perfectum est, habens scilicet omnia, quae natum est habere, licet ad *unum* ordinem ea atque speciem restringantur; v. g. homo beatus respectu naturae humanae, planta in sua specie completa.

b) *Absolute* autem perfectum dicitur quod *omnes* possidet perfectiones, seu quod habet omnia, quae natum est habere, sed natum est habere non quaedam solum in uno ordine posita, sed *omnia* in *omni* linea perfectionis. Tale ens erit *natura sua omniperfectum;* ideoque ens *absolute* perfectum cum *omniperfecto* identificatur. Iam *omniperfectum* seu « universaliter perfectum » definitur « cui non deest alicuius generis (ordinis) nobilitas » (1º c. G., 28); vel etiam « cui perfectio *omnis* ita debita est et necessario inest, ut nulla ei omnino deesse possit » (Suarez, D. M. 30, s. 1ª, n. 1). Cuius rei exemplum in solo Deo habemus.

266. — 3. *Scopus propositionis.* 1º Evidenter Deus in se perfectus est saltem *relative*, i. e. omnia *sibi debita* possidens; ens enim a se *sibi debita* perfectione vel a se vel ab alio fuisse privatum non concipitur. 2º Deum etiam *absolute* perfectum esse, non adeo elucet; sibi enim deberi *omnem* perfectionem difficilius suademur. Id nunc monstrare aggredimur. Unde sequetur Deum *de facto* quoque *omniperfectum* esse. Videlicet esse *relative* perfectum ac esse *absolute* perfectum pro Deo idem est; nisi Deus sit *absolute* perfectus, nec *relative* erit perfectus, ex sua enim natura omnia habere *exigens*, si aliquo careat, aliquo iam sibi *debito* privabitur; seu: Deus, si non est omniperfectus, non est perfectus. Id praecise est probandum. 3º *St. q.* Omniperfectio in absoluta quidem *infinitate* Dei satis continetur; adhuc quia infinitas formaliter *intensitatem* potius prospicere videtur perfectionis, nunc de eiusdem *extensione* dicendum.

Quae extensio a) ad *actuales* mundi perfectiones se refert necessario; *b*) mere possibiles etiam amplecti potest; minime tamen thesis intricanda cum dubiis de possibilitate multitudinis actu *infinitae* perfectionum, creaturae omnium perfectissimae, et similium.

Hinc sensus: Deus in se continet perfectiones actuales in mundo exsistentes; immo et reliquas certo possibiles, quaecumque tandem illae sint.

267. — *Prob.* 1. Deus natura sua est primum ens, totus a seipso, *causa prima* et adaequata rerum omnium sive actualium sive possibilium (in quinque viis). *Atqui* prima rerum adaequataque causa, singulas in se modo sibi proprio continere tenetur. *Ergo* Deus est ens natura sua omniperfectum.

Min. Causa efficiens infuit in effectum, entitativam ei perfectionem dans, qua effectus in se constituitur. Atqui dare perfectionem in causa dante arguit perfectionis continentiam (nemo dat quod non habet), adaequatam, si causa sit prima. Ergo causa prima rerum perfectiones adaequate continet omnes, ex *natura* quidem *sua*, cum enti a se omnia ex propria insint necessitate.

268. — *Prob.* 2. *A priori.* Deus essentialiter est *esse* quod est, seu est essentialiter *actus* perfectionis qui est (ex prop. XIII et formulis). *Atqui* tale ens continet actu omnes perfectiones. *Ergo* Deus natura sua omniperfectus est.

Mai. Non determinat *quodnam* esse sit illud, aut actus *cuiusnam* perfectionis; scimus quod Deus sit *suum esse*, quod sit illud esse quod est, quod actu a se habeat perfectionem, quam habet; nec aliud assumit Maior.

Min. Etenim actus perfectionis seu actus τοῦ esse ex se non minus unam dicit quam aliam perfectionem, sicut nec magis unam prae alia, sed aeque se ad omnes habens, nullam excludit. Ergo qui ex se dicit actum perfectionis et esse, hoc ipso actum dicit omnium perfectionum.

Ult. conseq. Si enim aliquam non diceret, ipsam *necessario excluderet;* in ente enim a se, ubi omnia sunt *essentia* (form. 2ª), sicut quod adest, necessario adest (essentialiter enim adest), sic quod *abest*, necessario abest. Aliter enim et illud *adesse* posset, unde in essentia, ubi *omnia* sunt *necessaria*, aliquid exsisteret *contingens*. *Atqui* ens, cuius quidditas est esse, unam prae alia perfectione a se necessario *excludere* nequit. *Ergo* quod a se actum dicit perfectionis et esse, hoc ipso actum *omnium* perfectionum dicit.

Ult. minor. 1. *Ab intrinseco negative-positive.* Sine ratione sufficienti nihil datur. Atqui exclusio determinatae perfectionis ratione explicativa careret, sive extra ens, quia est *a se*, sive intra ens, esse enim de se cum nulla τοῦ esse et perfectionis classe pugnat, immo cum singulis amice cohaëret (secus aliquae nunquam exsistere possent); aliunde ens a se ob suam necessitatem nullas permittit selectiones et velut praeferentias. Ergo non apparet undenam possit, ideoque apparet cur non possit, aliqua excludi perfectio.

2. *A simili.* *a*) Dicens animal (genus) non *excludit* a se nec speciem *a*, nec speciem *b*: secus enim tales species dari non possent. Ergo si per absurdum perfectio animalis diceret *esse a se*, contineret suo modo perfectiones singularum specierum. *b*) Esse *sapiens* (vel sapientia) non excludit philosophiam nec mathesim, nec geologiam, etc. Ergo si... *c*) Esse *hominem* non excludit perfectionem individui *a*, *b*, *c*, ... Ergo si per absurdum exsisteret *homo a se*, contineret perfectiones omnium individuorum. *A pari* in eo, qui dicit *a se esse*, continentur modo sibi convenienti omnes perfectionum classes.

269. — *Observa* 1. In his pertinax quaedam turbat cogitatio: Forsan Deus a se determinatus est ut ab aeterno quasi appareret sub certa perfectionis mensura et numero positus, seu sub *tali esse* gradus X subsistens. Sed probatio destruebat praecise hanc (potius phantasiae) instantiam, quae nos urget ex perpetuo habitu contemplandi res limitatas, perfectiones lineae *a*, et *b*, etc. Deus ex una parte *actu a se* est; sed ex alia parte deest ibi qui velut *eligat* et distribuat. Ergo Deus est *omnes perfectiones.*

270. — *Observa* 2. Plenior de his analysis, alibi necessaria, sive *extensive* sive *intensive* intimior infra in absoluta Dei *infinitate* habetur, ut et solutiones instantiarum. Praesens propositio quoad haec praecisive se habere in rigore posset, seu ad *actuales* solum mundi perfectiones restringi posset, harum in Deo continentiam facile a posteriori ostendens, prout in probatione prima fecimus. Difficultas tamen bis repetita intimius penetrabitur, melius solvetur.

§ II. — *De modo perfectionum in Deo.* (Est latus *qualitativum* essentiae.)

PROPOSITIO XV. **Mundanae perfectiones continentur in Deo virtute et eminenter omnes; simpliciter simplices etiam formaliter; mixtae autem non formaliter, sed eminenter.**

271. — *Praenotanda. St. q.* Cum mundanae perfectiones, quae in Deo inesse debent (prop. XIV), tam variae immo contrariae sint, difficile suademur in una simplici realitate posse simul omnes coadunari; v. g. corpus et spiritum, vivens et minerale, intellectum et sensum, etc.

Solutionem dabit duplex distinctio: 1) diversarum perfectionis *classium;* 2) diversorum *modorum*, quibus perfectio aliqua vere et *realiter* (nec enim de fictionibus agimus) alicubi contineri possit.

272. — *Notiones.* I. *a*) Perfectio dividitur in *simpliciter simplicem* et *mixtam. Simpliciter simplex* ea dicitur, quae in ratione sua formali et praecisiva dicit pure perfectionem (i. e. quin involvat imperfectionem perfectioni admixtam), quaeque cum alia maiori vel aequali non pugnet; v. g. sapientia, vita, voluntas, substantia, intellectio... Nempe: α) non exigitur ut in ratione sui praecisiva (prout a Deo et a creatura praescindit) formaliter inspecta, imperfectionem positive excludat, sicut v. g. actus purus essendi excludit potentialitatem ad esse, vel divina intellectio passivitatem receptivam, etc. sed solum ut *formaliter* sumpta imperfectionem *non dicat;* v. g. sapientia ut sic, vita... (ut supra). β) Additur « in sua ratione *formali* et *praecisiva* », nam perfectio quaelibet, prout ad creaturas *concretata*, *imperfectiones* dicit contingentiae, mutabilitatis, accidentis, difficultatis in operando, etc.

b) Perfectio *mixta* seu secundum quid illa est, quae in *formali* sua ratione perfectionem dicit imperfectioni admixtam; v. g. extensio, sensatio, ratiocinium, reflexio... Sunt *perfectio*, quia entia, quia alicui *bonum;* at *maiori* opponuntur perfectioni, v. g. simplicitati, intellegentiae purae, sine labore et successione...

Observa. Etiam *aliter* perfectio *simpliciter simplex* a S. Anselmo definitur « quae in unoquoque *melior* est ipsa, quam non ipsa »; v. g. sapientia, inextensio... (ut supra). Ubi « melior ipsa quam non ipsa » intellegi debet pro individuo *entis*, seu pro aliquo « in latitudine *entis ut sic* »; pro individuo enim *speciei determinatae*, i. e. pro *tali* determinato ente, poterit *non esse* melior ipsa, quam non ipsa; seu poterit esse melior alia opposita, quin tamen ipsa desinat esse simpliciter simplex: v. g. pro hoc *corpore*, qua individuo *corporis* (et non *entis ut sic*) inextensio non est melior quam non ipsa, quam extensio; nec pro individuo leonis est melior *spiritualitas* quam *organicitas* (quam habere oculos...), per spiritualitatem *destrueretur* individuum leonis; attamen prior est simpliciter simplex, alia mixta (Cfr. Suar. M. D. 30, s. 1, Scot., Cai.).

Brevi: *simpliciter simplex* in sua entitate et formali conceptu, i. e. quasi solitarie sumpta, esse debet *melior* ipsa quam non ipsa, proin non insociabilis cum alia aut maiore aut aequali; *mixta* autem sub iisdem formalitatibus est *non melior* ipsa quam non ipsa, seu quam alia, quam impedit in *ente* qua ente.

273. — II. *Modi aliquid continendi.* Perfectio in aliquo tripliciter contineri potest: formaliter, virtualiter, eminenter.

1. *Formaliter* continetur alicubi perfectio, quando secundum propriam eius quidditatem (formam) possidetur: in ferro, leone, etc. perfectio *corporis* formaliter continetur; sic et perfectio *sensationis* in bruto et homine; perfectio *sapientiae* in homine, angelo, Deo.

2. *Virtualiter* continet aliquis perfectionem, quando *virtutem* habet *producendi ipsam* in formali eius esse, vel etiam, quando eosdem potest effectus praestare, quos illa ubi formaliter reperitur praestat. Exempla: in 1º genere Deus creans mundum, equus generans equum, intellectus producens intellectionem, sensus sensationem; in 2º genere anima *rationalis* respectu sensitivae, et vegetativae; *formaliter* rationalis solum, adhuc in homine effectus eosdem praestat, quos *sensitiva* in bruto et *vegetativa* in planta, ubi hae formaliter adsunt; tunc unum continere dicitur plura *aequivalenter*, his *aequipollere;* anima rationalis sensitivam et vegetativam *aequivalenter* continet: his aequipollet.

274. — 3. *Eminenter* autem, quoties non sane in propria specifica forma, sed utique possidetur in alia *nobiliori*, seu sub excellentiori perfectione inferiorem continente in alterutro ex sensibus continentiae virtualis; eminenter continet angelus motum corporeum et ratiocinium; anima rationalis virtutem sensitivam; aeternitas tempora; Deus mundum.

Hinc *stricta* eminentialis continentia infert duo: 1º entitatem *nobiliorem*, 2º *virtualem* continentiam alterutro ex sensibus; primum sine altero non sufficit, nec alterum sine primo. Homo et angelus, licet leone entitative nobiliores, leonem eminenter non continent, cum neuter *virtualiter* illum contineat. Causa aequivoca (*entitative* effectu nobilior) effectum *eminenter* continet aut adaequate si sibi sufficiat (sic Deus), aut inadaequate si sibi non sufficiat (sic creaturae ob concursus necessitatem). Unde

Duplici modo et gradu quis dici potest continere aliud eminenter: *a*) *Eminenter simpliciter* seu eminentius, si et nobilioris sit entitatis et inadaequate saltem illud producere potest, aut effectus eiusdem praestare; v. g. angelus ratiocinium, motum (ut supra); anima sensationem... *b*) *Eminenter antonomastice*, eminentissime, si sub perfectissima entitate constitutus illud adaequate producere potens est. (Ordinarie ita in Theodicea). — Sic Deus creaturas omnes, earum perfectiones et operationes; sic aeternitas Dei tempora; hoc sensu, ab Augustino perfectiones creatae dictae sunt ipsamet Dei *creatrix* essentia.

275. — Unde: 1º Omnis causa effectum continet *virtute*, hoc sensu *virtualiter; virtualiter univoce*, si causa est *univoca*, ut equus equum [tunc dicitur quoque continere *formaliter* et univoce, attendendo ad identitatem *specificam* causae et effectus, ad *equum;* « Similitudo erit in forma secundum *eamdem rationem speciei*, sicut homo generat hominem » (1 p., q. 4, a. 2)]; *virtualiter eminenter*, si causa est *aequivoca; late eminenter*, si est creatura; *stricte eminenter*, si est Deus. — 2º Omnis causa continet effectum sub aequali vel maiori causae nobilitate, seu effectus praeexsistit in virtute causae sub huius saltem *aequali* nobilitate; immo *semper* sub *nobiliori* entitate, etiam si causa sit *univoca;* haec enim praeter illum habet et alios effectus in potentia, hoc sensu causa est *abundantior* hoc effectu. « *Semper* est *potior* causa suo effectu » (1ª 2ae, q. 66, a. 1, c). Ratio est: « Aliquid est in causa *excellentius* quam in causato. Causa enim *abundantius* et *perfectius* habet aliquid, quam

causatum, sicut ignis calorem quam elementata » (2º Dist. 42, q. 2, a. 4, c. vers. fin.). — 3º Effectus producendus, *formaliter individue idem, in nulla* causa etiam *univoca* unquam continetur; secus enim effectus nec distingueretur a causa (saltem adaequate), nec vere *produceretur*, sed mere translocaretur a causa in effectum; quod quia aequivaleret suppressioni causarum efficientium et novitatis in mundo, audivimus a philosopho vehementer reprobari.

Hac super re S. Thomas: « Quidquid perfectionis est in effectu oportet inveniri in causa *effectiva* vel secundum *eamdem* rationem si agens sit *univocum*, ut homo generat hominem, vel *eminentiori* modo, si agens sit *aequivocum*, sicut in *sole* est similitudo eorum, quae generantur per virtutem solis. Manifestum est enim quod effectus praeexsistit *virtute* in causa agente. Praeexsistere autem in virtute causae *agentis* non est praeexsistere *imperfectiori* modo, sed *perfectiori;* licet praeexsistere in potentia causae *materialis* sit praeexsistere imperfectiori modo; eo quod materia, in quantum huiusmodi, est imperfecta; *agens* vero, in quantum huiusmodi, est *perfectum* » (1 p., q. 4, a. 2, c). Igitur Sol continet virtute *eminenter* ea, quae producit, similiter intellectus intellectionem, voluntas volitionem continet *virtualiter eminenter* seu « eminentiori modo ». Quod autem sic perfectionem continet, potest illam producere, quin det quod non habet; etsi enim non habeat actum *formaliter* habet illum *virtualiter* actu seu in actu *virtutis, superioris* effectu; « agens in quantum eiusmodi est perfectum ».

Pars 1ª. Perfectiones rerum continentur in Deo *virtute* et *eminenter* omnes.

276. — *Prob.* Deus a se est causa efficiens *prima* et *aequivoca* rerum et perfectionum omnium. *Atqui* 1) ut a se *prima*, continet virtute et adaequate *omnes* effectuum perfectiones; 2) ut *aequivoca* easdem *aliter* ac in effectu sunt continere tenetur forma *excellentiori*. Ergo perfectiones rerum adsunt in Deo *virtute* et *eminenter omnes*.

Mai. 1) Est a se causa *prima* ex 2ª et 3ª via. — 2) Proin *aequivoca*, quia imparticipata et a se, res autem participatione et ab alio.

Min. 1ª *pars.* Omnis causa effectum *virtute* continet, adaequate, si est adaequata, secus inadaequate. Atqui Deus ut causa *prima* est etiam adaequata causarum rerumque *omnium*, primus *omnium* fons. Ergo rerum perfectiones continet *virtualiter* adaequate.

Min. 2ª *pars.* Effectus, ne causam superet, in hac continetur *aequali saltem* nobilitate. Sed in causa *aequivoca* nequit *aequali* nobilitate contineri. Ergo continetur excellentius, *eminentius*, « vel *eminentiori* modo si agens sit aequivocum » (1 p., q. 4, a. 2, c).

277. — *Observa. Omnis* causa, in quantum *sua virtute* producit effectum, hunc continet *in virtute* seu *virtualiter;* sed dupliciter id esse potest:

1º *virtualiter univoce* (quasi virtualiter *formaliter*); 2º *virtualiter aequivoce*, sic virtualiter eminenter. Unde « *continere virtualiter* » seu in virtute in his non opponitur τῷ « *continere univoce* », hoc sensu τῷ continere *formaliter* quoad formam specificam; sed opponitur τῷ continere formaliter quoad formam *individuam* effectus, seu negat *formalem* continentiam effectus *individui*. Videlicet: *continere virtualiter* est quasi *genus* continentiae causalis, sub se *duas* permittens continentiae species: *a*) continere *univoce* (sic formaliter); *b*) continere *eminentius* (sic non formaliter); seu *continere*

virtualiter (genus) se refert ad *virtutem* productivam, *in genere sufficientem:* deinde bina species, continere *univoce formaliter* et continere *aequivoce eminenter*, specificat et dividit virtutem sufficientem in aequalem et maiorem comparative ad *specificam* effectus *nobilitatem*, quae erit aut *aequalis* aut *minor;* nunquam vero (formaliter) significat identitatem *individualem.* « Nomen causae significat aliquid in essentia *diversum* (saltem numerice distinctum); dicimus enim causam ad quam sequitur *aliud* » (De Pot., q. 10, a. 1, 8). « Similitudo erit in *forma* secundum eamdem *rationem speciei*, sicut homo generat hominem » (1 p., q. 4, a. 2).

Pars 2ª. Perfectiones mundanae simpliciter simplices sunt in Deo *etiam formaliter.*

278. — *St. q.* Pars prima eas in Deo eminenter ponebat; « esse autem *eminenter* » cum « esse *formaliter* » pugnare videtur, ut aequivocum cum univoco; nempe si vita alicubi formaliter est (seu in forma propria), vix concipitur eamdem ibidem etiam *eminenter* exsistere (seu in forma *alia* nobiliori); idem de sapientia, etc. Haec consistent, si vox « formaliter » intellegatur afficiens perfectionem creaturae non *qua creaturae* (qua enim est *creaturae* quaevis perfectio est *mixta*), sed qua illam *perfectionem praecisive.* « Eminenter » autem in prima parte referebatur ad perfectionem, *quae* et *qua est* in creatura. Quod vero *sapientia* in Deo *eminenter* (modo excellentiori) adsit comparative ad sapientiam creaturae qua *creaturae*, simul *formaliter* respectu sapientiae qua sapientiae *praecisive*, non difficile capitur. Nunc igitur id statuimus: sapientiam, vitam... in Deo sub forma *propria* reperiri, sub qua sane imperfectionem non dicunt, licet neque excludant; excludunt qua *eminenter* continentur (1ª *pars*). Per haec etiam convincimur respectu Dei et creaturae *nullam* prorsus perfectionem univocam esse, sed omnes *analogas.* Iam

279. — *Prob.* 2ª *pars.* Perfectio simpliciter simplex formaliter praecisive nonnisi perfectionem dicit, unde absolute melior *enti* ipsa, quam non ipsa; v. g. vita, intellegentia, substantia. *Ergo* in omniperfecto formaliter adesse debet.

Conseq. Exsistens enim etiam *formaliter* (in propria forma), nullam ab ente nobiliorem expellit perfectionem, sed omnibus consociatur. Ergo in omniperfecto, ubi perfectiones adsunt omnes modoque convenienti (i. e. cum aliis eiusdem cohaerenti), dicta perfectio *formaliter* exsistit.

280. — *Observa* 1. Sapientiam formaliter et *praecisive* sumptam in Deo esse non significat in Deo realizatam reperiri sub *praecisione* et indeterminatione, i. e. sub forma nec dicente nec negante imperfectiones; reperitur enim *determinata imperfectionemque positive* repellens; significat igitur sapientiam, quae in Deo est, proprie talem esse, cui scilicet definitio sapientiae directe competat, non autem reperiri in *aliena* forma, v. g. *in amore*, in quo ob eius eminentem perfectionem vel ipsa sapientiae perfectio inclusa esse dicatur.

281. — *Observa* 2. Ex praedicta *determinatione*, quam non in se sed utique in Deo dicit sapientia, vita, etc. intellegitur sapientiam etiam praecisive sumptam contineri *eminenter* in Deo; seu « eminenter » non relate solum ad *sapientiam creaturae* valere (explicite id in 1ª *parte*), sed etiam relate ad *sapientiam praecisive* et *ut sic;* sicut enim perfectius est ens *a se* quam ens *ut*

sic, ita perfectio tam pura, quae omnem *expellat* defectum, melior erit quam quae ab hoc *praescindat* indifferenterque se ad unum et alterum habeat.

282. — *Observa* 3. Inde diversitas idiomatis circa haec: *a*) Schiffini, Kleutgen... has perfectiones *formaliter* solum, *non eminenter*, ponunt in Deo; vere sic, in quantum adsunt in *propria* cuiusque forma et definitione, nec in *aliena* forma.

b) Alii *eminenter* solum et non *formaliter*, sumentes perfectionem qua *creaturae.*

c) Alii *formaliter-eminenter* (Mendive...); formaliter quia in *propria* forma; eminenter quia *nobilius* quam in creatura cumque positiva imperfectionum remotione.

d) Alii; cum *eminenter excludere* videatur formam propriam aliamque substituere (quod in casu non evenit), cur non dicamus Deum illas continere *formaliter perfectissime*, ut ens a se continet *ens perfectissime* atque hoc sensu continet ens formaliter *eminenter?*

Igitur dissensus, *in re* nullus, de exactiori totus est *sermone;* hic autem (ut et conceptus ipsi) circa divina vere exactus esse nunquam poterit (1).

Pars 3ª. Mixtae non formaliter sed eminenter.

283. — *Prob.* Perfectio mixta e se fert imperfectionem perfectioni admixtam. Atqui talis perfectio in Omniperfecto *formaliter* adesse nequit, adest tamen. Ergo *eminenter* solum.

Min. Formaliter exsistens nobiliores ab eo perfectiones amoveret; v. g. corpus spiritualitatem, extensum simplicitatem, etc. Atqui pugnat omniperfectum nobilioribus orbatum perfectionibus. Ergo *mixtas* formaliter haud continet. Atque haec audias sive de mixtis prout *in creatura* reperiuntur, sive de mixtis ut sic; nam etiam ut sic cum aliis collidunt perfectionibus.

284. — *Corollarium.* Ergo paulo etiam aliter eadem doctrina: 1º Perfectiones creaturarum, *qua talium*, Deo insunt *omnes virtualiter eminenter*, nulla formaliter. 2º *Absolute ac praecisive* Deo insunt *a*) simpliciter simplices *virtualiter et formaliter*, *formaliter perfectissime*, hoc solo sensu *formaliter eminenter; b*) mixtae autem *virtualiter eminenter* solum. Sicut ens *creatum* reperitur in Deo virtualiter eminenter solum, non formaliter; at ens ut sic sive virtualiter sive formaliter, formaliter *perfectissime* (ut in analogato principe); immo in quantum ens divinum limites positive excludit, hoc sensu continet ens ut sic eminenter sine rigorosa tamen eminentia.

285. — *Scholion I. De eminentia perfectionis mixtae.* Perfectio *mixta* tunc a sua depuratur labe, cum ad alienam eminentiorem formam, deleta priore, tracta est. Id quidam explicant, quasi forma *mixtae* duabus constans partibus A, B, quarum A sit perfectio, B imperfectio, quoad A insit univoce Deo, omisso B. Sed tunc perfectio mixta, quia eius essentia fuerat prius destructa, simpliciter in Deo non adesset. Si enim a corpore amota erat corporeitas (B), retenta *entitate* ut sic (A), quae sola Deo insit, iam *non* perfectio *mixta* sed *alia non mixta* inerit Deo, immo ne haec quidem talis qualis, ut supponitur, et *univoce;* fuerat enim a corpore scissa

---

(1) Terminologiam aliter distribuit De San; sic: 1) Perfectio *mixta* est quae in suo conceptu limitem seu defectum includit. 2) Perfectio *simplex* quae in suo conceptu (in abstractione) limitem nec includit nec excludit sed ab eo praescindit; et haec indifferens est ut vel *a*) deveniat *mixta* per *positionem* limitis, vel *b*) deveniat *pura* per *exclusionem* omnis limitis. 3) Perfectio *simpliciter simplex* seu *pura* est ea, quae vi sui conceptus excludit a se omnem limitem seu defectum (*Op. cit.*, n. 16).

ideoque erat perfectio *creaturae;* nulla autem perfectio creaturae etiam simplex potest in Deo *univoce* reperiri. Concludes sub tali conceptione ipsam potius quaestionem manere destructam. Res hoc modo videtur intellegenda: perfectio mixta, quia realem *partem* aut etiam logicam nullam habet, quae *univoce* Deo insit, tota exsistit in Deo, sed tota sub *aliena* forma, totaliter infiniteque excellentiori; ut quoties cupreum in aureo eminenter contineri dicimus, formae cuprei nullam in aureo partem subaudimus, sed *totam* cuprei entitatem in auro sub alia nobiliori forma reperiri (1). Paritas utique deficiens est sive *realiter* sive logice: *a*) in auro enim et cupro semper adest quid reale *univocum*, materia prima; sed attende ad partes extensivas *cupri*, vel etiam loquere quasi *atomista:* ad casum idem est pleniusque simile; *b*) logice *corpus* est pars univoca in auro et cupro, sicut substantia; sed univocatio, in creatis necessaria, in Deo et creatura impossibilis est.

286. — *Scholion II.* Duplex distinguitur continentia eminentialis: 1) Entitativa causativa; 2) *mere* entitativa. — *a*) Prima alteram includit (sed non vicissim) estque et strictior et usus magis probati; porro continere aliquid eminenter insinuat (diximus) posse illud causare, aut eosdem ac illud effectus praestare; « cum ergo Deus sit prima causa *effectiva* rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexsistere in Deo secundum eminentiorem modum » (*l. c.*).

b) Sed etsi minus proprie, etiam cum *praecisione* a causatione ens *superius* eminenter continere dicitur inferius. S. Thomas ad quaestionem utrum angeli cognoscant res materiales: « Talis est ordo in rebus (ait), quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus, et quod in inferioribus *deficienter* et partialiter et multipliciter, in superioribus *continetur eminenter* et per quandam totalitatem et simplicitatem » (1 p., q. 57, a. 1). Attenditur non ad *virtualem* continentiam, sed ad *entitativam* excellentiam.

c) Immo in causativa (cogitant aliqui) *eminentialis* continentia ad *virtualem* nimis accedit, quin aliquid huic addat; omnis enim causa etiam univoca *potior* est effectu (S. Th. supra), ideoque *eminentior* effectu est; unde continentia *virtualis* dicit iam totum, quod dicit eminentialis primi sensus; at eminentialis continentia secundi sensus, attendens unice ad *entitatem* nobiliorem, continentiam eminentialem a *virtuali* nitidius separat, ideoque secundus sensus praeferendus est, seu: ergo eminentialis ad solam excellentiam *entitativam* attendat oportet.

287. — *R.* recte quidem, si quaestio esset: quot modis adaequate distinctis perfectio aliqua exsistere dici queat; quaerebatur autem de modis *continentiae* vere talis; iam usus exigere videtur ut quaevis propria continentia adspectum *causativum* imbibat, de singulis autem continentiis *adaequate* distinguendis separandisque non nimis praeoccupemur. Unde nec angelus nec homo (entitative formica eminentiores) formicam *eminenter continere* dicuntur; ad hoc enim praeter eminentem entitatem usus exigere videtur *virtutem* aut causandi, aut eosdem praestandi effectus.

d) Ab aliis tres continentiae adaequate sic separantur: *Formalis*, si in propria eius forma possidetur; *virtualis*, si in virtute producendi illud; *eminentialis* si sub *nobiliori* entitate simulque effectus praestante eosdem, quos illud, ubi *formaliter* exsistit, praestat. Hinc: 1º Deus continet formaliter perfectiones simpliciter simplices; *virtualiter* omnes etiam mixtas, omnem creaturam; *eminenter* omnes rursum eo quod nobile esse Dei omnes possit *praestare* effectus, quos creatae perfectiones formaliter exsistentes praestant; hinc ratiocinium Deus continet non formaliter, sed virtualiter et eminenter. 2º Angelus continet ratiocinium *non formaliter* (patet), nec *virtualiter*, quia impotens illud *producere*, sed utique eminenter; similiter *vires* equi continet eminenter tantum. 3º Anima rationalis sensitivam et vegetativam continet, non formaliter nec virtualiter, sed *eminenter* solum. Bene

---

(1) Idipsum applica exemplo (ap. Hontheim, *op. c.*, p. 299); non solum formalitas successionis non adest in aeternitate, sed nec formalitas durationis, quae adest in tempore, adest univoce in eadem aeternitate, sed alia tota *eminentior* duratio.

quidem; usus tamen *frequentior* (et melior) has continentias *virtuales* appellat, aut *virtuales eminentes.*

288. — *Scholion III. De perfectione simplici.* Theologi de quadam alia perfectione agunt, *simplici*, quam divinis *Relationibus* applicant. Videlicet: Hae Relationes perfectionem dicunt sine imperfectione; hoc sensu perfectiones sunt *simplices* et purae; quia vero alia v. g. Paternitas aliam (Filiationem) excludit sibi oppositam, aeque nobilem, *ideoque non* est *melior* ipsa quam non ipsa, seu quam opposita, iam a definitione (Anselmiana) simpliciter simplicis deficere videtur. Porro ex non habentia unius imperfectio non sequitur, cum loco illius alia aequalis adsit nec utraque simul consistere possit. Insuper ex eo quod una desit relatio, realitatis deest nihil, cum relatio qua talis per formale suum « *esse ad* » nullam fundamento superaddat *realitatem.* Hinc *a*) multorum iudicio necessitas vitatur *tertiae* perfectionis omnesque ad duas (in thesi positas) bene trahuntur, si praesertim definitio simpliciter simplicis huius cum aliis sociabilitatem taceat, aut quod *melior* sit ipsa quam non ipsa. *b*) Aliter alii: relatio quamvis per *formale* suum « *esse ad* » fundamento nihil *addat* entitatis, adhuc realem dicit *perfectionem*, ab absoluto ratione distinctam; divinas autem relationes, praecisive *qua tales*, perfectiones non esse dure sonat; si vero sint, appellentur *perfectio;* si nec mixta nec simpliciter simplex, dicatur « simplex ». Plura apud theologos.

289. — *Corollarium* 1. Ergo creaturae sunt Deo similes et dissimiles (S. Th. ex Dyon.); i. e. cum Deo similitudinem quandam habent *imperfectam*, seu dissimilitudini *admixtam.* Etenim vel ratio *entis*, quae a Deo recepta creaturam Deo similem reddit, creaturae Deoque *analogice* solum competit, seu creatura est effectus causae *aequivocae* non *univocae.* Similitudo perfecta effectus cum causa petit causam *univocam;* datur inter equum et equum.

290. — *Corollarium* 2. Quia non Deus a creatura, sed creatura *a Deo participat* esse, unde nec Deus creaturam, sed creatura Deum imitatur, melius dices creaturam *assimilari* Deo, quam Deum assimilari creaturae; picturam Virginis assimilari Virgini, quam Virginem picturae. In universum enim, quod ab alio participat, *proprie* dicitur simile ei, a quo participat, non e converso (S. Th. 1º c. G., c. 29).

291. — *Corollarium* 3. Si in vocabulis « sapientia », « intellegentia », « vita »,... quae de Deo dicuntur et creatura, haec duo consideremus, *rem* significatam et *impositionem* nominis; evidenter *res* ipsa prius est in Deo (causa) ut in analogato principe, posterius in creatura (effectu); sed *impositio* prius creaturae, posterius Deo facta est; ex creatura ad creatorem (S. Th. Comp. Theol., c. 27).

292. — *Corollarium* 4. Ergo nomina perfectionum simpliciter *simplicium*, sapientia, vita... Deo *proprie* (in propria forma et definitione) applicantur; nomina autem *mixtarum*, ut sentire, videre, *improprie* tantum et metaphorice (1º Sent. D. 22, q. 1, a. 2).

293. — *Corollarium* 5. Ergo quod nomina « *bonum, sapiens,...* » « melius *negentur*, quam affirmentur de Deo » (ap. Dyon.) et quod « Solus Deus est bonus » etc. sunt hyperboles; sibi vult nomina ut creatorum repraesentationes umbram esse bonitatis a se, quae, quia *ineffabilis*, vocibus ut in se est non exprimitur. Similiter quod Deus, potius quam ens, sit *super-ens*, *superbonitas* potius quam *bonitas*, etc. minus exacta, philosopho vitanda; *ens* enim, cum omnia transcendat, bonitatem... *Dei* extra se non habet, immo

Deus est propriissime *ens*, bonitas quoque Dei propriissime *bonitas*, etsi deinde voces « ens, bonitas », Deum divinaque *quidditative* non tradant. Vel etiam: hae voces, prout rationes repraesentant *praedicamentales*, Deo extra-praedicamentali disconveniunt, secus vero prout *transcendentales* entis, bonitatis... seu rationem entis *ut sic* ante eius in ens a se et ens ab alio divisionem, immo etiam deinde primum divisionis membrum « ens a se », « bonitatem a se », utcumque repraesentare nituntur.

Articulus II.

de infinitate dei

(Est latus quasi *intensivum* essentiae).

Propositio XVI. **Deus est ens absolute seu simpliciter infinitum.**

294. — *Praenotanda.* 1. *Notio Infiniti. a*) *Etymologice: Infinitum* est non finitum, non habens fines, limites. Unde et

b) *Realiter: Infinitum* est quod limitibus caret; finitum autem quod limites habet.

295. — 2. *Origo appellationis. a*) *Finitum* primo proprieque *extensioni* applicatur: extensio lineae in longum *finitur* punctis; extensio superficiei in longum et latum *finitur* lineis; extensio voluminis in longum, latum et profundum *finitur* superficiebus. Similiter in casibus contrariis *infinitum;* et quidem applicatur extensioni primo continuae (camporum) sed etiam discretae seu numero. *b*) Usu tamen contigit ut sive finitum sive infinitum ab extensionibus transferretur ad omne genus *perfectionis* etiam spiritualis, ubi *maius* dicitur quod *perfectius* est, vel ubi « Hoc est *maius* esse, quod est *melius* esse » (S. Aug.).

296. — 3. *Partitio Infiniti.* I. Infinitum sensu Cosmologico potest esse vel ex parte *materiae*, vel ex parte *formae*.

Infinitum ex parte materiae est capacitas *materiae* ad recipiendum sine *fine* formas sive numerice sive etiam specifice diversas. Tale infinitum (*indeterminatum* potius) *imperfectionem* importat, cum carentiam involvat *specificae* perfectionis; haec enim non ante constituitur, quam forma materiae accedens cum ea ens *simpliciter* constituat seu ens in specie positum. Quia vero tale solummodo ens exsistere potest ut ens naturae completum, hinc dicitur *primum esse* (in natura exsistens), seu materiam a forma ad *primum esse* trahi. Unde infinitum ex parte materiae imperfectionem ait *insufficientiae* ad primum esse naturae.

Infinitum ex parte formae est capacitas *formae* ut subiectis sine fine se communicet. Consistit in eo, quod forma de se nullum *determinate* appetit individuum eoque ipso apte se habet ad informationes sine fine. Igitur infinitas competit formae e se et in *abstracto;* prout enim ad *hoc* individuum concretatur, ab hoc *determinatur*, hinc et *limitatur*, sublata iam eius *ad alias* informationes aptitudine.

Infinitum ex parte *formae*, (melius *indeterminatum*) *sub uno respectu* importat *imperfectionem;* sub alio *perfectionem.* 1) *Imperfectionem;* quia

forma *a*) substantialis, incapax est ullam *rem, ens in specie* se sola constituere; *b*) sive substantialis sive accidentalis, *ordinatur* ad *subiectum* cum quo *esse* vel *substantiale* (specificum) vel accidentale constituat. 2) *Perfectionem* autem sive absolute sive in comparatione ad materiam; *absolute*, quatenus *nobilem* in se fert amplitudinem ad infinita individua: *relative*, quatenus *amplitudinis* minoratio, quae sane imperfectio est, non formae sed *materiae* debetur; haec enim ad individuum fixum formam appellat. « Infinitum, secundum quod se tenet ex parte formae non *determinatae* per materiam, habet rationem perfecti » (1 p., q. 7, a. 1, c).

297. — II. Infinitum potest esse tale *privative* et *negative*.

Infinitum privative « quod natum est habere finem et non habet » v. g. *materia* prima, *numerus* sine determinata *ultima* unitate (cogitatus), cum tamen esse debeat *mensuratus* per unum; *genus* natum differentiis contrahi (ut exsistere possit); immo domus sine tecto, homo sine capite...

Infinitum negative quod finem non habet, nec natum est habere v. g. multitudo *actu infinita*, Deus.

298. — *Nota* 1º. Haec a praecedenti partitione vix vel parum distinguitur quoad materiam primam. « Alio modo dicitur infinitum secundum rationem *materiae:* quod quidem dicitur *privative*, ex hoc scilicet, quod non habet formam, quam natum est habere; et per hunc modum dicitur infinitum in quantitate » (3 p., q. 10, a. 3, ad 1); adhuc *formalitas*, quae hic directe notatur in materia prima, est *privatio* seu *carentia* formae, ibi autem directe nominatur *positiva* eius ad infinitas formas *aptitudo*.

Nota 2º. *Infinitum privative* dicit imperfectionem; improprie est *imperfectum*, non terminatum... ideoque « Deo convenire non potest » (De Pot., q. 1, a. 2). Sed infinitum *negative*, quod valde proprie *infinitum* est, dicit *perfectionem;* de hoc solo agimus.

299. — III. *Infinitum negative* rursum duplex: *actu* et *potentia*.

Infinitum *actu* est quod actu negat in se limites; alio nomine (e numeris ad alia translato) dicitur *categorematicum*.

Infinitum *potentia* seu syncategorematicum, quod sine fine augeri potest; dicitur etiam (nec improprie) indefinitum. Evidenter quaestio est de *infinito actu*.

300. — *Nota*. Infinitum potentia semper est *actu* limitatum; limitem mutare seu protrahere potest, amittere omnem seu in *actu* infinitum converti nunquam poterit; quod enim *actu* finitum per additiones finitorum fiat actu infinitum, id admitti nequit; unde et *potentia* infinitum dicitur non *qua* potens reddi *actu* infinitum, sed qua *potens* accipere additiones sine fine; additio enim nunquam erit *ultima* possibilium atque incrementa definitive *claudens*. Talis numerus; unitas ei addi semper poterit.

301. — IV. *Infinitum actu* est adhuc vel *relative* vel *absolute* tale.

Infinitum actu *relative* (infinitum relativum, infinitum secundum quid) illud dicitur, quod limitibus in *aliquo ordine* caret, v. g. in sapientia, longitudine, humanitate..., sed non in *omni* ordine et linea perfectionis. Nec illud *definientes*, contendimus tale ens aut dari aut etiam possibile esse; immo impossibile videtur (sic communius); aut enim illa perfectio est *facta*, et tunc habet *imperfectionem* abalietatis, sic limitem intra perfectionem illius etiam lineae; aut est *a se*, et tunc erit *absolute* infinitum, ut statim ostendetur.

Infinitum simpliciter et *absolute* est actu limitibus carens in ipsa *ratione entis;* proin in *omni* linea realitatis et perfectionis. *Absolute* infinitum idem quoque est ac *infinitum* in *essentia:* « Deus dicitur infinitus *negative*, quia scilicet eius *essentia* non limitatur per aliquid » (1); idem ac infinitum *extra genus* (extra ordinem particularem); idem ac infinitum in *ratione entis*, in latitudine *entis*, τοῦ esse, etc. (2).

302. — *Comparatio.* Nomina ipsa hoc infinitum satis ab infinito *secundum quid* separant; nempe:

a) Infinitum *secundum quid* est infinitum in *tali essentia*, v. g. in sapientia; *intra genus* hoc, intra hunc *ordinem*, in ratione *huius* entis et esse; non in *latitudine* et ratione *entis* et esse; extensificatur quidem et intensificatur sine fine, intra limites tamen *suae lineae*, remanentibus extra aliis perfectionibus.

b) At *infinitum simpliciter* extensificatur et intensificatur sine fine; nec supra unam currens lineam, sed in omnium confluentia quaquaversus sine littore se expandens; *latitudo enim entis et essentiae*, nihil extra se cadere permittens, obligat simplicissimum illud ut ad ordines sine fine extendatur, iuxta gradus sine fine sub singulis ordinibus intensificetur.

Triplex infiniti stadium. Tandem infinitum hoc in triplici quasi stadio consideratur: 1) Radicaliter seu *exigitive;* 2) *formaliter extensive;* 3) formaliter *intensive.* Cum in ente a se omnia aeque necessaria sint et actualia, si in eo exigentia datur, cum desit coarctans, hoc ipso dabitur *formalis* eius expansio sive extensive sive intensive; unde difficultas sistet tota in evincendo *exigentiam.* Si exigit tale esse, tale est. Processus in his omnino aprioristicus erit.

303. — *Probatur.* 1. Deus per se ipsum est ens, quod est, seu *essentialiter* est *esse suum;* seu: per seipsum est *actus*, qui est, non *potentia* illius. *Atqui* tale ens nulla ex parte limitari potest in suo actuali esse et perfectione. *Ergo* Deus est ens simpliciter infinitum.

Mai. Ex ente *a se* (participialiter) et prop. XIII, form. 2ª.

Min. Illud esse suum limitaretur vel 1) a *seipso formaliter*, vel 2) aliunde quam a seipso formaliter. Atqui neutro modo. Ergo limitari nequit.

Min. 1ª *pars.* Esse *ens actu*, e se nullam dicit limitationem ad ens et esse *huius ordinis* et lineae prae alio ordine; « quod (enim) alicui convenit e natura sua et non ex aliqua causa, *minoratum* in eo et deficiens esse non potest » (2º c. G., c. 15). Videlicet: esse *a se* actu *animal* non dicit e se contractionem ad animal lineae leonis, aut canis... prae equo, prae homine; nec esse *a se* substantiam actu, dicit limitationem ad corpus prae spiritu. Ergo (a pari) esse a se *ens actu*, e se non trahit ens ad *tale* ens, cuius scilicet perfectio in una claudatur linea.

Min. 2ª *pars.* Non ab *extrinseco* (a causa agente); quaestio enim est de

---

(1) S. Th., *De Verit.*, 2, a. 2, ad 5.

(2) In re igitur absolute infinitum erit etiam plenitudo τοῦ esse et perfectionis, erit *ipsum esse subsistens* in pleniori formulae significatione; erit adhuc *totum esse*, proin et « id, quo maius cogitari nihil possit »; additum enim, sub quo aliquid priore maius concipias, in *plenitudine* prioris iam continebatur, praesertim in *toto* esse. Attamen hae sunt *derivationes* ex infinito, ideoque phrases realiter convertibiles (non formaliter) unam pro alia (suadente utilitate) usurpare quidem licebit, definitio tamen infiniti, per « summum cogitabile » peracta, minus propria erit; quia nec formalitates sunt eaedem, nec sine aliqua *deductione* admittetur ab omnibus infinitum ex se solo iam realiter esse « maximum cogitabile » (Cfr. v. g. prop. XXIX).

ente *a se*. Non ab aliquo *intrinseco priori*, a quo esse Dei ut a subiecto τοῦ esse receptivo coarctetur: 1º Quia agitur de *essentia* ipsa, quae est esse Dei. Atqui in aliquo ente prius essentia cogitare licet nihil; ergo pugnat τό esse Dei a praevio limitari subiecto. 2º Esse cuiuspiam *substantiale* ad limitatum in se specificum coarctari typum, in quo per prius constituto esse praedictum velut iaciatur, id profecto *entis* aut esse proprium est *ab alio producti*, minime autem entis *a se*. « Ipsa (enim) ratio *facti* vel creati *repugnat* Infinito ». « *Effectuum* natura est *finita*, utpote ad unam speciem determinata, ut si accipiamus homines... ». Ergo Deus, ens *a se ac improductum*, non dicit aliquem modum limitationis. Atqui aliunde esse Dei, *quod datur*, dari nequit *indeterminate* (i. e. nec dicens nec excludens limites, ab utroque praescindens, ad instar entis ut sic); quidquid enim realiter exsistit, *determinatum* exsistit, cum praecisivum fictio sit mentis. Ergo Deus a se limites positive excludit.

Ad ant. mai. Quidditates specificae limitantur *proxime* formaliterque ipsismet speciei notis, ex typo ipso tali vel quali; remote autem limitantur ab essentia Dei. Porro haec, in se simplex, cum etiam infinite *fecunda* sit, infinitas dicit imitabilitates sui, aptitudines scilicet activae imitationis sui ad extra; has autem sive in specie sive in individuo determinatas dicit, cum in divina essentia indeterminatum adesse nihil possit. Igitur coram essentia statim velut proiciuntur formalia possibilia infinita, suis quodque limitibus (specifico-individualibus) clausum. Atque haec possibilia, cum sint *termini* passivi (quid *creabile*) imitabilitatibus iis respondentes, quas eminens essentia in se dicit (quid divinum), constituunt ordinem possibilium formalium, potentiarum scilicet obiectivarum, constituunt ordinem *quidditatum*, quem per posterius cognoscit intellectus Dei speculativus. Age iam; hae quidditates *determinatae determinant* et limitant *futura esse*, quae a Deo creata (si creare velit) in quidditatibus ipsis quasi in mensuris proiecta fuisse concipiuntur (Sed de his agebat Metaph. Gener.). Igitur non Deus (ens a se) sed creaturae (entia ab alio) limitari queunt praeviis quidditatibus: « Omne namque, quod secundum suam *naturam* finitum est, ad *generis* alicuius rationem *determinatur*. Deus autem non est in aliquo genere...; est igitur infinitus » (1º c. G., c. 43).

304. — *Brevi* demonstratio: Nihil indeterminatum exsistit, sed quidquid exsistit, determinatum exsistit. Ergo Deus, qui exsistit, determinatur in suo esse. Atqui non intra esse finitum, cum ratio limitans desit. Ergo determinatur in esse *simpliciter infinito*. Vel etiam: Quidquid exsistit, vel finitum vel infinitum est (non datur medium). Ergo Deus, qui exsistit, aut finitus est aut infinitus. Atqui non finitus, quia limitante carens. Ergo infinitus.

305. — *Prob.* 2. Si Deus e se non esset actu infinitus, concipere eum possemus *in potentia* ad id, quo actu caret, saltem intensive. Atqui non sic. Ergo e seipso actu infinitus est.

Mai. Tunc enim evenire potuit ut Deus ulteriorem habuisset perfectionem, qua nunc caret; cum inter gradus *intensitatis* perfectionum interna *collisio* sit nulla, aliunde vero omnes perfectiones possidere teneatur (prop. XVI). Ergo concipere ipsum in potentia possemus (deberemus).

Min. 1). Nam in ente a se *sua quidditas* est suum esse (prop. XIII). Atqui in casu conciperem *quidditatem maiorem* quam *esse;* i. e. Dei « posse esse » vel « potuisse esse » maius quid esset, quam Dei esse actuale. Ergo admitterem contradictoria; quidditatem Dei *identificari* cum eius esse et non *identificari*.

Min. 2). Dicta *potentia* chimaerica esset, sive in ordine ad *futurum*, sive in ordine ad praeteritum *considerata*. In ente enim a se (in quo universa essentialia sunt) quae sunt et non sunt, essentiali necessitate sunt et non sunt; seu ea, quae ab eo absunt, ideo absunt, quia metaphysice cum eo pugnant (nihil est sine ratione sufficienti). Ergo *potentia* ad ea, quae actu non possidet, pugnat in Deo sive a parte *ante* sive a parte *post*.

NB. Ergo in demonstratione infiniti « *suum esse* » est *medium* ad demonstrandum « *ipsum esse* » prout ipsum esse *plenitudinem entis* ideoque synonymum cum esse *infinito* sonat. Hinc *ipsum esse* subsistens ut medium arguendi assumere nunc non licet (Cfr. Mercier, n. 44, 1).

306. — *Scholion I.* 1) Quidditates, *potentiae obiectivae*, de quibus in prima probatione sermo erat, a Deo ipso adaequate distinguuntur, cum sint *formaliter* creaturae possibiles; cave igitur ne quidditates formales cum *exemplaritate* earumdem *subiectiva* identifices, quae est ipse *Deus;* in *exemplari* enim Dei *subiectivo* res faciendae nec *formaliter* nec plures adesse possunt, sed *in unica* eaque aliena forma, i. e. *divina*. Profecto Deus est rerum *causa*, non quidem *aequivoca* pure (ut est sol non calidus faciens calorem, ait S. Th.) i. e. non ut « quando effectus non convenit cum causa nec nomine nec ratione », sed nec univoca « quando effectus convenit in nomine et ratione cum causa, sicut homo generat hominem, et calor facit calorem », sed analogice operans, « cum effectus et causa *aliquomodo* conveniant in nomine et ratione... sicut Deus sua *sapientia facit nos sapientes*. Unde patet quod divinum esse producit *esse creaturae* in similitudine sui imperfecta: et ideo esse divinum dicitur esse omnium rerum, a quo omne esse creatum effective et exemplariter manat » (1° Dist. 8, q. 1, a. 2, c).

307. — 2) Illud « esse creaturae, esse creatum » significat *creaturam* substantialiter totam: *a*) producitur enim *tota*, non pars eius. *b*) Clare continetur in adducta Aquinatis comparatione: ut calor realis producitur a sole frigido (aequivoce), et *homo* realis generatur ab homine (univoce), sic creaturae, sol, luna, angelus, homo, reales producuntur a Deo (analogice). *c*) Idipsum explicite etiam alibi aiebat S. Thomas (retulimus n. **249**) sic: « Necesse est *Angelos* a Deo creatos esse... Habent causam producentem *totam substantiam*... Hanc *naturam* non habuerunt *ab aeterno*, sed *data* fuit eis a Deo, quando ipse voluit » (1 p., q. 6, a. 1 et 2). Ergo « esse creaturae » in praedictis (ut fere semper) significat *totam actualem creaturam*, quia tota producitur, ideoque tota *esse* quoddam est in tempore *creatum*, inque aeterna sibi respondente quidditate (generice, specifice individueque determinata) quasi proiectum.

308. — *Scholion II.* Facta demonstratio ad illam redit, qua non semel usus est Aquinas: *a*) « Deus est actus infinitus; quod patet ex hoc quod actus non finitur nisi *dupliciter*. Uno modo ex parte *agentis:* sicut ex voluntate artificis recipit *quantitatem* et *terminum* pulchritudo domus. Alio modo ex parte *recipientis:* sicut calor in lignis *terminatur* et *quantitatem* recipit secundum dispositionem lignorum. Ipse autem divinus actus non finitur ex aliquo *agente*, quia non est *ab alio*, sed est *a seipso:* neque finitur ex alio *recipiente*, quia cum nihil potentiae passivae ei admisceatur, ipse est actus purus non receptus in aliquo; est enim Deus ipsum esse suum in nullo receptum. Unde patet quod Deus est infinitus » (De Pot., q. 1, a. 2).

b) Idem brevius 1° c. G., c. 43, n. 5: « Amplius, ipsum *esse*, *absolute consideratum*, infinitum est [nempe *praecisive*, e se non limitatum]. Nam ab infinitis et infinitis modis [iuxta praedicamenta omnia] participari possibile est. Si igitur *alicuius* esse sit *finitum*, oportet quod limitetur esse illud per aliquid *aliud*, quod sit aliqualiter *causa* illius esse; sed esse divini non potest esse aliqua *causa*, quia ipse necesse est esse *per seipsum*. Igitur esse suum est infinitum [negative] et ipse infinitus ».

c) Hinc quoties alibi v. g. in Summa, eadem probatio synthetice scribitur, e locis nuper citatis erit illustranda.

309. — *Scholion III. Nervus argumenti.* I. *In genere.* *a*) Quoties aliquis actus vel perfectio, v. g. ens, esse, « pulchritudo, calor »... in sui ratione nec extensive nec intensive dicit *restrictionem* ad talitates graduum; si *a se* exsistat, exsistet perfectio sine limite, seu intra *suam lineam* infinita. Proin sicubi limitata de facto exsistit, ratio limitationis *extra* ipsam perfectionem *absolute* consideratam est quaerenda. *b*) Iam ens, rem, esse, a *seipso* actuatum exsistere constat (ex quinque viis). Quod ens, quia est a se, nequit *ab alio* ut *ab efficiente* limitari; inde neque ab alio ut *a subiecto* in *quo recipiatur* ullo sensu, cum id pertineat ad ea, quae *fiunt*. Aliunde, quia perfectio in quaestione erat *ens*, *esse* (non v. g. *color*, *homo*, *vivens*), ideo tenetur esse actu infinita in ratione *entis*, proin erit *plenitudo* entis seu actualis infinitas in omni genere perfectionis et intensitatis in perfectione.

Si ais: Esse et ens *in absoluta* sui consideratione nec finitum nec infinitum dicunt (Cfr. Log. de tripl. naturae consid.). Ergo si ut dicant finitum, requiritur ratio finitudinis in illis, etiam ut *infinitum* dicant erit assignanda ratio. *Resp.* ita sane; et assignata est; consistit in eo, quod *sit a se*. Sed undenam constat perfectionem in quaestione esse *ens*, *esse*, potius quam *tale ens*, *tale esse?* Forsitan ens a se reperitur constitutum a se sub perfectione angeli, intellectus...; et sic in hac sola linea erit limite carens, alias perfectiones non dicet. *R.* Id impossibile esse; scimus enim illud a se necessario esse, rationeque carere illud ad *hanc* selective prae alia perfectionis et τοῦ esse speciem trahente. Ergo sistit in perfectione τοῦ *esse* sine restrictione ad classem A τοῦ esse.

310. — II. *In specie.* 1. *De limitatione* τοῦ *esse accidentis. Accidens*, ut calor, pulchritudo, illuminatio,... *e se* seu in absoluta sui consideratione *non dicit* limitationem in propria linea, sicut nec *negat*, sed mere ab hac *praescindit*. Igitur si *a*) color exsisteret in *absoluta* sui consideratione, nec finitus esset nec infinitus, sed ab utroque praescindens, ut animal nec rationale nec irrationale. Talia indeterminata in intellectu apprehenduntur, sed a parte *rei pugnant*. *b*) Si calor exsisteret *a se*, esset re ipsa et *actu* determinate *infinitus* extensive et intensive in linea caloris. *c*) De facto exsistit *limitatus*, proin ratio *limitationis* adesse debet, et adest in duobus: in causa *agente* et *in subiecto* recipiente; i. e. aut in utroque simul, aut saltem in alterutro. Sane *illuminatio* (et calor) *manus*, quae a lampade producitur inque mea recipitur manu, *utroque* capite limitatur, ut patet. Illuminatio *domus*, a lampade parva rursus procedens, limitatur a lampade *causa;* subiectum permittit *plus* lucis extensive, intensive. Illuminatio hemisphaerii, a Sole procedens, limitatur ex parte *subiecti* recipientis, causa enim plus etiam lucis dat; ad casum est quasi esset *infinita;* immo si supra alios quoque caderet planetas, eius extensivo-intensiva *limitatio* aliter appareret.

311. — III. *Varietas limitantium.* Diversa dantur limitantia, scilicet: 1) necessario et essentialiter ideoque semper *causa* efficiens, eos educens typos, qui a divina essentia (rerum exemplari) factibiles cum limitibus dicebantur; porro sine effectione limitatum exsistere nihil potest. 2) *Subiectum metaphysicum*, seu typus ipse aeternus (genere, specie individuoque determinatus) a causa in actum trahendus; quidditas scilicet figurata intra *hanc* speciem, hoc individuum. 3) *Subiectum physicum*, receptivum alicuius extra physicam *suam essentiam* cadentis, eritque vel *a*) *incompletum*, i. e. *materia prima* in se recipiens formam *substantialem*, vel *b*) *completum*, i. e. compositum, in seipso ut in subiecto inhaesionis accidentia realia physice recipiens. 4) Subiectum physicum adhuc sed determinate *suppositum*, recipiens aliquid (metaphysice), quod *intra* realem sui essentiam cadit, immo recipiens realem sui essentiam, ut Socrates suam recipiens humanitatem, aut Angelus *totam* a Deo *entitatem*, qua constat. « Cum *recipere* terminetur ad habere sicut ad finem, *dupliciter* dicitur aliquid esse *recipiens*, sicut dupliciter est habens. Habet enim *uno modo* materia formam suam, ut subiectum habet accidens, vel qualitercumque habitum est *extra essentiam* habentis; habet autem *alio modo* suppositum *naturam*, ut hic homo habet *humanitatem*, quae quidem *non est extra essentiam* habentis; immo est eius essentia. Socrates enim est *vere* id quod homo est » (De Pot., q. 2, a. 1, ad 2).

Iam sine tertio limitante (a quarto praescinde) res aliqua limitari potest; sine

primo et secundo *nihil unquam*. Omne limitatum *productum* est a causa, nec nisi intra *genera* et *species* quidditatum limitatarum produci potuit, in aliquo praedicamento. Accidens poterit *miraculose* a limitante tertio liberari, sed a primo et altero ne per miraculum quidem. Quidditas *recipitur* in individuo ab eoque metaphysice limitatur iuxta quartum modum: « Quidditati non debetur esse, nisi per hoc quod *suscepta* est in *hoc* vel in *illo* » (1° Dist. 8, q. 4, a. 2). Sermo erat de quidditate *praedicamentali*.

312. — *Scholion IV. Praestantia argumenti*. Tanta est, ut necessarium fere diceres, quasi id sine quo divina infinitas rationi impervia esset manenda; in eo quidem furtive nihil, nihil non probatum accipitur. Toledo *egregium* appellat manifesteque demonstrativum, a D. Thoma prout tale habitum, etc. Sedulo perpendebant clariores iam tunc doctores, necnon recentiores: v. g. Schiffini (n. 433), Hontheim (n. 526), Urráburu (n. 149), Mendive (1), Mercier (n. 44), pro quo immo fundamentalis probatio est.

313. — *Corollarium* 1. Ergo infinitatem Dei *ratione demonstrari* non posse, *credendam* potius esse, minus exacte est dictum (a Scholasticis etiam). Laudata enim demonstratio apodictica videtur, nec aliae excluduntur.

314. — *Corollarium* 2. Ergo Deus est simpliciter infinitus *ideo, quia* est ens *a se:* ergo et ideo est *ipsa plenitudo essendi et entis;* ergo et ideo est sensu plenissimo *ipsum esse* subsistens; ergo et ideo est *actus purus* et *purissimus*. Igitur ratio proxima quarumdam formularum (n. **251-261**) est *infinitas*, remota autem ens *a se*.

315. — *Corollarium* 3. Ergo e praedictis formulis nullam *praeaccipere* licebit nisi sub onere futurae infiniti demonstrationis, unde nec ad probandam infinitatem *ut medium* erunt assumendae; recte assumetur *esse suum*, quod fuerat iam praevie demonstratum (prop. XIII); recte *ens a se*, quod nobis quinque viae dederant; atque ex his inferes infinitum esse, *plenitudinem* τοῦ *esse*, *ipsum esse subsistens*... Scite igitur Mercier (n. 44), praecavens confusionem τοῦ « *esse suum* esse » cum « esse *plenitudinem* τοῦ *esse* », notat primum debere sumi ut *medium concludendi* secundum. Damnandum quoque quod « esse *absolute* consideratum » accipiatur quasi « esse *actu* simpliciter infinitum », cum illud sit infinitum *praecisive*, hoc autem infinitum *negative;* nempe illud *indifferens* est ad finitum et infinitum (ut homo *absolute* consideratus indifferens est ad singulare et universale ideoque exsistere impotens); hoc autem determinatum se iactat limitesque a se positive avertens (sicut Petrus determinatur ad singulare ideoque exsistere capax est).

316. — *Corollarium* 4. Ergo cetera entia ideo sunt finita, *quia* sunt *ab alio*, quia sunt producta; productio infiniti pugnat. De se et a se creaturae non sunt *actus nec infinitus* nec *finitus*, sed *nullus actus;* sunt enim mere *potentiae obiectivae* (n. **306**). De se non sunt nec *esse a se* nec *esse ab alio*, sed solum *posse esse ab alio;* unde et earumdem limitatio obvie intellegitur facta sive a *quidditatibus* ipsis, sive a *causa* efficiente (n. **303**). Videlicet: in creatione Lunae, angeli... talis et tanta a Deo producitur *substantia*, qualis et quanta exprimebatur typo ideali Lunae possibilis, angeli. Hic typus, *non*

(1) In Theodicea, n. 114; magis in Theologia, « De Deo Uno », n. 77, 4°. « Ratione... »; ubi sic illud extollit: « argumentum memoratum, a S. Thoma adductum, non immerito egregium a Toleto vocatur (in 1 p., q. 7, a. 1); quia *bene* intellectum invictissimi roboris est. Immo inter argumenta rationis ut unice concludens habendum est » (n. 80, Obi. 3).

factus (sed factibilis), ab aeterno tamen determinatus, *essentia* appellatur seu quidditas. Factus denominatur *esse substantiale* (Lunae, angeli) vel etiam essentia physica seu actualis... « Quidquid est in aliquo, quod est *praeter essentiam* eius, oportet esse causatum » (1 p., q. 3, a. 4). Ergo *essentia* non est *causata*. Sed *essentia actualis* seu physica est *causata*. Ergo *essentia* tunc significabat quidditatem, seu essentiam secundum ea solum, quae *e se* habet, i. e. essentiam *possibilem*.

317. — *Corollarium* 5. Ergo non est cur de possibilitate limitandi creaturam adeo praeoccupemur, cum tam obvie necessarioque contingat; nec timendum ne angelus, dum a Deo fit, indutus appareat perfectione Seraphim, aut homo intellectu angeli, aut Luna igne solis, etc. aut singula consurgant infinitata; ipsaemet quidditates gradum efficientiae limitabunt.

Solvuntur difficultates.

318. — *Praeambulum de Finito et Infinito*. Ut plures e radice tollantur instantiae, quos de finito infinitoque possidemus conceptus, maiori iam Dei notitia rursum contemplari, penitius intrare iuvabit.

1. *De conceptu finiti. a) Ipsa conceptus efformatio.* In rebus mundanis percipimus: α) *realitatem positivam*, v. g. extensionem, sapientiam; qua sola percepta *materiale* quidem finitum attigimus, minime adhuc *formale;* formale tunc percipimus, *quando* in realitate simulque cum ipsa β) percipimus *limitem, negationem* scilicet ulterioris realitatis in hac linea, in alia, et alia; *limes* enim *in concreto* est id, ultra quod nihil datur quod ad ens illud pertineat, seu est ultimum rei positivum, connotans *negationem* ulterioris positivi in ipsa re; atque haec negatio est *formalitas finitudinis. b) Natura conceptus.* Hinc conceptus finiti *concretus* (seu totalis) partim positivus est, partim negativus, conceptus inquam *obiectivus;* videlicet: *obiectum* finitum, in conceptu subiectivo repraesentatum, est *positivo-negativum* (1).

319. — 2. *De conceptu infiniti. a) Ipsa conceptus efformatio.* Supra finitam perfectionem positivo-negativam cadentes, ab ea amovemus negationem (limitem hunc et alium, omnes in illa linea); efformavimus infinitum *illius lineae* seu infinitum *secundum quid*. Huic perfectiones aliarum quoque linearum superaddimus *omnes* omnesque modo nuper dicto infinitamus; habemus infinitum in *ratione entis* seu infinitum *simpliciter. b)* Natura *conceptus.* α) Cum obiectum simpliciter infinitum *in seipso pure positivum* sit, *absolute* loquendo proque infinito intellectu (Dei), qui infinito obiecto perfecte se adaequet, obiectivus infiniti conceptus pure positivus est; pro illo intellectu obiectum *formale* remanet idem ac *materiale*, utrumque *totaliter positivum.* β) *Relate* ad *nos* aliter. Obiectum illud, in se pure positivum, nobis exhibetur partim *positive*, partim *negative;* i. e. obiectum *formale nostri* de infinito conceptus est *positivo-negativum*, seu conceptus *noster* (obiectivus) partim positivus partim negativus est: positivus in quantum *perfectio* fuerat concepta, negativus in quantum perfectio percepta induebatur *negatione* limitum. Circa quod tamen nota: cum negatio limitis sit negatio *negationis*, ideoque sit positio, conceptus obiectivus erit dicendus duplici positivo con-

(1) Quaestio movetur tota de conceptu *obiectivo;* subiectivus enim sive finiti sive infiniti semper est *totaliter* positivus semperque finitus, cum *accidens* sit *reale* animae.

flatus, igitur *simpliciter positivus* licet per artificium. Res quidem in se ita se habet; adhuc nobis contingit mixta. Videlicet: cum ex remotione unius limitis rem in vago augmentatam cernimus, novus statim fit obviam limes (intra eamdem etiam lineam, a fortiori in aliis). Tunc succedit conatus *negandi* omnes limites; quia tamen infinitum positivum qua tale, eo quod nostram superet capacitatem, nos latet, ipsummet exhibere sub ea cogimur obiectivitate, cuius prior velut pars positiva sit (perfectio), altera autem *negativa* (negatio omnium limitum); unde et conceptus obiectivus erit positivo-negativus. Adhuc rem in se scimus totaliter pureque positivam esse; nec aliud significat conceptum esse *analogicum.*

320. — 3. Unde circa totalitatem conceptus obiectivi, dum concipimus ens simpliciter infinitum: *a*) Obiectum *materiale* conceptus est simpliciter *positivum*, seu conceptus infiniti (obiectivus) *quoad id quod* est simpliciter *positivus;* est enim infinitum realiter exsistens, ut in se est, in quo nulla negatio sed omnis positio adest.

b) Obiectum *formale* conceptus (nostri) est *positivo-negativum*, seu conceptus infiniti (obiectivus semper) quoad *modum quo*, est *positivo-negativus;* positivus qua dicit perfectionem, negativus qua negat in ea limites. Denique conceptus infiniti *adaequate* sumptus, i. e. et quoad materiale et quoad formale *concreti percepti*, est pariter *positivo-negativus* ex dictis.

c) Obiectum formale conceptus *inadaequate* sumpti est *negativum*, seu conceptus infiniti (obiectivus) *inadaequate* spectatus, i. e. in sua *formalitate* infinitatis est simpliciter *negativus* (1). Unde passim audis: *Infinitas* est attributum Dei simpliciter negativum; attentio autem tunc fertur ad *formalitatem* a concreto infinito velut decisam.

321. — *Obi. I.* Quod est determinatum, non est infinitum. Atqui Deus est determinatus. Ergo non est infinitus.

R. D. M. Quod est determinatum determinatione *limitum*, i. e. limitibus clausum, non est infinitum, *C.* Quod est determinatum determinatione *distinctionis* non est infinitum, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

322. — *Obi. II* (Inst.). Quod determinatur determinatione *distinctionis* est necessario *finitum.* Nam quidquid ab alio *substantialiter* distinguitur, substantialiter *finitum* est seu est substantia *finita.* Atqui quod determinatur determinatione distinctionis, ab aliis *substantialiter* distinguitur. Ergo quod determinatur determinatione distinctionis est necessario *finitum.*

R. D. M. Si distinguitur ut substantia *praedicamentalis* ab alia praedicamentali, i. e. per *differentiam* additam *generi*, *C.* Si stans supra praedicamenta, ut substantia imparticipata, per primam et unicam sui notam a ceteris distinguitur participatis in praedicamento positis, *N. M.* — *Ctr. m.* Praecise ut praedicamentale a praedicamentali, *N.* ut extra-praedicamentale a praedicamentali, *C. m.* — *N. c.*

Explico. Quae in praedicamento sunt, mutuo sese per *differentias* excludunt spiritualis, corporalis; hinc unum differentia caret alterius eiusque perfectione; quod nonnisi *finitorum* est. *Impura* quoque *esse* dicuntur, eo quod τῷ *esse* propriae speciei uniant τό *non esse* contrariae. Enimvero Deus, in ipso τό esse infinitus, nullam sub aliqua differentia expressam entitatem a se excludit, unde est *purum esse* sine admixtione non esse. Ergo differens ab aliis, nullius involvit carentiam perfectionis (imparticipatae), ne illius quidem, quae in rebus ab ipso distinctis reperitur (participata).

---

(1) De singulis praeclare Kleutgen, « Filos. Antica », tr. 5, tom. 3, VII, n. 412. Cfr. etiam Pesch et Hontheim.

323. — *Obi. III.* Quod ita est *hic*, ut *alibi* non sit, localiter *finitum* est, non replet *omnia* loca. Ergo a pari quod ita est *hoc*, ut non sit *aliud*, erit in ratione entis *finitum*.

R. C. Ant. — *N. cons. et par.* — 1° *Disparitas* in eo est, quod nullus datur locus, cetera in se eminenter continens; quilibet enim unam dicit limitatam praesentiam alteri incommunicabilem, estque praedicamentalis; superior, inferior, dexter, sinister, cum *limitatione* sistit praedicamentali et individuali. Contraria autem verificat *esse* Dei.

2° Si quis daretur locus « ubique », reliquorum eminens continentia (plenitudo loci), participata loca distinguerentur ab ipso; etsi enim cum ipso quasi compenetrata essent, adhuc teneret locum hunc finitum non esse illud « ubique ». Igitur ratio cur id, quod est *hic* et non *alibi*, est localiter finitum, non in eo stat quod *praeter hoc* hic detur et *aliud* hic; sed in eo, quod hoc hic, in quo res locatur, est *finitum;* si esset infinitum, res hic locata esset localiter infinita; etsi alius insuper daretur aliusque locus, vilius efformatus, cum eminenti ubique compenetratus. Porro spatium imaginarium non ideo esse infinitum desinit quia aliud adhuc exsistat *reale* finitum, ab imaginario distinctum cumque huius parte compenetratum. Igitur neque ens entitative infinitum ab infinitate recedit eo quod cetera finita secum non identificet.

324. — *Obi. IV.* Si Deus esset simpliciter infinitus, eo maius excogitari nihil posset. Atqui potest; aggregatum ex Deo et creatura quid maius est quam solus Deus. Ergo Deus non est simpliciter infinitus.

R. C. M. — *N. m.* — *D. rat.* Aggregatum est quid maius *intensive*, seu in ratione perfectionis, *N. Extensive* seu in ratione *numeri* perfectorum, *Sd.* secundum perfectionem univocam *imparticipatam*, *N.* secundum analogam, quarum una est participatio et umbra alterius imparticipatae, *C. rat.* Distinctio aequivalet phrasi: « Deus et creatura sunt *plures* entitates, non autem *plus* entitatis, quam solus Deus ».

Inst. 1. Atqui aggregatum est maius Deo etiam intensive. Nam realitas addita realitati, non *numerum* solum perfectorum, sed et perfectionem ipsam facit maiorem. Atqui creatura suam habet *realitatem*, ut Deus suam. Ergo aggregatum perfectio maior est quam Deus solus.

R. D. M. Si utraque valore pollet *independenti* proprioque, *C.* Si una nihil proprii habet, sed tota quanta mere repraesentatio est alieni valoris, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico 1° Auctoritas regis intensive non crescit ex accessu auctoritatis gubernatoris, si haec totaliter pureque regiam repraesentet. 2° In Petro eiusque photographia non plus coalescit *humanitatis* quam in solo Petro; nec 3° lucis adest plus in agglomerato Solis Terraeque quam in uno Sole, cum lux Terrae tota a Sole sit; plus luminantium certe habetur.

325. — *Obi. V* (Inst. 2). Moneta aurea, cui cuprea accedit, valorem facit intensive maiorem. Atqui tamen respectu auri cuprum aequivocum est, deficiens auri imitatio. Ergo analogia non impedit creaturam cum Deo maiorem intensive facere perfectionem.

R. D. M. Ideo quia cupreae proprius inest valor ab aureo non acceptus, *C.* Si eius individualis valor in aurea contineretur, *N. M.* — *Ctr. m.* insuper autem *participatio* valoris auri est, *N.* Proprium habens valorem ab auro independentem, *C. m.* — *N. c.*

Explico. Licet cuprum in auro *eminenter* contineri dici queat (n. **286**), minime tamen quodlibet totumve cuprum in qualibet auri particula contineri. Etenim aureum A nec totum continet cuprum nec praecise cupream *C*, sed *alia* cuprea ex infinitis cupreis idealibus desumpta. Hinc cupreum *C*, additum aureo *A*, auget valorem A, quia valor τοῦ C cadebat extra valorem τοῦ A. Aureum A continet toties determinate valorem cuprei C, sed non *omnes* possibiles unitates C. Valor autem Dei *omnes* continet creaturarum valores. Hinc Dei rerumque valores accedunt magis ad valores auri et chartae. Charta, cum pure sit auri repraesentativa, nullo gaudet valore proprio.

Observa. Deus cum creaturis connumeratur non *simpliciter*, sed *secundum quid*.

Simpliciter connumerantur entitates, quibus aliqua insit univoca ratio, ob quam *plura* contingant eiusdem ordinis (generalitate quadam) *plus* realitatis facientia; cupro et auro univoca inest ratio corporis, immo metalli. Deo autem nulla inest cum creaturis univoca ratio. Igitur numeratio: « Deus et angelus sunt duae res » (S. Th.) non propria, unde *maior* exsurgat entitas (ut ex auro et argento), sed impropria solum numeratio est, e qua *plures* emergant entitates.

326. — *Obi. VI.* Deus *comprehenditur* a se ipso. Atqui quod comprehenditur finitum est. Ergo Deus est finitus.

R. D. M. Intellectu *infinito*, *C.* Facultate *finita*, *N. M.* — *Ctr. m.* Quod comprehenditur a finito, *C.* vel *Tr.* (si *realiter*, ita; si solum intentionaliter, non est evidens); quod comprehenditur ab intellectu infinito, *Sd.* Si ita comprehendatur, ut totam *expleat* intellectus infinitatem, *N.* Si ita ut *partem* eius adaequet, *C. m.* — *N. cons.*

Explico. Intellectus Dei infinitus, Deum infinitum (ut obiectum sibi proportionatum) percipiens, simul percipit se quoque (essentiae identicum) infinitum esse entitative sive capacitate intentionali. Hinc obiectum sibi adaequans, illud minime *limitat;* cum enim ipse clausus non sit, obiectum suum repraesentare limite clausum non poterit.

327. — *Obi. VII.* Infinitum nobis non innotescit. Illud enim comprehendere nequimus. Atqui simplicissimum si non comprehenditur non cognoscitur, cum parte et parte careat. Ergo ignotum nobis manet.

R. N. Ant. — *Ad prob. C. M.* — *D. m.* Simplicissimum... non ita cognoscitur, ut una cognoscatur eius pars, alia non cognita, *C.* Ne ita quidem, ut *totum* attingamus analogice improprie intensitate quoque infinitae intensitati *inadaequata*, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Infinitum *adaequata* intensitate nunquam percipiemus; in hac vita *analogice* solum; in beatitudine (supernaturali) proprie quidem totumque ut in se est Deum, nec *totaliter* tamen seu intensitate obiecto proportionata. Tam plene Deus solus seipsum comprehendit.

328. — *Obi. VIII.* Infinitas est attributum *negativum.* Ergo eius quidditas melius negative exprimitur, v. g. « id quo maius aut cogitari aut esse nihil potest ».

R. 1º *Trans. totum.* Quaestio non erat de selectiori infiniti descriptione, sed de eiusdem actuatione. Infinitum, *in se* totaliter positivum, a nobis ut positivum-negativum percipi, immo formalitatem infinitatis (qua attributi) in negatione consistere non negamus; singula potius explicuimus (n. **318-320**). Inde

R. 2º *D. Ant.* Infinitas est attributum *negativum expressive* (i. e. in vocibus ipsam exprimentibus), *C. Realiter*, i. e. ex parte rei significatae, *Sd.* Prout illa res *in se est* (obiectum *materiale*), *N.* Prout a nobis concipitur (obiectum formale), *Sd.* 2º Est pure *negativum*, *N.* Est positivum cum adiuncta *negatione limitum*, *C. Ant.* — *D. p. c. Pure negative*, *N.* Per positivum, cui accedat negatio, *Sd.* quod sit intra lineam *formalem* infiniti, *C.* Quod exeat e formali linea infiniti, *N. c.* Iam vero « id quo maius... » exit e linea *formali* infiniti, licet in alia sistat valde *vicina* « summi », *deducta* tamen ex infinito. Igitur infinitum per haec minus bene definitur.

329. — *Obi. IX.* Si Deus est esse *infinitum*, si totum ens totumque esse ac pelagus τοῦ esse, tunc Deus erit *esse omnium rerum.* Atqui id intendit *Pantheismus.* Ergo Deus non est simpliciter infinitus.

R. D. M. Deus erit esse omnium rerum *causale* « causative », *eminentiale* « eminenter », *exemplare* « exemplariter », *C.* Adhuc etiam *formale* esse omnium, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Ad rem Aquinas: « Unde patet quod divinum esse *producit* esse creaturae in similitudine *imperfecta;* et ideo esse divinum *dicitur esse omnium rerum*, a quo omne esse creatum *effective* et *exemplariter* manat » (1º Dist. 8, q. 1, a. 2, c). « Praeterea nihil habet *esse*, nisi in quantum participat divinum *esse*, quia ipsum est primum *ens* quare causa omnis *entis* » seu causa omnis *esse.* Ens et esse pro uno habentur (Ibid.).

330. — *Obi. X.* In nostris pro infinito Deo discursibus possibilitatem infiniti assumere cogimur; hac enim non supposita, discursus evanescunt. Atqui possibilitas infiniti realis nec in se evidens nec ullibi probata est. Ergo infinitas Dei non demonstratur.

R. N. M. Si esse *reale* Dei limitari nequit (ut ostendimus) iam hoc ipso ostensa manet *possibilitas* infiniti realis; de facto enim ad posse valet illatio. *Prob. dist.* Hac *ontologice* non supposita, discursus ruerent seu ad quid illusorium ducerent, *C.* Hac *logice* non praesupposita (i. e. prius non *cognita*), discursus apta carerent vi pro reali inferendo infinito, *N. prob.* Difficultas eiusque solutio habentur in doctrina de apriorismo cognitionis Dei (clare in argumento Leibniziano). In antecessum possibilitas cognosci nec debet nec potest. Ceterum si pugna infiniti praevie constaret, tunc quidem timor fallaciae in nostrum caderet discursum, at pugnae periculum non adest (1).

331. — Novum *obiciendi caput.* Si conceptus infiniti modo supra exposito (n. **319**) efformatur, noster de infinito conceptus sat proprius esse poterit, nec erit cur negemus *simplices creaturae* perfectiones (sublato limite) etiam *univoce* in Deo reperiri. Iam enim, si a nostra sapientia quivis amoveatur limes, sine alio reddetur infinita, sicut linea, cui extrema tolluntur puncta, infinitatur. Atqui amotio limitis ipsam perfectionis formam non turbat. Ergo forma divinae sapientiae respectu *creatae* sapientiae *univoca* erit.

Respondeo non sic esse; quod enim circa modum intellegendi continentiam perfectionis mixtae in Deo supra notabamus (n. **285**), de ceteris quoque valet perfectionibus. Consideratio lineae fallax est; Scotus quidem propugnavit identitatem; sed reliqui *analogiam* etiam in formalitatibus. Hinc sapientia Dei (etiam formaliter) illius formae non est, quae in creata sapientia unquam remaneat (imperfectionibus ablatis); *aliam* induit *aequivocam* altissimae excellentiae. In his scilicet viae *negationis* adiungenda est via *eminentiae* (2).

332. — *Scholion historicum.* Infinitas Dei est de *fide divina et catholica* (Vatic. s. 3ª, « Constitutio de fide catholica », cap. 1, « omnique perfectione infinitum ». Denz. n. 1782 [1631]); etiam *ratione* demonstrari communius tenetur. Via ad hoc duplex: 1ª a posteriori, 2ª a priori.

1. *A posteriori: a*) Aristoteles, posita mundi aeternitate, probavit Deum esse virtutis *infinitae* (ideoque infinitum), *quia* movet *infinito tempore.* De mente philosophi necnon de valore argumenti dubitatum semper est; etiam sub hypothesi aeternitatis mundi argumentum vix convincebat (3). Unde *b*) plures nunc ex *Creatione* probant: Deus de facto creavit mundum. Atqui creatio supponit virtutem *infinitam*

---

(1) Haec tanguntur a Suarez (Disp. Metaph. 30, s. 2, in fine).

(2) Toledo aliis differentiis hanc addit: « Tertio differunt etiam, quod non sunt istae (nostrae) *eius rationis,* cuius sunt Dei; est enim Deus altior *alia* perfectio. Unde deme a sapientia nostra finitatem, et fac eam infinitam, uni et iunge eam cum iustitia et aliis, et remove imperfectiones alias; adhuc non est sapientia, qualis est illa Dei... Est enim Deus elevatissima una perfectio formalis, cui nulla creata ullo modo formaliter est similis et eiusdem rationis [univoca] » (T. I, in 1 p., q. 13, a. 4, 3ª concl., p. 188). Cuius ratio discriminis: sapientia Dei non identice solum (seu realiter) sed etiam *quidditative* (seu *formaliter*) est Deus, est *substantia* divina; sapientia vero creaturae est accidens animae ab eaque realiter distinctum; idem de aliis perfectionibus; unde omnes in Deo idem sunt, formaliter essentia; in creatura sunt plures « divisim, particulariter » (S. Th.). Cfr. Urráb. 7, nn. 76, 77.

(3) S. Th. 1º c. G., c. 43 *decem* modis infinitatem Dei probans, nonum assumit ex *virtute* infinita, tripliciter rursus: 1) Sub forma aristotelica: « Amplius, virtus *infinita* non potest esse in essentia finita... Sed Deus non habet virtutem activam finitam. Movet enim in tempore *infinito*... Haec autem ratio est secundum ponentes aeternitatem mundi ».

2) « Qua aeternitate non posita, adhuc magis confirmatur opinio de *infinitate* divinae virtutis. Nam unumquodque agens tanto est virtuosius in agendo, quanto potentiam magis remotam ab actu in actum reducit, sicut maiori virtute opus est ad calefaciendam aquam quam aërem. Sed illud, quod omnino non est, *infinite* distat ab actu, nec est aliquomodo in potentia. Igitur si mundus factus est postquam omnino prius non erat, oportet factori virtutem esse infinitam ».

3) Hoc idem valere ait posita aeternitate mundi, quia etiam tunc mundus est factus ex nullo praesupposito subiecto; et quia virtus *finita* operatur in materia praesupposita, Dei virtus aliter operans infinita est. Ergo et essentia Dei est infinita.

et haec Deum *infinitum*. Ergo (S. Th.). At probatio Minoris ex *infinita* nihili distantia ab actu, qua superanda requiri contenditur virtus infinita (apud S. Thomam aliosque plures) habetur a multis ut *obscura*, parum evincens (his non assentimur); ideoque aliter proponunt, ut et totum argumentum, sic: *c*) Virtus, quae actualem mundum creavit, omnes possibiles *sine fine* creare capax est; praerequisitum enim et condicio ad hunc creandum haec sola fuit, quod hae res intrinsece possibiles essent. Atqui talis condicio de *quolibet* possibili verificatur. Ergo aeque potuit et potest alios possibiles sine fine creare (1). — *NB*. Responderi posset: Praerequisitum *ex parte mundi creandi* et condicio illa sola fuit, *C*. sed absolute et etiam *ex parte causae, N*. Ex parte enim causae fuit exsistentia *virtutis* ad *illum mundum;* forsan *deest* virtus ad *alium* mundum faciendum, sub intrinseca eiusdem mundi possibilitate.

2. *A priori;* cuius forma haec necessario erit (pro nobis fuit): Deus est actu ens *per essentiam*. Ergo est ens absolute infinitum; vel sic: Deus est actu esse *per seipsum*. Ergo infinitum; vel sic: Deus est esse *suum*. Ergo infinitum. Sub quibus tamen formulis, nemini non probatis, duplex sat diversa cogitatio latere solet, duplex in evolutione probativa directio: *a*) nostra valde communis et tuta (Cfr. *Prob.* 1); *b*) plurium thomistarum, quibus esse suum sonat *exsistentiam puram* irreceptam, i. e. non receptam *in* essentia, et in qua non realitas essentiae sed exsistentiae adsit; sic re intellecta censent efficacius infinitatem ostendi. Nobis haec directio omnino vetita manet (Prop. XIII, *Schol. III*); atque etiam dato nihil esse periculi chimaerae in exsistentia tam pura concipienda, infinitas Dei non facilius sic demonstratur, quam modo nostro (2).

Articulus III.

de simplicitate dei

(Latus *reductivum* essentiae divinae).

Propositio XVII. **Deus est ens absolute simplex, sive physice sive etiam metaphysice.**

333. — *Praenotanda.* I. *Definitiones.* Simplex opponitur composito, sicut unum opponitur pluribus. *Compositum* est quod partibus constat in unum coëuntibus. *Simplex* est quod partes non habet; seu ens non compositum. Compositio definitur unio distinctorum; requirit duo: *a*) distincta seu partes uniendas; *b*) *unionem;* alterutro deficiente, deficit compositio. *Simplicitas* est carentia compositionis, seu carentia partium.

334. — *Observa. Pars* est aliquid rei (designabile in re) quod non est *tota* res; v. g. brachium et digitus huius hominis, quod non est totus hic homo; aliquid huius ferri, quod non est *totum* hoc ferrum, etc. Unde actu compositum erit quod *actu* constat partibus unitis, seu quod habet *actu partes* unitas in unum quatenus in eo *designabile* actu est aliquid, quod non est totum. Id autem habetur actu in continuo etiam homogeneo (secus nec actu compositum esset), quin ideo tamen exigat ut suae partes propriis fi-

---

(1) Cfr. Suarez, Met. Disp. 30, s. 3.

(2) Etiam data possibilitate (in genere) talis *purae* exsistentiae ut formae *physicae* aut receptae, aut irreceptae *in essentia reali*, instantiae aeque fiunt contra illam: curnam non *a se* limitata appareat ex intrinseca sui determinatione etc., ac contra esse a se, irreceptum ab et vel *metaphysice irrepcetum* in. In utraque acceptione solutiones dandae ut in probatione 1ª. Ceterum S. Thomas in Summa videtur clarius in eorum loqui directione, sed alibi aperte in nostra (c. Gentes passim). Haec tandem prorsus tuta est multoque solidior

gurentur *limitibus* actu intra totum unum. Id quidem, actualem faciens *multitudinem* ac *numerum* etiam *individuorum*, potius destrueret *unitatem* continui. Igitur compositum, actu unum, partibus quidem actu constare debet, ita tamen ut hae numerum non faciant sed *unitatem*.

335. — II. *Classes compositionum.* Cum compositum et compositio e partibus nascantur, genera quoque compositorum et compositionum ex indole pendebunt partium, in unum (totum) aliquomodo coëuntium. Iam

1. *Compositio substantialis* ea est, quae fluit e partibus *substantialibus* in unam coëuntibus *substantiam;* quia autem duplici reperitur linea, *essentiali* scilicet ac *integrali*, duplex est: α) *Compositio* hominis ex anima et corpore est substantialis *essentialis.* β) Compositio hominis ex brachiis, pedibus, capite..., est substantialis *integralis;* haec alio nomine *quantitativa* dicitur eo quod ipsam naturali necessitate comitetur quantitas *accidens*, cum suis accidentalibus partibus partes ferri, auri, panis... *substantiales* coëxtendens. *Comparando.* In compositione *essentiali: a*) partes sunt necessario *heterogeneae* inque propria essentia oppositae; *b*) sunt *essentialiter* simplices, i. e. in linea *intensitatis* entitativae, in qua sistunt, unaquaeque non constat duplicitate entitatis *ut qua*, aut duplici quasi superpositione, sed una simplici; *c*) unaquaeque pars tam necessaria est, ut ea deficiente essentia *pereat.* In compositione autem *integrali: a*) partes possunt esse *heterogeneae*, sed etiam *homogeneae; b*) sumuntur in linea *extensionis;* in *linea* enim *intensitatis* (quasi profunditatis) sunt eiusdem ac totum entitatis, duplicis entitatis *ut qua* (ex materia et forma); *c*) unaquaeque pars, licet *substantialis*, ferrum, aurum, panis etc. adhuc talis est, ut ea remota aut pereunte, essentia non pereat. Sub utraque compositione *unitas* entis et *unum per se* salvantur.

Compositio accidentalis est illa, quae e substantia fluit et accidente vel etiam e duobus accidentibus in unum coëuntibus, v. g. ex homine et albedine, ex anima et voluntate et volitione, ex intellectu et intellectione, etc. Sub hac quidem compositione nec *unitas* per se (entis) nec unum per se (ens) salvantur; sub ipsa enim compositum remanet ut *plura*, cum singulae partes *totidem* sint *entia simpliciter* et ut *quod.*

336. — 2. *Subdivisio compositionis substantialis.* Attendendo *ad essentialem*, duplex adhuc classica distinguitur compositio substantialis: *Physica* et *Metaphysica.*

a) *Physica* seu Realis, in qua partes substantiales physice distinguuntur seu realiter, v. g. compositio hominis ex anima et corpore; corporis in genere ex materia prima et forma substantiali.

b) *Metaphysica* seu Logica, in qua partes substantiales non realiter sed ratione solum distinguuntur, praecisione tamen perfecta; v. g. compositio hominis ex animalitate et rationalitate, universim compositio ex genere et differentia, ex natura et singularitate; compositio Petri ex homine et hoc homine, etc. *Observa.* Ut compositio vere metaphysica adsit, partes debent invicem adaequate praescindere, ut neutra aliam includat; haec igitur compositio ab illa alia separetur, quam ens ut sic cum suis dicitur facere differentiis, quaeque solum improprie compositio nuncupatur; est enim mera entis contractio per additionem notionis determinatioris ad aliam minus determinatam *eiusdem* rei seu eiusdem *obiectivitatis*, quae quidem iam in notione determinante *includitur.*

3. Ipsa *accidentalis* compositio est *physica*, si accidens et substantia vel accidens et accidens *realiter* invicem distinguuntur; secus erit compositio

accidentalis *metaphysica*. Physica composita sunt homo cum albedine, anima cum intellectu, intellectus cum intellectione, voluntas cum volitione; *metaphysica* sunt anima cum immortalitate, spiritus cum incorruptibilitate, voluntas cum libertate arbitrii...

337. — III. *Character seu natura simplicitatis et compositionis in se. Simplicitas* et *compositio* entis non sunt in ente qualitas absoluta velut accidens substantiae superadditum. Etenim simplicitas animae non est perfectio nova animicae substantiae reapse addita; neque compositio est aliquid corpori superadditum. Sunt igitur duo *diversi modi*, secundum quos ens aliquod originarie inque prima sui realitate constituitur, ad instar differentiae quoad constare partibus, vel iisdem carere. Utrumque nos velut quid *realiter additum* cogitamus, eo quod *substantia* (ens) *abstracta* nec unum nec aliud dicit; hinc quoties alterutrum in concreto dicit, *additio* apparet facta; quae tamen additio non realis sed mentalis est. Profecto simplicitas et compositio sunt *abstracta* metaphysica, quae ad *concreta* (simplex et compositum) se habent ut humanitas ad hominem, ut spiritualitas ad spirituale; spiritualitas autem cum intellectu non facit *duo* accidentia; ergo nec simplicitas cum intellectu facit *duo*. Igitur nec simplicitas cum *anima* cum *substantia* simplici, facit *duo realia;* neque substantialis compositio cum substantia composita facit *unum per accidens*. Ratio semper eadem est: Cum *entitas* animae (a pari de aliis) simplex per *seipsam* sit, quasi exspectare non tenetur ut ex ipsa *novum* dimanet quid, vi cuius anima sit dicaturque simplex, prout exspectare tenetur, ad hoc ut *sit* et dicatur actu *intellegens*, *volens*, immo ad hoc ut dicatur et sit proxime *intellectiva*. Unde esse proxime intellectivam est *attributum* animae; esse autem simplex non attributum sed *substantia*. Idem dic de *infinitate* respectu τοῦ esse infiniti Dei; infinitas est ipsum *substantiale* infinitum, licet forma abstracta expressum, seu est abstractum metaphysicum concreti infiniti.

338. — IV. *Simplicitas perfectio positiva*. 1. Simplicitas *in se* quid *positivum* est; quippe quae cum *ente simplici identificatur*. 2. Adhuc eam in *negativo* passim reponimus (in negatione compositionis); etenim *a*) simplex non est proprium actualis intellectus obiectum (solum sensibilia sunt proprium), unde simplex et simplicitatem sub *aliena* solum prehendimus specie (negando scilicet *compositum* et compositionem); *b*) hinc simplicitas pro nobis nonnisi *carentia* compositionis est; attributum scilicet *negativum*, reique positivum addens nihil; quia tamen negat imperfectionem, quod reapse significat tandem perfectio positiva est, ab ente ipso simplici realiter indistincta.

339. — V. *St. q.* Deus essentialiter omnes possidet actu perfectiones, singulas gradu infinito; sed quonam *modo*, divisim perque *pluralitatem*, an indivisim summa omnium in unum coadunatione.

Solutio tam obvia in se tamque stringens proditur, ut popularis iam philosophia iactantiam praevertat Metaphysices; quis enim Deum corpus esse credat aut figuras mundi quasi in mosaico continere? Enimvero sublimior illa simplicitas quomodo se habeat nec omnibus clarum, nec theistis nisi *in vago;* unde nunc exactius determinatur, quaquaversus evolvitur.

340. — *Prob.* 1. tota thesis universim. Esse reale Dei eo modo constitui dicendum est, qui in se perfectissimus actui puro perfectissime adaptetur. Atqui simplicitas e se perfectior est compositione, ideoque modus per omni-

modam simplicitatem in se perfectissimus; aliunde actui purissimo potentias avertenti aptatissimus. Ergo Deus est absolute simplex.

Maior ex infinitate Dei; inde scimus Deum esse perfectissimum cogitabile. Atqui non id esset, si aut modo in se minus perfecto, aut minus sibi adaptato constitueretur; tunc enim aliud ambo possidens cogitaretur perfectius. Ergo Deus constituitur modo, qui in se et pro Deo perfectissimus sit.

Min. 1º In genere simplicitatem compositione perfectiorem esse (ceteris paribus) omnium habetur persuasione, iuxta quam *a*) si ad personalem cuiusque plenitudinem entitativo-energeticam sufficeret anima, sufficeret volitio, per quam uno actu possideret homo quidquid de facto nunc per plures partes divisim obtinet exercitioque vario, homo ille ab omnibus actuali perfectior declararetur. *b*) Inter machinas pro *eodem* obtinendo effectu perfectissima ea decernitur, quae simplicissima. Ergo perfectius est habere per *unum* quod per *plura* obtinetur; seu: ergo simplex de se perfectius composito est. Cuius metaphysica ratio in sequentibus.

341. — *Prob. tota Minor* 2º *Ab intrinseco. a*) Pluribus egens a pluribus *dependet;* dependentia autem ac indigentia imperfectio sunt, eo maior quo multiplicior. *b*) Una pars respectu alius *potentialitatem* involvit, nec minus totum respectu omnium. Atqui id aliquam e se imperfectionem dicit, in divinis autem specialem cumque Deo minime cohaerentem. Ergo modus compositionis tum in se imperfectior, tum Deo disconveniens est. *Ad min.* Siquidem una pars aliquo caret, parte nempe illa partibusque ad quas in potentia est, similiter alia pars; unde singulae limitibus constant, sunt *finitae.* Atqui ex finitis infinitum exsurgere nefas. Ergo modus compositionis τῶ esse divino non cohaeret. Contraria verificantur in modo simplicitatis. Ergo modus per simplicitatem et in se perfectior et Deo aptior, unice aptus.

Nota. Eadem probatio paulo aliter sic: In Deo sunt *omnes* perfectiones *simpliciter simplices* formaliter. Atqui esse absolute simplex meretur dici perfectio *simpliciter simplex;* est enim melior ipsa quam compositio, quae varias dicit imperfectiones. Ergo. Simplicitas in rigore non tam perfectio, quam modus est indolesve perfectionis.

§ I. — *Excluduntur singulae compositiones physicae.*

342. — *Realem* in se nullam permittit Deus: 1º Non ex materia et forma. 2º Non ex partibus integrantibus. 3º Nec ex substantia et accidente. 4º Nec ex natura physica et supposito. 5º Nec ex essentia reali et existentia. Atqui hae sunt classes *realis* compositionis, quae in Deo cogitari possent. Ergo *reales* compositiones Deus a se excludit.

343. — *Adversarii.* Aliquas ex his affirmant in Deo: *a*) Recentes discipuli *Spinozae,* ponentes Deum-mundum, *unicam* substantiam, duplici tamen attributo praeditam: *extensione* (seu materia) et *cogitatione* (forma). *b*) *Materialistae* et *Pantheistae,* plures *Stoici,* etc., quibus nempe Deus est *mundus,* sive mundus interea materia constet et anima (materia et forma); sive cosmica sit terrena materia (sola), integraliter composita sensu atomismi; sive delicatior affirmetur substantia ingenerabilis ac incorruptibilis, aut essentialiter simplex sed extensa, aut quasi caelum veterum. *c*) Anthropomorphitae (monachi aegyptii saec. v), innumeri idololatrae Deo Diisque esse corporeum dantes. *d*) Philosophi quidam arabes (Ap. S. Th. 1º c. G., c. 23).

344. — *Pars* 1ª. *Non ex materia et forma.* 1) Deus est actu *simpliciter infinitus*, est actus purus. *Atqui* neutrum esset, si materia constaret et forma. *Ergo* sic Deus non componitur. *Min. Materia a*) est potentia, immo pura potentia; *b*) careret perfectione *formae;* hinc *c*) esset *finitae* perfectionis. *Forma* quoque perfectione *materiae* careret, unde et ipsa *finitae* perfectionis esset. Atqui ex duobus simpliciter finitis infinitum non exsurgit. Ergo Deus, si materia et forma constaret, simpliciter infinitus non esset; proin nec actus purus. 2) Deus est *ens a se;* ideoque sive materia sive forma essent *a se*, perfectionis tamen *diversae* una ab alia. *Atqui* ratio assignari nulla posset, cur una pars *a se* perfectione careret alterius partis, cur ab hac dependens quasi a se nata esset; vicissim et altera respectu prioris. Ergo.

345. — *Observa.* Probationes aeque eos urgent, qui in Deo materiam illam intruderent formamque *subtiliores*, quales aevo medio theologi plures (ante S. Thomam) in Angelo ponebant.

346. — *Pars* 2ª. *Non ex partibus integrantibus.* Si Deus his formaretur partibus, aliae ab aliis *essentialiter* dependerent in ordine ad constitutionem Dei; omnes essent in *potentia* ad invicem et ad totum, conspirantes ad unum; et hoc unum (Deus) a singulis essentialiter dependeret. Atqui sic: *a*) in ente, quod est actus purissimus, perfectissimus, ponitur *imperfectio* et potentialitas; *b*) Ens actu infinitum constitueretur ex additione partium ad partes; id autem pugnat; si enim una actu simpliciter *infinita* est, ceterae redundant; si unaquaeque *finita* est, ex pluribus iam nequit simpliciter infinitum oriri. Ergo Deum partibus integrantibus constare pugnans est.

347. — *Observa.* Dicta consistunt, utcumque partes integrales supponantur constitutae, sive in *duplici* linea materiae et formae pro cuiusque quasi *intensitate* (sensu peripatetico); sive in *unica* linea *materiae* absque forma (sensu atomismi); sive in *unica* linea *formae* sine materia, ad instar earum animarum, quae cum materia in plantis coëxtenduntur, necnon in brutis vilioribus saltem, v. g. in annulosis (S. Thom.), immo in omnibus, ut in psychologia ostendimus.

348. — *Pars* 3ª. Non *ex substantia et accidente.* Haec compositio, nonnullis placens philosophis arabibus, quaeque verisimilior ex Dei volitionibus apparere posset aut ex operationibus Dei ad extra..., non minus tamen quam praecedentes Deo disconvenit. *Prob.* Nam Deus est esse *substantiale* actu simpliciter *infinitum.* Ergo in ipsa ratione *substantiae* est iam plenitudo entis et perfectionis, ubi nulla *absolute privatio* ideoque nec ulla adest *potentialitas;* igitur Deus est actus purissimus *substantialis*, seu est esse *substantiale* purissimum. *Atqui* simili substantiae ab aliquo accidente novam superaddi perfectionem pugnat. *Ergo* Deus substantia et accidente non constat. *Min.* Illa substantia *ad nihil* erat *in potentia*, cum nihilo privaretur, sed in *actu* erat *omnium* perfectionum. Atqui additio accidentis ordinatur ad perficiendam *de novo* substantiam, huic dans actum, ad quem substantia erat *in potentia.* Ergo quod accidentia perfectionem ei addant fieri nequit.

349. — *Observa.* In hac praecise substantialis plenitudine perfectionis consistit quod Deus sit ipsum esse per se subsistens (cfr. nn. **382, 383**), ideoque et actus purissimus sine potentia, sine privatione ulla: « Et hoc modo esse dicitur proprium Deo, quia non habet admixtionem divinum esse alicuius

privationis vel potentialitatis, sicut esse creaturae » (1º Dist. 8, q. 1, a. 1 ad 1). Nempe: *a*) esse *creaturae* sibi immiscet plures privationes hinc et potentialitates: α) esse eius substantiale accidentibus caret plurimis perfectivis, ad quae est in potentia; β) admiscetur ei potentialitas ad ipsum *esse primum* et substantiale, quod cum non *sit* sua *quidditas*, ab alio quasi donum accipit; γ) exsistens autem, nova aggravatur potentialitate, i. e. desinendi esse... *b*) *Deus* nullo ex his modis est in potentia aut privatione, sed quidditative est in actu perfectae possessionis totius esse et perfectionis, immutabiliter.

350. — *Pars* 4ª. *Non ex natura physica et supposito.* Dupliciter posset haec compositio affirmari, hinc et excludi, ex duplici sensu, cuius *suppositum* capax est etiam *mere philosophice*, ut semper sumemus (1).

Posito igitur quod suppositum est omni casu « substantia incommunicabiliter subsistens » (Lugo) seu integrum individuum in se subsistens, sui iuris, nec assumptum ab alio a quo possideatur, adhuc suppositum sonare potest vel *a*) concretum ex substantia et accidentibus, i. e. Petrus totus, qui nunc est cum qualitate, colore, etc. vel *b*) strictum suppositum *ordinis substantialis* sine accidentibus, tunc est *natura* cum complemento *subsistentiae* incommunicabilis, quidquid hoc sit, sed quin ad *accidentia* transeatur. Iam excludimus compositionem in *utraque* suppositi acceptione.

I. *In prima:* In creatis entibus (maxime in corporibus) naturae physicae cum supposito, v. g. humanitatis Petrinae cum homine Petro, compositio realis manifeste adest, in quantum natura physica dicit unice *substantiam* seu constitutivum substantiale, suppositum vero (passim apud S. Thom. aliosque) dicit *totum concretum*, quale substantia et accidentibus nunc constat; unde suppositum a natura realiter inadaequate ut totum a parte tunc distinguitur, ideoque praedicatio « humanitas (Petri) est Petrus » fit impossibilis etiam materialiter et sensu reali. Atqui in divina substantia non adsunt *accidentia* (3ª *pars*). Ergo compositio realis ex natura et supposito, saltem in prima suppositi acceptione, non exsistit in Deo.

II. *In altera acceptione. St. q.* et *adversarii.* Etiam posito quod in Deo nullum sit accidens, cogitari posset naturam realiter cum supposito componere in linea *substantiali*, ita nempe ut etiam tunc illicita esset praedicatio non solum formalis sed etiam materialis et identica (seu in sensu realitatum) suppositi de natura « Deitas est Deus ». Ita Porretanus (1076-1154): Sicut humanitas non est homo sed est *forma* qua homo est homo, ita divinitas, deitas, non est Deus, sed est forma, qua Deus est Deus. Quae sententia « ut inter naturam et personam dividebat », i. e. realem distinctionem et compo-

---

(1) Ab initio enim notatum vellemus suppositum in his et rationem personae pro philosopho, Trinitatem nesciente, idipsum sonare quod in creaturis, aliquid ad instar complementi *absoluti*, supra naturam singularem (hoc sensu *individualem*, *hanc*) qua pure talem additi; vel etiam ad instar quartae illius in divinis subsistentiae, *absolutae* tamen simulque cum natura tribus Relativis Personis communicabilis, quam pauci excogitarunt theologi. Videlicet: *a*) *Caietanus* naturae Dei *qua tali* concessit *subsistentiam* per prius ad *personas* seu supposita, quod reliquis non concedimus naturis. « Est autem ratio diversitatis, quia natura divina *ex seipsa subsistit*, nec mendicat subsistentiam a *suppositis*, immo confert eam illis. Reliquae autem naturae non subsistunt, nisi in supposito... Nec est verum quod actiones sint suppositorum universaliter, sed singularium subsistentium, quale est *hic Deus* » (In 1ªm p., q. 39, a. 4).

b) *Durandus* quoque, etsi paulo aliter, in divinis distinxerat subsistentiam inter et rationem formalem suppositi (quam in esse ad aliud reponebat): « Est enim *suppositum* formaliter et completive per proprietatem *relativam; subsistit* autem, non per proprietatem relativam, sed per essentiam vel *substantiam* » (In 3. Sent. Dist. 1, q. 2).

Utriusque tamen opinatio, quia nec Patrum conformis sensui, nec facile cum vera cohaerens Trinitate, omnino iam derelinquitur.

sitionem ponebat, damnata est (1). Sed neque in *hac* suppositi acceptione realis compositio est admittenda.

351. — *Prob.* 1. Deus per *essentiam* est actus infinitus, actus purus. Atqui non esset si in eo suppositum vel persona realiter cum essentia componeret. Ergo non componit.

Mai. a) In thesi de infinitate Deus apparuit infinitus in linea *essentiae*, in linea *entis*. *b*) In ente a se omnia sunt *essentia*.

Min. a) Tunc enim perfectio suppositi novam essentiae (divinitati) adderet perfectionem, *novum* actum realem, respectu cuius essentia erat hanc non habens, erat *potentia* receptiva eiusdem. Ergo Deus per essentiam non erat actus purus. *b*) Tunc Deus ne *absolute* quidem infinitus esset. Etenim altera pars, essentia, *finita* esset (ut diximus); nec minus finita altera, ratio scilicet suppositi; si enim realiter cum essentia componit, ideo componit quia essentiam in se non continebat. Atqui e duobus finitis infinitum non fluit. Ergo.

352. — *Prob.* 2. Realem hanc in linea substantiali compositionem alibi plures (varie varii) ideo admittunt, quia cum creata essentia conciliatur indifferentia ut vel sui sit vel alieni iuris possideaturque vel a se vel ab alio (humanitas Christi); neque magis dissonare censent quod dicta potentialitas repleatur seu substantialem accipiat velut terminationem additamento novae positivaeque entitatis (modi substantialis, exsistentiae). Atqui sive id in creata essentia possibile sit sive secus, cum divina quidem non concordat. Ergo talis compositio a Deo amovenda.

Min. ex tota 1ª prob. Porro dicta indifferentia, cum limitationem dicat, *imperfectio* est, enti per essentiam infinito (actui puro) contradicens.

353. — *Coroll.* Ergo in praedicatione saltem *identica* seu materiali (reali scilicet et de *realiter* identicis) Deus est Deitas, Deus est sua essentia, Deus est divinitas, divinitas est Deus... sub utraque suppositi acceptione (2).

354. — *Pars* 5ª. Nec intra essentiam ipsam actualem Dei datur physica compositio ex *essentia reali* et exsistentia, quae in essentia ut in subiecto physico realiter recipiatur. *Prob.* Tunc enim essentia realis, potentia subiectiva, esset quaedam Dei finita pars, quippe quae perfectione exsistentiae careret; similiter exsistentia esset altera *finita* pars, perfectione realitatis essentiae carens. Atqui duo finita infinitum non conficiunt nec Deus potentialitatem in se permittit. Ergo.

§ II. — *Removentur compositiones metaphysicae. — Deus non componitur:*

355. — 1. *Ex genere et differentia.* Haec compositio inter non *reales* venit primo consideranda, cum difficilius nunc evitetur; immo Nominales (pauci) ipsam in Deo posuerunt ex *ente* aut *substantia* (genere) et *a se* (differentia).

---

(1) In concilio Rhemensi (1148, sub Eug. III) « Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas » (Denz. n. 389 [329]).

(2) Contra Gilbertum. Cfr. Wirceburgenses, T. II, « De Deo Trino », n. 364, Dico III; ubi egregie P. Kilber regulas exponit seu « cautelas nonnullas in praedicationibus circa Trinitatem adhibendas ».

Prob. a) Si in Deo *ens* (vel *substantia*) vere genus, *a se* autem differentia esset, tunc Deus vere conciperetur duabus constans *finitis* rationibus, unde in seipso *finitus* esset. Proprium enim *generis* est, ut differentia *extra* rationem *generis* posita ipsummet contrahat perficiatque; igitur genus (saltem ratio generica), actu eamdem *non continens*, finitae perfectionis est. Character quoque differentiae is est, ut sive generi (saltem rationi genericae) sive differentiis aliis *exclusive* opponatur, quasi ratio neutrius perfectionem in se continens. Ergo rationes generica et differentialis finitae sunt, partes (metaphysicae) finitae. Atqui e duobus finitis infinitum non effluit. Ergo Deus finitus esset. *Nota.* Ideo praecise Deus *extra* et *supra praedicamenta* collocatur; ad ipsa enim trahuntur solum res rationesve essentialiter finitae, exclusive se invicem habentes.

b) Si in definitione « ens a se » ens vere *genus* sonaret, hoc ens *univoce* iam conveniret cum ente definitionis creaturae « ens ab alio » (id proprium *generis* est). Ergo in Deo non minus quam in creatura ens *essentialiter nomen* esset, non *participium; essentialiter* aptum esse, *indifferens* ad esse et non esse, sed non essentialiter actu exsistens. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. Singula vera sunt, suis locis declarata.

356. — 2. *Nec ex quidditate possibili et actuali.* Respectu creaturae sua quidditas possibilis et sua quidditas physica *realiter* quidem distinguuntur (ut metaphysicum a physico), in ente tamen actuali *realiter* minime *componunt.* Videlicet; compositionem realem, quae physicas reclamat partes, ex *possibili* et physico emergere non minus pugnat, quam tenebras realiter cum luce componere, aut negationem cum positione eiusdem rei, paupertatem cum divitiis, etc. Adhuc metaphysice (logice) componunt; mens enim quidditatem quasi *subiectum* concipit, suimet realitate ab alio replendum, eo ferme modo quo pauperem concipit subiectum divitis, cum *realiter* tamen uno veniente aliud *dispareat* nec unquam realiter componant. Atqui de divina quidditate similia cogitare prohibemur, aut si cogitare videamur, ipsemet statim intellectus suam emendare properat conceptionem (prop. XIII). Ergo Deus e quidditate eiusque actualitate ne metaphysice quidem componitur.

357. — *Observa.* Haec distinctio accedit ad aliam, quae supra (sub n. **354**) perpendebatur; at illa *realis* erat (seu physica) *intra actualem* essentiam (si cubi possibilis sit); haec autem *logica* essentiae *possibilis* cum *physica.*

358. — 3. *Nec ex natura et individuatione.* Sensus praecisus. 1) Suppressimus in Deo physicam compositionem *ex natura* et *supposito* (n. **350-353**); quae compositio sub priori saltem suppositi acceptione in creaturis datur (Cfr. ib.). Iam *suppositum* passim sonat idem ac *individuum;* voces tunc pro toto sumuntur concreto, v. g. pro homine hoc (Petro), prout Petrus dicit et naturam et haecceitatem naturae, *rationem* quoque *suppositi*, immo accidentia *huic substantiae* personaliter subsistenti realiter addita.

Nunc autem consideratio ducitur tota ad *ordinem substantialem* mere talem, (omissa vel ipsa suppositalitate); quaestio est quasi intra Petrum de essentia *et hac* essentia; seu de humanitate et de *hac* humanitate; hoc solo sensu de *natura* et *individuatione*, de *constitutivis huius* substantiae singularis qua singularis, seclusis (ut diximus) non accidentibus solum sed ipso supposito (suppositalitate); verbo: quasi de *essentia humana* Christi. 2) Iam quod talis individuatio a natura absolute sumpta (in eodem individuo Petro)

realiter non distinguatur ostendimus alibi contra paucos (1); rationis tamen distinctionem minime exclusimus, haec immo in creatura datur. In Socrate, etiam mere substantialiter sumpto (ut supra) *aliud* est *natura* (humanitas), aliud *haec natura* (haec humanitas). Si enim « *per id* esset homo, *per quod* est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines » (1 p., 11, 3). Unde natura seu humanitas in Socrate non solum distinguitur *realiter* a supposito cum *accidentibus*, sed insuper distinguitur ratione ab *individuatione* sua mere *substantiali* cum ipsaque *metaphysice componit.*

Hanc a Deo amovemus compositionem.

359. — *Prob.* Quidditas Dei per seipsam *formaliter* dicit esse sui, seu dicit se actualem (prop. XIII). Atqui quod per seipsum formaliter dicit esse, dicit etiam formaliter singulare, cum exsistere singularium sit. Ergo singularitas (individuatio) pro Deo non est aliud ab essentia; consequenter nec ullam cum ea facit compositionem.

Nota 1. Sufficiat pro nunc naturam cum *individuatione* formaliter identificasse, non adhuc cum unica individuatione; haec in thesi de unitate (unicitate) Dei obtinebitur. Tunc sane termini comparationis (formalis identificationis) non tam « natura » et « individuatio » quam « singulare » et « hoc unicum singulare » erunt, efformato per prius universali circa notam « singulare ». Utrum autem ex praesenti solutione etiam illa (unicitas) fluat perpenditur ibidem (nn. **546**, **547**).

360. — *Nota* 2. Rationes eaedem, quae physicas a Deo amovebant compositiones ex natura et supposito, ex essentia reali et exsistentia (Cfr. § 1), etiam *metaphysicas* prohibent. Hinc non in *identica* solum praedicatione sed in *formali* quoque ac *per se:* Deus est deitas, est sua essentia, est divinitas; vicissim divinitas est Deus... Quae tamen formalis identificatio non aeque urget ac realis (2).

Nota 3. E suppressione dictarum compositionum in Deo non sequitur absoluta cuiusvis distinctionis suppressio; distinctio enim rationis minor, quam in divinis admittimus (n. **412-416**), nullam secum compositionem infert (Cfr. n. **415**).

361. — *Obi. I.* Deus est cumulus omnium perfectionum. Atqui ubi multitudo, ibi compositio. Ergo Deus est realiter compositus.

R. D. M. per modum *unius*, *C.* per modum plurium, *N. M.* — *Ctr. m.* Si est per modum formalis multitudinis, *C.* si per modum *unius*, multitudini aequipol-

---

(1) Cum nonnullis veteribus inter recentes vix nisi unus *De Maria* realem tenet (Metaph. Gener., tr. 2, q. 3, a. 4): « Tuemur essentiam *materialem* in sua *quidditativa realitate*... non esse numerice distinctam..., sed hoc ipsi competere per aliquid superadditum..., ex quo mutuatur ut a reliquis... discriminetur numerice ». Aquinatem appellant: *a*) Ipse *De Maria* « Ius fasque non est de sententia S. Thomae addubitare » (*l. c.* initio); *b*) Post Capreolum *Caietanus*, insistenter et quasi sub plena evidentia (1° In commentariis ad « De Ente et Essentia », c. 5, q. 8. « In substantiis quidem... ». 2° Ibidem in prooemio sic: « Apud S. Thomam in 1 p., q. 3, a. 3, in rebus materialibus natura et singularitas distinguuntur realiter »); *c*) Etiam *Toledo* et *Wulf*, quin illam amplectantur, censent tamen hanc fuisse Aquinatis mentem (*Toledo* in 1 p., q. 3, dubio 3). — *Wulf* Mauritius in sua « Hist. Philos. Aevi Medii », n. 287, ubi sic: « Pour *S. Thomas*, les concepts de l'essence spécifique et de l'essence individuelle répondent à des *réalités* constitutives différentes de la chose. D'autres ne voient dans cette diversité que des distinctions de *pure raison ;* Duns Scot introduit en cette matière une *distinctio formalis a parte rei* ».

(2) Videlicet; quamvis ratione distinguerentur, adhuc veritas propositionis « Deus est Deitas » et similium (contra Porretanum in sensu *reali*) consisteret, nec destructa fuisset. « Sola enim distinctio *rationis* non falsificat illam propositionem [homo est humanitas]; nam etiam falsificaret « Deus est deitas » (Toledo, I, 9, 3, a. 3; dubio 3, versus finem, p. 77).

lentis, *N. m.* — *N. c.* Deus non est *cumulus*, sed est unica tam sublimis perfectio, quae *aequivalet* cumulo, seu his, quae alibi ad modum cumuli exsistere possint.

362. — *Obi. II* (Inst.). Nequit per modum *unius*. — Una enim perfectio cum alia pugnat; intellectio cum volitione, iustitia cum misericordia. Atqui ea, quae a proprio constitutivo invicem sese excludunt, in unum non coalescunt. Ergo non per modum unius.

R. D. M. Id tenet de perfectione *qua creata, seu qua limitibus* propriae lineae *clausa*, *C.* De perfectione *ut sic*, de ipsa imparticipata, *N. M.* — *Ctr. m.* Si adsint in forma pugnae, *C.* Si in alia, *N. m.* — *N. c.* Declaratio in tractatu de distinctione attributorum (Cfr. nn. **417, 418**).

363. — *Obi. III.* Quod in uno *accidens* est, in alio substantia esse nequit. Atqui intellectio, sapientia... in creaturis accidentia sunt. Ergo et in Deo.

R. D. M. Si illud utrobique *univocum* ac praedicamentale est, *C.* Si *analogum* atque in uno praedicamentale, in alio suprapraedicamentale, licet eadem utrobique voce expressum, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

364. — *Obi. IV.* Id, sine quo res concipi potest, pro ea re accidens est. Atqui sine sapientia Deus concipi potest. Ergo in Deo dantur accidentia.

R. D. M. Si adaequate essentialiter concipi sine eo potest, *C.* Si nonnisi inadaequate essentialiter, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* (Cfr. n. **417**).

365. — *Obi. V.* In quolibet genere datur aliquod *primum*, ad quod cetera huius ordinis ut ad principium trahuntur. Atqui id in genere substantiae *divina substantia* est. Ergo in genere accidentis *accidens* erit *divinum;* secus enim pro tot accidentium generibus «erunt multa prima extra Deum, quod est inconveniens» (1 p., q. 3, a. 6).

R. D. M. In ordine *logico*, *C.* In *physico*, *Sd.* quod *univoce* conveniat cumque ordinibus physice multiplicetur, *N.* quod in sua unica aequivoca entitate fons esse possit singulis ordinibus, *C. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Erit quid divinum pro ordine *logico* proximo, *N.* Pro physico, *Sd.* aut univocum et accidens aut aequivocum et substantia, *C.* praecise primum, *N. c.* — *Dist. par. rat.* Erunt multa prima *logice* extra Deum (praedicamenta capita), *C.* physica, *N.* — *Ctr. m.* Inconveniens de primo, *N.* de secundo, *C. m.* — *N. c.*

366. — *Obi. VI.* Deus habet praedicata *superiora:* est vivens, spiritus, substantia. Atqui tale ens componitur saltem metaphysice. Ergo Deus non est omnino simplex.

R. D. M. Proprie talia, i. e. univoca quae in arbore collocantur, *N.* Improprie et analogica in prima nota entis contenta, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* Igitur praedicata *superiora* proprie dicuntur *univoca* arboris, quae per veras *differentias* determinata, cum his metaphysice componunt. Deus autem his caret.

367. — *Obi. VII.* Deus a reliquis differt. Atqui differre significat convenire in genere et disconvenire per differentias in *specie*. Ergo Deus constat genere et differentia.

R. D. M. Differt *rigore* vocabuli, *N.* i. e. vere realiterque a ceteris distinguitur, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

368. — *Obi. VIII.* Ens simplicissimum de *omnibus* praedicatur. Atqui Deus non de omnibus praedicatur. Ergo non est simplex.

R. D. M. Simplicissimum et *abstractissimum*, *C.* et *realissimum*, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* — Patet.

369. — *Obi. IX.* A Deo ut a causa diversi procedunt effectus. Atqui ab uno simplici diversa procedere nequeunt. Ergo Deus non est simplex.

R. D. M. Ut a causa univoca, necessario agente, totaliter sese dante, *N.* Ut ab aequivoca libere aliquid dante, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* Deus per simplicem sui realitatem causa *efficiens* est libera, exemplaris quoque sed secundum exemplaritatem *eminentem*, respectu nullius effectus secundum *formalem*.

370. — *Obi. X.* De ente simplici, si quid innotescit, innotescit *totum.* Atqui de Deo aliquid novimus, quin *totum* noverimus. Ergo non est simplex.

R. D. M. Totum utcumque, *C.* Perfecte, quidditative, totaliter, *Sd.* Si illud aliquid proditur quidditative et comprehensive, *C.* Si solum abstractive imperfecte et analogice, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Propositio XVIII. **Nec divinae obstant simplicitati relationes Dei ad creaturas, quae ex parte Dei non reales sed rationis sunt.**

371. — *Praenota. St. q.* 1. *In genere*, Sermo est de relationibus Dei ad *extra* seu ad creaturas; de his quaeritur utrum aliquid Deo afferant, quod cum divina substantia componat, aut saltem utrum ex parte Dei reales dicendae sint.

Supponimus (e Met. Gen.) notiones, partitiones, discussiones circa relationem. Relatio *creaturae* ad Deum *realis* est immo transcendentalis seu essentialis (necessaria), cum sit habitudo *effectus realis* ad causam realem, a qua *realiter* dependet. Hinc fere tentamur ut Deum quoque, licet suavius, i. e. licet relatione solum praedicamentali (ideoque contingenti), adhuc *realiter* ad res a se factas *relatum* ponamus; at inversio atque mutuationis aequalitas ne in aliis quidem cogens semper est; v. g. nostra cognitio (verbum aut saltem cum verbo) dicit *realem* relationem essentialem (transcendentalem) *ad obiectum* cognitum, ut omnis imago realis ad rem imaginis; attamen obiectum e sua parte nullam *realem* dicit *ad actum* cognitivum; sine ipso enim plene perfecteque in suo esse consistit, nec ab illo in esse dependet. Nunc igitur *aliquam Dei* ad creaturas *relationem* concedentes, dicimus nihil per ipsam divinae detrahi simplicitati, immo rationis tantum esse.

372. — 2. *Determinatius.* Relationes *reales* in Deo non aeque facile vitantur omnes. Profecto inter nomina relationum Dei: *a*) quaedam *absolute necessaria* Deumque ab aeterno signantia respectum proferunt *naturalem* Deoque *absolute* convenientem, v. g. Sapientia, Potentia...; *b*) alia simpliciter *contingentia liberum* dicunt respectum, in Deo absolute defectibilem; ex his α) nonnulla Deum ab aeterno denominant, v. g. *volitio mundi*, scientia *visionis* circa creaturas, *praedestinatio...*, nec enim actualem requirunt exsistentiam mundi sed actuale *decretum;* β) alia vero, v. g. Creator, Gubernator, Dominus... Deum denominare in tempore incipiunt, eo quod actualem vindicent *coëxsistentiam* termini, mundi scilicet in tempore nascentis.

Iam per nomina *absolute necessaria* perque contingentia *aeterna reales* non pronuntiari relationes liquet, rem enim significant in se *absolutam*, licet *a nobis* relative expressam; unde relatio erit solum *secundum dici.* Tota igitur cum Durando (cum Nominalibus) dissensio supra *contingentia temporanea Creatoris...* Domini, etc. versatur. *a*) His sane nominibus (aiunt) *reales* substant relationes, quae tamen, licet Deo in tempore accedant, *intrinsecam* ei *additionem* inferunt nullam, nec veram a rebus dependentiam, sed meram Creatoris, Domini... denominationem. Igitur Deus, *absolute* semper *idem*, e momento tamen creationis iam Creator incipit referri *realiter* ad reale, reali scilicet vinculo causae ad effectum, nunc primum nato. *b*) Communius tamen denominationes *reales* Creatoris, Domini..., in tempore Deo advenientes, explicari consueverunt, quin Deo adiungatur relatio *realis*, sic: Mundo nascente, relatio nascitur *mixta*, in creatura realis, in Deo *rationis;* est *non*

mutua, est una ex his, de quibus Aristoteles: quaedam dicuntur relative, quia *alia* referuntur *ad ipsa* (quaedam vero, quia habent in se unde *ipsa* referantur ad aliud).

373. — *Observa.* In hypothesi Durandi *immutabilitatem* Dei in discrimen adduci censent plures. Quid de hoc? *a*) Ita quidem, si *realis* relatio (in genere) *novam* subiecto entitatem afferret. *b*) Sed cum id bene excludatur (Cfr. Metaph. Gen.), ex hoc capite nostra sententia non adeo urgeret; profecto pro Soncina, Hervaeo aliisque thomistis relatio dominii ad creaturas *realis in Deo* est; eius tamen nascentiam sine ulla Deo superaddita realitate etiam mere relativa explicant ex sola extrinseci positione. *c*) Omni modo, relationes in quaestione sive e capite *dependentiae*, sive ex *usu* theologorum, sive etiam ex *reverentia* in Aristotelem (cui hoc exemplum pro una relativorum classe concedatur), dicendae sunt *rationis*.

374. — *Prob.* 1. Deus ad creaturas *realiter* referretur vel secundum reale *accidens* et *contingenter*, ut Petrus albus ad murum album, vel secundum *substantiam* suam et necessario, ut filius ad patrem. Atqui neutro modo. Ergo solum *ratione*.

Min. 1ª *pars.* Deus caret internis accidentibus sive necessariis sive contingentibus.

Min. 2ª *pars.* Substantia e seipsa ad aliud *essentialiter relata* utque talis exsistens, ab alio intrinsece *penderet* adeo, ut sine alio *nec esse* posset nec *concipi* qualis nunc ex hypothesi est et concipitur; id secum fert ens vere *relativum*. Atqui Deum in intrinseco τοῦ esse sui modo ab extrinsecis *realiter* pendere dedecet; stricta esset *indigentia* extrinseci. Ergo divina substantia realiter ad aliud e se non refertur.

In his dari relationes *rationis*, patet; noster enim intellectus Deum concipit cum creaturis connexum in creatione, gubernatione, dominio supra ipsas... Atqui connexio et habitudo non est *realis*. Ergo erit *rationis* (2º c. G., c. 12).

375. — *Prob.* 2. 1º *Praeambulum argumenti.* Ex analysi diversitatis relationum (ap. S. Th. De Pot., q. 7, a. 10 et 11): *a*) Relationes reales *quantitatem* sequentes ubique mutuae sunt; extrema enim tunc inveniuntur in *uno eodemque* ordine quantitatis, quantitas nempe *abstracte una est;* in quo *uno* ordine, extrema *mutuo* se invicem referunt, ut aequale aequali, ut magnum parvo, ut totum et pars; habent enim respectum *mensurae* et mensurati. *b*) Reales autem, *actionem* et *passionem* sequentes, causam et effectum (ad has pertinet relatio in *quaestione*), quandoque mutuae sunt quandoque *non mutuae* (relatio effectus ad causam *realis*, causae ad effectum rationis): α) *Mutuae*, quoties effectus ex *communitate ordinis* cum causa, ad *huius* quoque bonum est, ut in agentibus univocis; equus generatus bonum est etiam pro causa, *perpetuatio enim speciei* in effectu pro utroque est generatione nascens, ut etiam *symmetria* pulchritudinis... Immo *generalius* utilitas (bonum), in causam profluens, ex hoc iam elucet, quod effectus explet appetitum agendi, qui in causa exsistit, ideoque causa tunc in *uno* ordine ad effectum *ordinatur*. β) *Non mutuae*, quando unum extremorum extrinsecus se habet respectu operationis (ad quam sequitur relatio); tunc enim ab alio extremo perfici nequit v. g. inter scientem et scibile; inter hominem eiusque photographiam vel imaginem statuam (operatione artificiali obtentam).

376. — 2º *Probatio.* Relatio τοῦ *scibilis* (scientiam causantis) *ad ipsam scientiam* ideo *rationis* solum est, quia licet scientia ordinis *spiritualis* ad scibile perficiens *realiter* referatur, scibile autem ipsum v. g. *corpus alio ordine* positum ad nihil intentionale refertur, cum ab eo *perfici* non possit. Atqui Deus, in ordine sistens *imparticipati et a se*, perfici a rebus minus adhuc potest, neque cum his (infinite alienis) commune habet bonum societatis, symmetriae... Ergo posita creatione, ad quam sequitur *relatio*, Deus ipse *relatus ad res* non redditur, ideoque realis relatio non est *mutua.*

Sed Deus, ais, *reipsa* iam nunc *Creator* est, necnon Dominus, Sciens et amans creaturas. Ergo nunc realiter ad res refertur.

Resp. Realiter quidem Creator... est, etsi nullus de his cogitet *intellectus* (notat Aquinas). Horum adhuc realitas titulorum bifariam intellegi potest: 1º Ut *reales* sint *etiam qua relativi*, tunc pro Deo *extrinsecas* sonant denominationes; etenim hae, licet in divina fundentur operatione, creaturas in quibus recipitur ad Deum realiter referente, ideoque licet Deum realiter Creatorem nominent, adhuc entitati Dei *extrinsecus* cadunt. 2º Ut sint *reales qua non relativi*, i. e. etiam qua mere significantes *potestatem* Dei, ius et dominium supra creaturas; tunc quia repraesentant *intrinsecam* Deo formam quasi absolutam, denominationes sunt *realitatis* Dei, sed non *relativitatis realis;* quod autem vel qua tales adhuc ut relativi a nobis concipiantur tituli, debetur intellectui, qui formas etiam absolutas per actualem ad effectus suos ordinem melius intellegit.

377. — *Scholion I. Methodus S. Thomae.* Hanc rem evincit Aquinas ex *dependentia* potius, quam ex *mutatione* (quam realis relatio Deo afferret); quia iuxta ipsum relatio realis a subiecto sine reali eiusdem mutatione recedere potest, unde et *supervenire* ipsimet sine mutatione poterit. « Relatio... aliud habet in quantum est accidens, et aliud in quantum est *relatio* vel ordo; in quantum est accidens, habet quod sit *in subiecto, non autem* in quantum est *relatio* vel ordo, sed *solum* quod ad aliud sit quasi in aliud transiens, et quodammodo *rei relatae* assistens... Et ideo nihil prohibet quod *esse desinat* huiusmodi accidens sine *mutatione* eius in quo est: quia sua ratio non perficitur *prout est in* ipso subiecto sed prout transit *in aliud;* quo sublato, ratio huius accidentis *tollitur* quidem quantum ad *actum*, sed manet quantum ad *causam;* sicut et substracta materia (ligno...) *tollitur calefactio*, licet maneat calefactionis *causa* (sol...) » (Pot., q. 7, a. 9, 7) (1). Videlicet in relatione duplex distinguendum esse: *esse in* et *esse ad. Esse in* est accidens *absolutum*, aut substantia, *fundamentum* relationis, v. g. albedo, humanitas...; *esse ad* est accidens *relatio*, habitudo albi *ad* album. De hoc *esse ad* dicit posse *desinere esse* in subiecto (in albo) quin hoc *mutetur;* quod significat relationem qua talem *nihil entitatis addere subiecto*, secus enim ipsa recedente subiectum amitteret aliquid ideoque *mutaretur.* Quibus ad Deum translatis, licet admitteretur Deum ad creaturas realiter referri, adhuc ex accessu realis relationis Deum *mutari* non sequeretur. Unde S. Doctor reales has relationes ex capite potius *dependentiae* abicit.

378. — *Scholion II. De relationibus Dei ad intra.* De Trinitate unum novisse iuvabit: mysterium divinae simplicitati non opponi. Compositio enim, cum sit unio distinctorum, exigit *duo: distincta* et *unionem.* Iam *a*) Personae in Trinitate *consubstantiales* etiam numerice sunt, seu indistinctae in natura, quia *una* sunt nu-

(1) Cum relatio secundum *formalem sui rationem* seu essentiam consistat in esse *ad*, est enim praedicamentum *ad aliquid* (Arist.), ideoque proprie et formaliter non sit *in*, intellegitur subiectum ex recessione relationis *formalis* non *in se immutari*, quia illam *non in se* habebat. « In relatione sunt duo, scilicet: *relationis respectus*, quo ad *alterum* fertur, *in quo consistit relationis ratio;* et iterum ipsum esse relationis, quod habet *secundum quod* in aliqua re *fundatur*, vel quantitate, vel essentia, vel aliquo huiusmodi... » (1º Dist. 33, q. 1, a. 1). Secundum igitur esse, quod habet, non est formale *suum*, sed solum *fundamentale.*

merice natura; hinc qua in unum uniuntur (in una natura), *non* sunt *distinctae*, sed identica absoluta entitas. *b*) Personae ipsae seu Relationes *realiter* quidem una ab alia distinguuntur; at qua Personae non *uniuntur*, sed opponuntur ad intra, ubi *tres* manent relativae res nec unum relativum ex iisdem fit (1). Igitur tres Personae, ex qua parte distinguuntur, non uniuntur; ex qua parte uniuntur, non distinguuntur. *c*) Nec una Persona cum essentia componit, a qua solum *ratione* differt; unde ex capite Personarum *realis* in Deo compositio nulla adest. Immo ne logica quidem naturam inter et Personas admittitur, cum has essentia tam essentialiter dicat, ut qui ex fide essentiam adaequate perciperet, in eadem et Personas ut quid ad essentiam formaliter pertinens videret; ideoque nec compositio in his nec distinctio perfecte praecisiva adest. Profecto vel auctores hi, qui relationes extra formalem ponunt essentiam, easdem ab essentia imperfecte praecisive distinctas volunt sine ulla proprie dicta *compositione*.

Articulus IV.

De ipsa reali essentia Dei formaliter tali

Propositio XIX. **In Deo essentia realis vere et formaliter dici meretur ipsum esse per se subsistens.**

379. — *Praenotanda* I. *Notiones.* 1. *Essentia* in genere dicitur ac est « id, quo res est id quod est, et non est aliud »: vel explicatius: est id, ex quo insito intra rem res in primo sui esse constituitur, quo ab aliis rebus primo discernitur, e quo ut e fonte primaque radice proprietates nascuntur. Proprium igitur essentiae est, ut ex ipsa reliquum entis fluat aut attributa aut utcumque accidentia, sive haec *reipsa* adsint, sive solum adesse in re *concipiantur*.

Essentia realis (contra *mere possibilem*) in genere rursum illa est, quae reipsa datur, essentia scilicet alicuius rei actu exsistentis; si enim res exsistit, eius quoque essentia exsistit seu datur. Atqui Deus exsistit, datur; ergo et eius essentia datur, exsistit; haec est *realis* essentia Dei.

Observa. Quatenus *reale* et *physicum* passim ut synonyma sumuntur, realis Dei essentia erit physica; sed cum physica in essentiarum classificatione aliud intendere soleat, melius quam physica dicetur *realis*. Videlicet:

380. — 2. Essentia *realis* vel physica est vel metaphysica. *Physica* prout *physicis* constans realiterque distinctis partibus, v. g. essentia hominis, prout ex anima constans et corpore; *metaphysica* autem prout partibus constituta solum ratione distinctis, v. g. eadem hominis essentia prout animalitate constans et rationalitate. Partes priores physicae, posteriores metaphysicae nuncupantur seu logicae. Cum realis essentia Dei neutras offerat, hoc ordinario sensu nec *physica* est nec *metaphysica;* utrumque autem est in sensu *realitatis;* si omne scilicet reale appellemus physicum, essentia Dei, quoniam realis est, etiam erit *physica;* ob suam deinde *incorporeitatem* merito meta-

---

(1) Sunt *tres res* relativae, personales, notionales;
tres entitates relativae, personales, notionales;
tres perfectiones relativae, personales, notionales;
tres veritates relativae, personales, notionales.
Quandoque dicuntur ab Aug., Anselm. et aliis *tres res;* a Nazian., Aug. et Greg. *tria quaedam;* a Boët. *tres unitates;* a Basil., Damasc., Cyrill. Alex. tria perfecta...; alias autem iidem dicunt in Deo dari *unam rem*, unum ens, unum perfectum, unum bonum, unum verum...; sub respectu scilicet diverso; numerus enim *singularis* afficit *essentiam* et *attributa; pluralis* autem *personas*.

physica dicetur. Omni modo *realis* est Deumque realiter constituens; qua talis nunc consideratur.

381. — II. *St. q.* Ad quaestionem quid in Deo *realiter* essentia sit, respondemus: *in re* vere et *formaliter* essentia Dei est *ipsum esse per se subsistens;* cumque duplex in formula sensus innuatur quasi duobus respondens quaesitis *quid in se sit*, quid a nobis *concipiatur esse*, utroque sensu arbitramur formulam valere. *Declaratur. a*) *De sensu reali.* Per « ipsum esse » vel « ipsum esse per se subsistens » exprimimus (aiunt multi) essentiam Dei « spectato nostro concipiendi modo », seu id, quod *nos* ad modum essentiae in Deo *concipimus;* in essentia enim realiter sumpta, cum in se una sit simplicissima forma (actus) nec ab ea quidpiam emanet, accipere non datur aliud et aliud, i. e. *essentiam* et *proprietates* ab ipsa dimanantes. *Respondeo* inde praecise etiam *realem* sensum sequi. Porro dicta *forma*, totaliter essentia, in se est vereque dici meretur esse « ipsum esse per se subsistens », neque pro fine aptior invenietur formula; per hanc enim *tota* ut in se est essentia exprimitur. Neque exactum censemus essentiam, qualis in se est tota, *cumulum* dicere omnium perfectionum (ut alii loquuntur) seu praeter *essentiam* etiam *attributa* dicere; attributa enim *realiter* in ea essentia non dantur (per se patet. Cfr. n. **348**); igitur nec ab ipsa *realiter* dicuntur. Atque ideo solum verificari potest eorumdem affirmatio « essentia Dei *totaliter* consistit in ipso esse » (1). Igitur in Deo essentia realis, qualis *in se est* etiam tota, hoc ipso quod in se « una ac simplicissima forma » est, *sensu reali* optime dicetur « ipsum esse per se subsistens ».

b) Simul etiam *sensu formali* nostroque concipiendi modo. Etenim ex « ipso esse », ex hac in se simplicissima forma, sed ditissima, sed diversas perfectionum *lineas* eminenter realiter *unificante*, nos pro nostro *concipiendi modo* eruimus proprietates, derivamus attributa in diversis lineis; quae attributa diversaeque lineae in essentia reali realiter *non dantur*, ut dictum est.

Igitur formula pro utraque essentiae acceptione (reali scilicet ac formali) iusta videtur.

De sensu totius enuntiati, et primum de totali significatione formulae.

382. — 1) « Ipsum esse per se subsistens » idem est ac « ipsum esse *substantiale* », seu idem ac τό *esse per se* stans, vel etiam ipsum esse per se stans, per se exsistens; non exsistens aut subsistens in altero. Unde dicit duo: *a*) *ipsum esse; b*) *per se subsistens.*

a) *Ipsum esse* idem est ac τό *esse*, idem ac ipsa realitas; videlicet: non sive realitas sive esse lineae huius vel alterius, sed realitas ipsa, esse ipsum sine addito; immo quamvis, *infinitate* Dei demonstrata, affirmare iam liceret τό esse illud sive radicaliter sive formaliter infinitum esse, melius ab utroque nunc praescinditur, ne essentia ipsa characterem assumat *attributalem*, vel saltem ne essentia accipiatur cum expressa derivatione, quam τό esse formaliter adhuc non dicit; seu: « ipsum esse » de facto (ut ostendimus) *est* quidem pelagus, est plenitudo τοῦ entis et τοῦ esse, sicut qui esset « ipsa humanitas » esset reipsa plenitudo et totalitas humanitatis seu humanae

(1) Sic De San, « De Deo Uno », n. 44.

perfectionis, attamen τό esse, prout *essentia* est sive in se sive in conceptu, hanc formalitatem explicitam *tacere* tenetur. Unde « τό esse », « ipsum esse », opponi nunc debet τῶ esse *tali*, *quali*, in una linea generis aut speciei circumscripto, immo τῶ esse ultra-praedicamentali quidem et infinitato sed in *una* perfectionis linea (v. g. sapientiae, vel humanitatis) collocato. « Ipsa humanitas » opponitur circumscriptioni primae, i. e. opponitur perfectioni *talis*, *qualis* individui humani; non autem opponitur circumscriptioni alteri, quia clausa est *intra lineam* humanitatis, quae est *una*, ab aliis lineis *distincta et diversa*.

Censemus per τό esse sic sumptum essentiam Dei iuste plenoque rigore significari sive *realiter* sive *formaliter*.

b) *Per se subsistens* idem est ac *substantiale* et in se subsistens; opponitur tunc *accidentali*, seu τῶ inhaerenti, aut utcumque in altero exsistenti, quasi insistens in eo quod totum *in se* et *pro se* exsistat suique sit *iuris*. « Substantia dicitur *subsistere* quasi *per se* et non in alio exsistens... Sic substantia... in quantum subsistit, dicitur... *subsistentia* » (De Pot., q. 9, a. 1, c). « Quando compositum ex materia et forma est *per se subsistens*, acquiritur ex forma illi composito *esse absolutum per se* » (3º Dist. 6, 2, 1).

383. — 2) *Ipsum esse per se subsistens* etiam paulo aliter sumi potest; reincidet tamen in idem sub 1) expositum. Nempe « per se subsistens » significare posset « subsistens in *ipso esse* » quasi universim excludens τό « subsistens in alio etiam substantiali », nominatim autem excludens: *a*) τό subsistens in gradu et linea perfectionis *specificae*, v. g. in natura humana, angelica; quod iam per « ipsum esse » excludebatur (ut vidimus); unde et prima formulae pars apparet principalior quam altera; *b*) τό subsistens ac susceptum in *aliquo individuo* vel supposito, utcumque ab « ipso esse » distincto, fere ut humanitas (ait S. Thomas) suscipitur in individuo (1); sic « ipsum esse », quia non universale sed singulare est, in natura (sub sua specie) individua suscipi nequit; cum praeterea sive realiter sive formaliter cum essentia Dei Deoque identificetur (prop. XIII, et formulae), ideo nec in *individuo Deo* nec in *essentia Dei* ullatenus suscipitur; unde etiam hoc sensu « ipsum esse » est per se subsistens seu in *semetipso subsistens*.

384. — 3) Tandem τό esse dicimus esse realem essentiam *vere et formaliter*. « *Vere* », i. e. stricte in toto rigore, quasi diceremus: τό esse verificat in Deo quaecumque essentiae alicui exigi possunt; in Deo et pro Deo eadem adimplet officia, quae animal rationale vel compositum ex materia et forma in homine et pro homine Petro.

« *Formaliter* »; *a*) et quidem officia adimplet non utcumque, sed *vi sui* seu in his et ex his, quae in esse, in *ipso esse*, explicite formaliterque continentur, dicuntur. *b*) *Formaliter*, i. e. opus est ut id *totum* et id *solum*, quod τό esse dicit (nec magis nec minus), dicatur essentia Dei *formaliter; materialiter* enim etiam ens absolute *infinitum*, ens omniperfectum, ens summe intellectivum dici possent (sunt enim de facto) *essentia* Dei, sed minus vere et *formaliter;* infinitum enim cum reliquis nimia iam dicunt explicitata, clare derivata seu *derivative* significata, non tam pure entitatem, quae omnium *fons* sit et *radix*, sicut dicit « ipsum esse ».

---

(1) « Quia vero natura materialis vel forma (humanitas) non est suum esse, recipit esse per hoc quod *in alio suscipitur;* unde secundum quod in diversis est, de necessitate habet diversum esse; unde humanitas non est una in Socrate et Platone secundum esse, quamvis sit una secundum propriam rationem » (De Pot., q. 2, a. 1, c).

385. — 4) *Adversarii.* Cum tot exstent modi quaestionem de essentia Dei instituendi, nec omnes in uno videantur collocari statu quaestionis, ut lites de verbo vitaremus, thesim de essentia *reali* posuimus; sic *dogmatice* fere se habebit; multi potius de essentia quasi *metaphysica* ponunt formulas; etiam quaestioni sic intellectae sufficienter satisfacimus partim in hac, partim in sequenti propositione. Nullo enim sensu, nec reali, nec primatiae in quasi radicatione physica praedicatorum admittimus aut *infinitatem* formalem-radicalem (Scotistae plures) aut *intellectualitatem* (Thomistae passim), aut rationem *boni* (Platonici), imbibita etiam aseitate, mereri ut *essentia Dei* dicatur. Quoad haec polemice se thesis habet.

5) Denique a diversis cogitantibus expressioni « ipsum esse » diversum subnectitur cogitatum: *a*) Ab aliis *exsistentia* pura, ab omni re (ab essentia ac entitate) quasi per suppurationem decerpta. *b*) Ab aliis realitas pura, ipsa *essentia*, entitas pura (1). Nobis perpetuo sonat *secundum*, atque etiam primum, seu *exsistentia pura*, sed aliter intellecta pro esse puro realitatis, ne secus pro genuino Deo figmentum persequi videamur (Cfr. n. **248**).

386. — *Prob.* 1. Deus de facto omniperfectus est necnon infinitus actusque purus, etiam plenitudo τοῦ esse sub una quidem simplici forma. Quae tamen omnia in rigore essentia formaliter non sunt, cum a priori ex essentia deducantur (de facto deduximus ex propositione XIII suisque corollariis). Unde: in Deo vere formaliterque essentia illud est dicendum, quo 1) Deus in primo sui esse realiter ac positive constituitur id quod est *totus Deus;* 2) e quo ut e positivo fonte primaque ontologica radice eruamus reliqua Dei ut ex implicite continente quidquid explicite per attributales derivationes exprimere solemus. Atqui haec adimplet ipsum *esse*, esse per se subsistens. Ergo realis essentia Dei vere formaliterque est « τό esse, ipsum esse per se subsistens ».

Mai. a) Quod essentia debeat constituere primum esse rei, proprium est *cuiusvis* essentiae realis. *b*) Quod insuper debeat *totum* Deum constituere peculiare est *divinae* essentiae, cum in Deo *tota* realitas *essentialis* sit, *una* realiterque *simplex:* « Quidquid in Deo est, est *sua essentia* » (1º D. 43, 2, 1, 3). Hinc in Deo essentia cum *toto realiter Deo* identificatur nec reales patitur proprietatum derivationes aut attributi *virtualiter* solum in essentia contenti, ut intellectus in anima continetur. Unde realis essentia in Deo talis est assignanda, quae et primum Dei esse et *reliqua Dei* formaliter *implicite* dicat, reliqua scilicet *nobis*, seu quae *nos* derivative quasi additamenta essentiae cogitamus. Profecto essentia Dei, totus Deus, in se una est forma simplexque, *unius* quasi *coloris* entitativi, qui est *esse*, qui est *entitas;* per hoc essentia in se consumitur tota, totus Deus. Sed cum tam uniforme esse formas divinae sapientiae, substantiae, etc. *diversas*, a nobis separatim (lineis separatis) apprehensas, coniunctim tamen in *uniformi esse* subsistentes, *explicitas* nobis statim non referat, hinc in Deo essentia id dicendum, e quo reliqua Dei explicitata ut e primo fonte eruamus.

Min. 1) Praecise enim, quia est *ipsum esse* non autem esse *huius lineae*, continet totum id, quo Deus constat, esse totum imparticipatum.

2) Exinde rursum quia est τό esse, formaliter (implicite) sine alio est

---

(1) Quaedam videlicet essentia realis actualis, extra supraque omnes generum specierumve essentias elevata, omnes eminenter continens. Cui essentiae, cui τῷ esse, applica illa Augustini de Bono: « Bonum omnis boni... Quid hoc nisi Deus est? Non bonus *animus*, aut bonus *angelus*, aut bonum *caelum*, sed bonum *Bonum* » (De Trin. L. 8, c. 3, n. 4). Cfr. infra n. **608**.

in se etiam plenitudo τοῦ esse, est pelagus entis et esse, i. e. absolute infinitus, actus purus, simplex...; igitur « ipsum esse » est primus positivus *fons* omnium *pro nobis* derivatorum. Per id sane singula a priori demonstravimus seu *explicitata* nobis obtinuimus, alia quoque obtinebimus. Ergo τό esse (ipsum esse) tale est, ut ex eo attributalia Dei (plus minus proprie attributa) explicitata derivemus.

387. — *Prob.* 2. Essentia rei illud universim dicitur, quod velut figurate circumscribit *modum* atque *mensuram* participationis de esse ab ea re possessam. *Atqui* Deus de esse participat (ut ita dicamus) modis mensurisque sine mensura, incircumscripte; et hanc praecise incircumscriptionem profert τό *esse*, hoc ipso formaliter quod dicit ipsum esse sine specificis lineis τό esse finitantibus. *Ergo* essentia Dei vere et formaliter est dicique meretur ipsum esse subsistens.

Ad mai. Essentia hominis (*humanitas*) dicit modum ac mensuram, qua homo de esse participat, in mensura scilicet τοῦ *esse humani* (non angelici praeterea...) seu iuxta *hanc partem* quasi decerptam a *toto esse*, in quo et aliae remanent partes.

388. — *Corollarium.* Ergo *essentia Dei a* nobis est concipienda sub nota *universam cuiusvis* lineae perfectionem includente, sub nota inquam nobis derivative inferente pelagus substantiae infinitae (S. Th.); hinc optime per *ipsum esse* exhibetur. Quod si aliter puta per *intellegibilitatem* (*utut* infinitatam sub aseitatis imbibitione ideoque puram) exprimatur, *una* perfectionis linea exprimetur non *omnes* universaliter, ut oportet. Ob suam praecise *universalitatem* necnon proprietatem, hoc Dei nomen « qui est » ab Aquinate laudatur: « Intellectus noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere in statu viae *secundum quod in se est;* sed *quemcumque modum* determinet circa id, quod de Deo intellegit, *deficit* a modo quo Deus in se est. Et ideo quanto aliqua nomina sunt *minus determinata* et magis communia et absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo a nobis... sed hoc nomen « *qui est* » nullum *modum* essendi determinat, sed se habet *indeterminate ad omnes.* Et ideo nominat ipsum pelagus essentiae infinitum » (1 p., q. 13, a. 11, c).

389. — *Observa.* « Esse » et « qui est » dicuntur *commune* et *indeterminatum*, aliter tamen ac ens ut *sic*, i. e. non ut *esse potentiale* indeterminatum, vacuum, impersonale, transcendentaliter omnibus commune, in quo pantheistae reponunt essentiam Dei. *Esse* Dei est plenitudo τοῦ esse, cui additio fieri *nequit;* eius indeterminatio se tenet ex parte *actus;* tamque plene totum actu dicens nullam actus *classem* aut speciem determinat. Ceterum esse hoc *singularissimum* est Deoque soli conveniens; quibus opposita tenent de *ente ut sic.*

390. — *Obi. 1.* Essentia Dei dici non debet id, quod *totum Dei esse actu* continet; permittere enim tenetur *derivationes* attributorum ex *essentia.* Atqui *ipsum esse* est *plenitudo* τοῦ esse, est simpliciter infinitum, totumque actu continens esse, non excepto esse *attributorum.* Ergo realis essentia Dei non est ipsum esse subsistens.

R. D. M. Quod totum Dei esse actu *realiter* et *formaliter vere* contineat, *N.* (immo essentia debet totum sic continere); quod etiam cumulum contineat perfectionum a nobis plurificatarum, pro singulis lineis divisarum, in derivationibus derivatarum, *Sd.* Quod explicite singula contineat, *C.* Quod implicite, *N. M.* — *D. par. rat.* Derivationes reales *in re, N.* Derivationes *pro nobis, Sd.* notarum implicite

iam in essentia contentarum, *C.* Nullatenus in ea contentarum, *N. rat.* — *Ctr. m.* « Ipsum esse » *est in se etiam* totum esse ac plenitudo entis, *C.* Est praeterea nobis haec dicens sub formis *attributalibus* inque lineis determinatis, *Sd.* implicite, *C.* explicite, *N. m.* — *N. c.* Cfr. explicationem sensus theseos, necnon thesim 21.

391. — *Obi. II.* Essentia Dei id dici meretur, quod *nobilissimum* in Deo est. Atqui *intellectivum* est omnium, quae in Deo sunt, nobilissimum. Ergo essentia Dei est esse *intellectivum.*

R. D. M. Nobilissimum simulque *constitutivum* genuinae essentiae Dei, sub unica forma universali et quasi incolora, *C.* Nobilissimum sed simul perfectio explicita *unius* determinatae lineae, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* Essentia Dei est perfectio pura tota seu *omnis lineae;* sub *unica* forma, quam apte exprimit *ipsum esse,* non tam bene aut *intellectivum,* aut *omnipotens* et similia, quae perfectionem ad *unam* lineam restringunt.

392. — *Obi. III.* Essentia (metaphysica) exprimere tenetur perfectionem gradus *supremi,* ut in essentia hominis *rationale.* Atqui *ultimum* Dei est esse intellectivum. Ergo hoc dici debet essentia Dei (1).

R. D. M. Essentia, in qua sunt gradus sive inferiores (aliis communes) sive superiores (differentiales), *C.* Essentia, cuius prima ratio est iam *differentialis* ac exclusiva, *N.* vel *Sd.* Tenetur et ipsa dicere realitatem, in qua illud quoque contineatur implicite, *C.* explicite subque signata linea, *N. M.* — *Tr. m.* — *D. par. c.* Debet id essentia Dei dici, *N.* Essentia Dei debet id dicere, *Sd.* Implicite, *C.* explicite, *N.*

Explico. Agimus de essentia *reali formali,* ideoque: *a*) Essentia Dei esse debet *comprehensionis* universalis, i. e. non unius lineae; quod in illis sententiis non servatur. *b*) *Ipsum esse* e seipso iam *ultimo differentiatur* (velut specificatur) sine alio, *reipsa enim* est *ens a se;* unde nec subdivisionibus substat ens a se, ut substat ens ab alio. Hinc aliae essentiae *nova* egent *differentiali* ultima nota, supremam exprimente perfectionem, ex qua rei classificatio sicut et nominatio conficitur.

Nota. Quoties igitur D. Thomas (cum SS. Patribus) ait *essentiam* in Deo idem esse ac *intellegere,* nonnisi negare intendit distinctionem inter utrumque, minime vero rem praesentem solvere.

393. — *Obi. IV.* Homo dicitur imago Dei, ad imaginem Dei, speciatim qua intellectivus (2). Atqui ut imago imitari debet *essentiam* Dei. Ergo essentia Dei est esse intellectivum.

R. D. M. Perfecta ac *substantialis* imago Dei, *N.* Imperfecta nec substantialis, *C. M.* — *Ctr. m.* Ut imago, si perfecta esset ac substantialis, *C.* secus, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Ut obiectio, sic solutio apud Aquinatem: Ad rationem imaginis cuiuscumque sufficit ut imitetur « accidens proprium speciei et praecipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro » (1 p., q. 13, a. 2). *Perfecta* imago utique *naturam* imitatur: « Unde perfecta eius [Dei] imago reperitur in *Filio* suo primogenito, sicut imago regis in filio sibi connaturali; in homine autem sicut in *aliena* natura, sicut imago regis in nummo argenteo » (ib. a. 1, ad 2). — Igitur etsi *intellectivum* Dei sit *proprietas,* adhuc homo qua intellectivus erit Dei imago (imperfecta).

Immo essentia, « *ipsum esse* », sicut *a se esse,* non patiuntur imitationes ullas *essentiales;* quia includunt characterem τοῦ a se esse, oppositi cuilibet esse creaturae.

394. — *Obi. V.* Dei essentia (saltem) realis consistit in *infinitate formali,* seu in *cumulo* omnium perfectionum (simpliciter simplicium); quia *a*) et in se talis est,

---

(1) Cfr. Billuart (*Cursus Theol.* T. 1, diss. 2, a. 1), qui ut etiam Gonet, Ioa. a S. Thoma et Salmant. esse intellectivum pro *actuali* desumit *intellectione.*

(2) *Imago Dei* quandoque dicuntur a S. Thoma sola intellectualia, ut ceteris propinquiora Deo (ex S. Aug.): « Ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius; sic ergo patet, quod *solae intellectuales* creaturae, *proprie* loquendo, sunt ad imaginem Dei » (1 p., q. 93, a. 2, c).

b) et pro nobis plenior sic redditur perfectio Dei, quam per alias formulas. Ergo non est ipsum esse (Cartesiani et Leibn. cum Nominalibus).

R. N. Ant. — Prob. Dist. a) Est in se talis realiter et formaliter ut essentia, *N.* Est in se dans locum *nobis*, ut has formalitates negationis limitum in cumulatione plurium vere *cogitemus*, *Sd.* Ideoque implicite has dicens, *C.* Explicite, *N. b*) Similiter: perfectio sic redditur pro nobis plenior simulque in forma *pura essentiae et formali*, *N.;* in forma *mixta* per derivationem, sic nec *purae* essentiae, *C.*

Explico. Infinitas cogitatur *ut cumulus*, sic pluralitatem involvit; immo ut *negatio* limitum in singulis perfectionibus. Deinde ipsum esse iam totam essentiam constituit, ex qua infinitudo *explicita* et attributalis per posterius derivatur.

Inst. Saltem *infinitum radicale* exprimit melius essentiam Dei (Plures Scotistae).

R. N. — Est quidem essentia in se talis, quae *det* locum huic nostrae *cogitationi*. Sed *a*) In se essentia non expresse quidquam simile dicit, quia infinitas radicalis est opus *mentis* cogitantis rem *relatam* ad limites, etsi hos deinde neget; proin *realiter* et formaliter essentiam sic exprimere non iuvat. *b*) Prius est *ipsum esse*, quam radicale infinitum, quod ontologice ex illo esse derivamus. Tandem « ipsum esse » habetur *in Deo revera;* « infinitum radicale » sensu careret, si *nostra* de Deo *cogitatio* non exsisteret; Deus enim non est *radix* ullius *divini* seu ullius *sui*.

Articulus V.

DE ONTOLOGICO DEI PRAEDICATO OMNIUM RADICALISSIMO

Propositio XX. Primum Dei ontologicum praedicatum primoque se nobis manifestans, primum absolute medium pro deductionibus aprioristicis praedicatorum sive essentialium sive attributalium est « esse a se », « ens a se ».

395. — *St. q.* Non agimus iam de ipsa *essentia constitutiva* Dei; haec (ex prop. XIX) erat *ipsum esse*, realitas mira, inconsueta, quae sub *unica* sui simplici puraque forma omnes in se quasi *delet* τοῦ esse varietates et figuras, simul velut amorphe omnes in se claudens. Nunc in *Deo* concreto ordinem perpendimus, quem ontologica eius praedicata servant pro aprioristicis nexibus, unde et pro aprioristicis unius ex alio deductionibus, quas in analysi Dei instituere tenemur.

Hoc sensu absolutam cedimus primatiam praedicato *esse a se*, *ens a se*.

Quod praedicatum ideo non appellamus, nec appellandum opinamur essentiam Dei metaphysicam, aut similiter; quia cum huic terminologiae non eadem sed varia a variis significatio subnectatur, lites enasci queunt, de facto etiam nimiae moventur. S. Thomas quaestionem hoc modo nunquam proposuit.

Certe praedicatum « ens a se » omnino *essentiale* est, non solum quia in genere omnia Dei ontologica sunt Deo essentialia sicut et ipsa realitas attributis expressa, sed quia in specie hoc praedicatum in se proque nobis ante omnia attributa collocatur, in singulis et in essentia ipsa intime imbibitum seu in positiva singulorum scientia inclusum, subauditum, quasi id, *sine quo non*. Id praecise propositio explicare intendit; in se incontrovertibile videtur.

396. — *Prob.* Vera realisque Dei essentia est « ipsum esse » (prop. XIX), vel si placeat, est plenitudo ipsa et pelagus τοῦ esse et realitatis; immo

infinitum esse, etc. Nunc enim praescindendo a rigore harum formularum, pro intento omnes acceptare aut transmittere possumus. *Atqui* singulis his essentiis radicitus substat per *ontologicam prioritatem* praedicatum « esse a se », « ens a se ». *Ergo* id est primum Dei *ontologicum* praedicatum.

Min. In deductionibus aprioristicis esse *infinitum* eruimus ex « *ipso esse* » (prop. XVI); « ipsum esse » deducimus ex eo quod Deus est « *suum esse* » (prop. XVI); hoc autem ex eo, quod (prop. XIII) *quidditas* et *esse* idem sunt in Deo (nec adsunt accidentia); id tandem eruimus ex eo quod Deus est *ens a se*, incausatum, ens primum (prop. XIII); « ens a se » ex *nullo ontologico* Dei, sed ex creaturis *a posteriori* (quinque viae). Ergo singulis substat praedicatum, quo prius ontologice nullum, ens a se, esse a se.

397. — *Scholion I.* De natura praedicati « esse a se ». 1º Est *positivum;* quia *a*) directe primo et per se dicit *sufficientiam* positivam sui ad esse sui, quae sufficientia evidenter non est ad modum vis et energiae, sed *formalis;* indirecte et consequenter etiam *negat esse ab alio*, negat causam; sed ob id perperam appellaretur simpliciter *negativum*. Sane spirituale dicit directe et *primo positivam* nobilitatem entitativam, indirecte et secundo *negat* corporeitatem, nec ideo dicetur praedicatum *negativum*. *b*) *Esse ab alio* per prius dicit *non sufficientiam* sui ad esse, quia secus excluderet esse ab alio; per posterius dicit *esse ab alio*, i. e. consequenter ad insufficientiam sui; proin esse ab alio radicem *habet negativam*. Ergo: Negare abalietatem est in fundo negare *negationem* seu non sufficientiam; proin esse a se, sive directe et per primum significatum (ut supra), sive etiam indirecte et per secundum, est praedicatum penitus *positivum*.

2º Est praedicatum non attributale sed formaliter et omnino *essentiale* (1). Etenim: *a*) Si enim ipsum esse subsistens per prius non supponatur « esse a se », probari nunquam poterit dari « ipsum esse » essentiamque vere et formaliter constituere. *b*) Neque peccat vel ob restrictionem ad perfectionem *unius lineae*, cum omnes comprehendat omnium linearum (licet implicite solum); vel ob suam *adiectivalem* formam, unde cogamur dicere attributivum, habet enim *substantivalem*.

398. — *Scholion II. Ens a se et essentia Dei.* Si quaeras: curnam tamen *aseitatem non* fecerimus essentiam Dei *realem formalem*, sicut fecimus « ipsum esse » (prop. XIX), respondeo: Aseitas non tam *entitatem* ipsam, in qua formaliter consistere debet quaelibet absoluta essentia, quam *modum* entitatis, seu sufficientiam *entitatis* (quasi in-nascentiam entitatis) dicere videtur; si autem pro aseitate ponatur *ens a se*, tunc insuper nimis concretum est ut *essentia* formaliter sit et dicatur; si tandem nec *aseitas* dicatur nec *ens a se*, sed « *esse a se* », tunc sane parum a propugnata propria essentia, « ipso esse » distat; adhuc (ut nobis quidem videtur) non plene dicit totum, quod essentia Dei formaliter dicere debet, i. e. non dicit formaliter comprehensionem illam perfectivam seu *universalitatem* extra quam nihil; optime autem id dicit « ipsum esse » (ut prop. XIX explicuit). Sane « esse a se » *a*) ait quidem illud esse in seipso habere τοῦ esse sui *sufficientiam*, at formaliter non dicit (radicaliter utique) *cuiusnam* esse sufficientiam habeat, utrum totius esse an solum lineae determinatae; vel etiam *b*) exprimit esse Dei quantum ad eius velut *formari*, non autem esse Dei plene formaliterque velut formatum; essentia autem exprimat oportet constitutivum seu esse *formatum;* dicat *quid* illud *sit*, id determinet, nec de origine praeoccupetur essentiae. Unde et sic: per aseitatem respondetur plene et adaequate quaerenti: undenam aut quomodo Deus exsistat, non tam plene et formaliter quaerenti: quidnam Deus sit (2).

---

(1) « Rationes ab aliquibus assignatae vel sunt *attributivae* ut *aseitas* et *infinitas;* vel non sunt *comprehensivae totius* perfectionis Deo competentis, ut intellectualitas ». (Billot, « De Deo Uno et Trino » [1910], p. 90. Agit de essentia metaphysica explicanda).

(2) Ens a se, et aseitas post Wirceburgenses a pluribus ut essentia Dei metaphysica, quasi metaphysica, proponitur, v. g. a Mendive (Theod. n. 92), Hontheim, Van der Aa, Boedder, Jungmann, Stentrup, De Augustinis, Piccirelli, Tongiorgi...; alii, aliis utentes formulis, opinantur tamen aseitatem coincidere cum ipso esse subsistenti (Urráb., De San, Pesch, Franzelin), aut saltem quid

399. — *Scholion III. Essentia Philosophica Dei pro theologis.* — Quaerunt theologi utrum essentia Dei dicenda sit constituta non ex absolutis solum perfectionibus, sed etiam ex *relativis* Personarum Trinitatis. Respondent: 1) Affirmative Caietanus, Bañez, Valentia aliique. 2) *Negative* Suarez, Molina, Montoya, etc. iuxta quos Relationes, etsi realiter cum essentia identicae, non sunt de huius notione. 3) Wirceburgenses, Mendive aliique, facta distinctione inter essentiam physicam *ut philosophice* et *ut theologice* sumptam, decernunt ipsam ut philosophice sumptam *omnibus* constitui, ut theologice autem sumptam solis *absolutis* (1). Nobis sciendum, quod ipsa acceptio philosophica ad solos theologos pertinet, minime ad philosophum, qui (qua talis) divinas Relationes absolute ignorat.

Articulus VI.

de habitudine essentiae dei ad attributa

Propositio XXI. Attributa ab essentia et invicem distinguuntur in Deo non distinctione formali, sed utique virtuali; nec stricte tamen praecisiva ut penes excludens et exclusum; sed late praecisiva, ut penes implicitum et explicitum.

400. — *Praenotanda.* I. *Conspectus et ordo quaestionis.* 1) In Deo simplicissimo (prop. XVII) nec attributa ab essentia nec unum ab alio attributo *realiter* distingui possunt; poneretur in Deo *realis* compositio e substantia et accidentibus. In Deo autem omnia *realiter idem* sunt pro *philosopho*, qui Trinitatem non considerat; immo pro theologo « in divinis omnia sunt *unum*, ubi non obviat *relationis* oppositio ». Igitur, si intra absolutas Dei notas distinctio aliqua verificatur, reali *minor* erit.

2) Inter minores solam rationis *ratiocinantis* non sufficere facile suademur contra *Eunomianos*, *Aetianos* (saeculi IV) et Nominales, quibus nomina essentiae et attributorum Dei synonyma erant, quasi gladius et ensis, homo et animal rationale.

3) Si nec realis nec pure mentalis, dabitur *virtualis* seu rationis *ratiocinatae*, quae sola inter utramque mediat, cum *formalis ex natura rei* universim alibi fuerit amota. Adhuc, quia divinis nominatim applicari consuevit, brevi et ipsa perpendetur.

4) *Distinctio autem virtualis* (audi semper *extrinsecam*) esse potest *Maior et Minor. a*) *Maior*, quae inter rationes mediat *adaequate* separatas, mutuo se excludentes; v. g. inter animalitatem et rationalitatem; unde et adaequate praecisiva nuncupatur, exclusiva, penes excludens et exclusum. *b*) *Minor*, quae inter rationes habetur *inadaequate* separatas, se mutuo non excludentes, v. g. inter unum et ens; hinc et *inadaequate* praecisiva dicitur, includentis et inclusi, ut penes implicitum et explicitum. Utra exactius at-

---

summe radicale esse ac fundamentale, primum quod de Deo quasi propriissimum eius novimus (Schiffini, etc.). Alii denique ne id quidem concedunt, quia quaerenti cur Deus est ens a se bene respondetur: quia est ipsum esse subsistens; igitur hoc ontologice prius est quam ens a se (Remer, *Theol. Nat.*, n. 37, V). Verum haec non tenere merito dices. *A posteriori* quidem bene sic respondetur, ut si ais: anima est spiritualis quia est immortalis; homo est rationale quia risibile, etc.; nec inde tamen concludes risibile *ontologice* prius esse quam rationale. *A priori* autem et ontologice (de quo erat quaestio) illud responsum *inverti* debet sic: Deus est ipsum esse, quia est ens a se; prius scilicet ontologice est *esse a se*, quam esse *ipsum esse*, prout clare nuper demonstratum est (n. 396).

(1) Cfr. Mendive, « De Deo Uno », n. 31.

tributis competat, ultimo resolvitur in favorem *Minoris* cum communi recentium. Olim disputabatur; S. Thomas virtualem tenuit sine ulteriori determinatione; quem De Maria imitatur.

401. — II. *Duplex Attributi acceptio.* Sensu rigorose reali omne in Deo prohibetur attributum, ubi «*quidquid* est, sua *essentia* est» (prop. XVII). Igitur attributa dicentur pro *nobis* solum sub artificio sensuque logico, cum fundamento tamen in re. Sed etiam sic divina attributa bifariam sonant: *late et stricte. a*) *Attributum late* est quodlibet praedicatum, Deum *determinans* eumque a reliquis separans; hoc modo etiam notae summe essentiales, v. g. ens a se, ipsum esse, actus purus, sunt attributa. *b*) *Attributum stricte* dicitur praedicatum (nota) essentiam Dei ita signans ab aliisque separans, ut simul concipiatur ex essentia fluens eidemque additum in linea explicitae unius perfectionis, v. g. sapientia, iustitia, voluntas.

402. — III. *Partitiones attributorum.* 1. Attributa dividuntur in *absoluta* et *relativa. a*) *Absoluta* in formali sui conceptu se ferunt ad naturam *in se*, ideoque sunt per ordinem *ad intra;* v. g. immutabilitas, immensitas, esse intellectivum, aeternitas... *b*) *Relativa*, quae ad *creaturas* utcumque referuntur; ideoque sunt per ordinem *ad extra;* v. g. Omnipotentia, Providentia, Creator, Gubernator. Cum autem quaedam ex his *necessaria* sint, ut Omnipotentia; quaedam vero *contingentia*, ut Creator quandoque solum *contingentia* dicuntur Relativa.

2. Sub alio respectu attributa dividuntur in *Affirmativa et Negativa. a*) *Affirmativa*, quae in formali sui conceptu *positivam* dicunt perfectionem, v. g. intellectivum, sapientia... *b*) *Negativa*, quae imperfectionem excludunt, v. g. immutabilitas, incorporeitas, simplicitas... Sed vocabulorum conformationi nimis haerendum non erit, cum etiam ex ipso pendeat concipiendi modo quod unum attributum v. g. aeternitas affirmet aliquid potius quam contrarium neget (1).

3. Cum Aquinate etiam in *quiescentia* dividuntur et *mobilia* seu actuosa. *a*) *Quiescentia*, quae formaliter exprimunt modum *essendi* Dei; v. g. aeternitas, immensitas, infinitas... *b*) *Mobilia* autem, quae aliquam Dei *operationem;* v. g. omnipotentia, intellectus, voluntas...

403. — IV. *Quaenam nunc attributa. a*) Attributum hic (praecipue saltem) stricte sumitur, i. e. perfectio sub *particulari* linea ex essentia fluens, v. g. sapientia; alia enim generaliora, ut omniperfectio, infinitas, simplicitas, actus purus, ens a se... ob ipsam sui universalitatem comprehensionis, apte in partibus derelinquentur essentiae, dum hanc cum clarioribus comparamus attributis. *b*) Adhuc inter strictiora melius sumemus *absoluta;* cum enim relativa (Creator...) *creaturas* passim subaudiant, e sola Dei essentia non fluunt, unde nec de Deo essentialiter verificantur. *c*) Inter ipsa absoluta commodius desumentur *positiva* atque in negativis perfectio opposita; sic in aeternitate et immensitate *duratio et ubicatio.* Ceterum haec *negativa* pertinere solent ad *quiescentia* valde *essentialia* necnon clara seu inclusionis mutuae clarioris quam in positivis; nempe: in *negativis* positivum, ab uno ex illis (ab immutabilitate) dictum, facile nobis apparet continens (implicite) positivum ab alio (aeternitate) expressum; in *positivis* autem (*intellectivo*, *omnipotentia*), in-

(1) Franzelin quasi imprudentes habet recentiores quosdam divisionem improbantes quia « mechanicam », mereque *externam*, ex forma grammaticali plus quam ex interno doctrinae organismo desumptam... At apud Patres Scholaeque principes divisio in usu fuit (*De Deo Uno*, th. 21, p. 262).

clusio mutua difficilius manifestatur. De omnibus tamen est propositio, immo cum positiva *clarius* ut attributa unius *lineae* contra essentiam se prodant, ad haec praeferenter attendere iuvabit.

404. — V. *Intimior attributi natura; attributa in Deo cur ponamus.* Deus, vere omniperfectus, in simplicissima tamen subsistit realitate (prop. XVII). *a*) Si nos hanc realitatem (hoc esse) ut in se est percipientes unica voce significaremus, de attributis actum esset; sed id in Patria. *b*) De facto *plures* tenemur exstruere conceptus, hinc et nomina plura, pro explicita huius, alterius attributi perfectione divisim capienda, significanda; quae perfectio *prout sic percepta* et dicta, appellatur *ratio. c*) Unde *ratio* est quidquid Dei a nostro intellectu percipitur, et prout perceptione elucens (non prout in se est); etiam qua tale adhuc appellatur *attributum*, seseque non ad attributalia solum, sed ad essentialia quoque protendit; v. g. ratio sapientiae, ratio actus puri. Haec autem *ratio* (obiectivitas) sapientiae a *sapientia ipsa*, quae et prout in Deo est, valde distat, eamque a *longe* solum, deficienter analogice repraesentat. *d*) Nempe in attributo *tria separanda:* 1) *Sapientia*, quae et prout in Deo; sic *Deus* ipse est, uniformis entitas simplex; appellatur *sapientia* Dei. 2) *Ratio* sapientiae; est *terminus obiectivus* nostrae conceptionis; *conceptus obiectivus* cogitantis (abstractive) de sapientia Dei; est forma in una explicita *linea* sistens (et quasi colore uno), supra formam creatae sapientiae quantum possumus elevata, *divinizata*, etiam sic cum sapientia ipsa Dei nonnisi *analogice* conveniens. Iam haec praecise ratio sapientiae cum *attributo* exacte nunc coincidit; solum sic propositio sensum habere potest. 3) *Conceptio* sapientiae, i. e. *noster subiectivus* conceptus seu idea ipsa, verbum sapientiam Dei nobis repraesentans; est forma accidentalis intellectui realiter inhaerens; « est in intellectu sicut in subiecto » inhaesionis. Quae quidem forma, quia nec divina *sapientia* est, nec *ratio* sapientiae, sed huius signum subiectivum, e quaestione exit, nec est appellanda *ratio* sapientiae, sed *conceptio* rationis sapientiae (1).

Pars 1ª. « Attributa ab essentia non distinguuntur distinctione formali ex natura rei ».

405. — *a*) *Declaratur.* Pro Scotistis essentia cum attributis ita realiter identificatur, ut in una tamen realitate *independenter* ab intellectu ex ipsaque natura rei, *aliud* et *aliud* exsistat, una et alia formalitas; hinc licet nemo cogitando fingeret, forma *essentiae non esset* forma *attributi;* et forma unius attributi (sapientiae) non esset forma alius attributi (iustitiae, bonitatis). Quae quidem *distinctio*, cum non circa res aut *entitates* (separabiles) sed circa *formalitates* versetur modosque unius *entitatis*, non *realis* sed *formalis* est dicenda. — *NB.* His accedunt auctores distinctionis virtualis *intrinsecae*, vi cuius interna ponitur in Deo capacitas praedicata suscipiendi contradictoria.

406. — *b*) *Probatur.* Deus est ens actu simpliciter infinitum *in essentia* (prop. XVI), ideoque iam *essentia* ipsa est actu simpliciter infinita. Atqui non sic, si essentiam inter et attributa distinctio adesset *formalis*. Ergo non adest.

Min. Tunc enim essentia ab attributorum formis perficeretur. Etenim sapientia e seipsa *aliud* ab essentia esset, quia in se capax praedicati, quod

(1) Cfr. Remer, « Theol. Nat. » (1895), n. 48.

essentiae in se non competeret; aliunde *perfectio* realis. Ergo accedens essentiae formali huius perfectionem augeret.

407. — *Corollarium.* Ergo sive distinctio formalis, sive capacitas intrinseca praedicatorum contradictoriorum, simplicitati etiam reali opponitur.

408. — *Pars* 2ª. « Attributa inter sese non distinguuntur formaliter ex natura rei ».

Prob. Quae *formaliter ex natura rei* sunt eadem uni tertio, hoc modo non distinguuntur inter se. *Atqui* ex prima parte unum attributum et aliud sunt formaliter ex natura rei eadem uni tertio, essentiae. Ergo attributa inter se non distinguuntur formaliter ex natura rei.

Pars 3ª. « Ratione autem distinguuntur cum fundamento *in re*, sive creatura (intellectu), sive Deo ».

409. — *Adversarii. a*) *Eunomiani* Aetiani, pro quibus nomina synonyma sunt, nec in Deo fundamentum distinctioni adest. *b*) *Maimonides* (1135-1204), philosophus Arabo-Judaicus, adeo simplicitatem in Deo amavit, ut ne intellectui quidem pluralitatem in divinis cogitare permiserit (1). *c*) *Ockam:* attributa sunt *mera* nomina diversa, uni rei *arbitrarie* imposita; sic reliqui Terministae (saec. XIV). *d*) Similiter *Nominales* cum Aureolo; ponebant fundamentum non *in Deo* sed *ad extra* in effectu; i. e. quia videmus bona, et intellegentias, vitam... fuisse a Deo facta, haec eadem propendimus *in Deo ponere*, sed ibi non sunt, est solum alia sublimior unica, quae tamen fundamentum ad plurificandum *non dat.* Unde Deum facimus bonum, sapientem... quia ipse *causavit* bonitatem, sapientiam, vel quia se habet ad modum boni, sapientis,... i. e. per puram *connotationem* ad externos effectus suos. Sed « falsum dicunt... Non enim (Deus) *ex hoc* quod bona facit, vel quia ad modum bonorum se habet, bonus est; sed *quia bonus est*, ideo bona facit, et *alia* participando eius bonitatem *ad modum eius se habent* » (1º Dist. 2, 1, 3, c). Sane imago et effectus assimilantur rei et causae, ad modum huius se habent, non e converso ut suo loco vidimus (n. **290**). Igitur distinctio *fundatur* etiam *in Deo ipso.*

410. — *Observa. Hoc sensu* distinctio virtualis semper *intrinseca* est, quatenus nempe « intrinseca » afficit *fundamentum*, non autem qua afficit *distinctionem;* distinctio enim ipsa, quia licet cum fundamento in re tandem *ab intellectu* ponitur in re, ideo *rei extrinseca* est. Unde haec, quam tenemus, omnino differt a virtuali *intrinseca*, quam nullibi admittimus.

411. — *Prob.* 3ª *pars.* Distinctio virtualis erit dicenda cum fundamento in re, si *res ipsa* sub suo simplici esse contemplandam se nobis praebeat ut pluribus aequivalentem alibi sparsis perfectionibus, cum praesertim res ipsa inaccessibilis in se maneat. *Atqui* Deus ita se habet respectu essentiae et attributorum. *Ergo* virtualis distinctio datur hic et cum fundamento in *re ipsa.*

Mai. Tunc enim res ipsa intellectum invitat ut perfectiones in effectibus

(1) In opere « Dux perplexorum » I, c. 51 versionis Buxtorf (1629) sic ait: « Illa quippe res una est, neque ullo modo... in duo dividi potest, ac nullam plane neque extra intellectum, neque in intellectu, pluralitatem admittit ».

realiter *divisas*, in simplici illa *ditissimaque* forma per modum *plurium* concipiat. Etiam in aliis sic; v. g. quia anima *intellectiva* in se simplex, pluribus separatim alibi exsistentibus animis aequivalet, *distinctionem* in ea trium animarum *fundat*.

Minorem S. Thomas (cum Ans. et Dyon.) ab eminentia perfectionum derivat, quae ex tribus resultat: ex *universalitate omnium;* ex *plenitudine* cuiusque, ex *unitate* omnium. « Haec *eminentia* attenditur quantum ad tria: scilicet, quantum ad *universalitatem*, quia in Deo sunt *omnes* perfectiones adunatae, quae non congregantur in aliqua una creatura. Item, quantum ad *plenitudinem*, quia est ibi sapientia sine *omni defectu*, et similiter de aliis attributis; quod non est in creaturis. Item, quantum *ad unitatem;* quae enim in creaturis diversa sunt, in Deo sunt *unum*. Et quia in illo uno habet omnia, ideo secundum illud unum causat omnia, cognoscit omnia, et omnia sibi per analogiam similantur » (1º Dist. 2, q. 1, a. 3, c).

Pars 4ª. « Praedicta virtualis distinctio, non maior, sed *minor* est ».

412. — *Declaratur.* Insistendum in significatione virtualis *minoris* pro casu hoc concreto. Attributum v. g. *sapientiae* est *ratio* ita concepta, ut ab attributis aliis et essentia non penitus praescindat, sed formaliter actu explicite sapientiam dicens, etiam reliqua actu formaliter etsi solum *implicite* dicat; ideoque a ratione v. g. *volitionis* explicita distinguitur ut aliquid *implicitum* (volitio), in attributo *sapientiae* implicite contentum, distinguitur *a seipso explicito*, i. e. ab attributo *volitionis;* quod vicissim explicite volitionem dicens, implicite sapientiam et reliqua dicit; sic omnia mutuo se includunt *implicite*. Hinc totale contentum attributi sapientiae (seu rationis sapientiae) duabus velut partibus constat: parte *explicita* et parte *implicita*. Pars *explicita* distincte *delineat* formam *sapientiae ut sic*, ad modum fere creatae conceptae, ideoque aliarum formarum exclusivae; sequitur correctio; pars enim *implicita*, quasi *divinizatio* sapientiae, confuse et globatim reliqua Dei dicere tenetur, quae in sapientia *prout divina* includuntur; i. e. sub *tota* hac significatione *lineas* figurasque finitudinis sapientiae iam delere conamur, ut eamdem quasi in extra-linealem et amorpham convertamus, ita tandem, ut per partem explicitam dicat quidem *sapientiam* solam, sed per additionem partis implicitae dicat *Deum totum* (1).

413. — *Observa.* Comparatio cum transcendentia *entis*. Ex dictis unum divinum qua tale transcendit formaliter *quodlibet* divinum, et vicissim. Ens quoque omnes transcendit suas differentias, sed una differentia qua talis non transcendit alias differentias qua tales, sic nec transcendit omne ens; hoc sensu transcendentia adest in ente, sed *non mutua* sicut in divinis. Ratio discriminis: differentiae entis, cum *determinant* seu *explicitant* ens, simul illud *contrahunt* ad accidens, ad corpus...; ens autem prout *hac* differentia accidentis iam contractum, seu differentia entis qua differentia *omne* aliud aliudque ens minime transcendit, unde nec aliud de alio praedicatur. In divinis autem essentia ab attributo ad formam illius attributi determinatur quidem (explicitatur), quin contrahatur tamen; similiter attributum ab alio attributo. Hinc, remanente *mutua* transcendentia nec dispari cuiusque *extensione*, unum *etiam qua tale* de alio rursum *qua tali* praedicari potest. Est

---

(1) Idcirco (vult Mendive) exactius dicetur quod in uno attributo reliqua Dei *eminenter* contineantur, quam quod *formaliter implicite* contineantur; idem et alii insinuant. *R.* Vix capitur eminentiam essentiae posse rursus eminenter alibi contineri; igitur consuetis stemus.

fructus 4ae partis; seu est pars 4a quasi praeaccepta, ut eiusdem scopus reddatur clarior.

414. — *Prob.* 1. *Essentia ab attributis.* Essentia Dei, etiam *qua essentia,* simpliciter infinita est, actus purus, ad nihil in potentia (prop. XVI). Ergo essentiam formaliter talem concipiens, perfectionem alicuius lineae aut categoriae ab eadem praecidere nequit, etsi explicite perfectionem non cogitare queat. *Atqui* hoc significat *imperfecta* essentiae ab attributis praecisio. *Ergo* distinctio rationis est *minor.*

Cons. Mai. Si enim aliquid ab essentia separat, non iam *divinam,* sed *aliam* concipit essentiam; seu essentia divina, taliter minorata, irreparabiliter destructa nec per novas unquam additiones reconstruenda iacebit. Nec de aliis cogitare iuvat v. g. de homine, in quo rationale ab animali sine ruina essentiae separamus, unum deinde alteri addimus; clarius adhuc ab essentia tota *risibilitatem* attributum separamus. Bene quidem haec in homine, in essentia inquam composita, cuius una potentialis pars aliam recipit tanquam actum adaequate a se distinctum, ut ex unione ens emergat *finitum.* At in Deo talia pugnant. Igitur essentia Dei, nisi *uno conceptu* unaque formalitate adaequata (non dico tota adaequate explicita) concipiatur, destruitur.

415. — 2. *Attributa ab essentia et inter se.* Sapientia divina (similiter de ceteris), cum imparticipata sit, a se essentialiter est ideoque in plena sua formalitate actu simpliciter infinita est. *Atqui* ab essentia aut ab alio attributo separata, non esset simpliciter infinita, sed aliquo carens, nec ad infinitatem ullatenus reconstituenda (ut de essentia diximus). *Ergo* concipi debet ut essentiam includens et attributa seu ut ab essentia attributisque simpliciter non praescindens, licet nec singula explicite repraesentans.

Observa. Sapientiam *ut sic* cogitare licebit, quin cetera formaliter actu includat et repraesentet, quia cum actu *infinita* non sit, alia ipsimet addi (logice) bene poterunt; *divina* vero, quia actu simpliciter *infinita* est, id in se non permittit.

Corollarium. Ergo essentia cum attributis et attributa invicem nullam faciunt in Deo *compositionem* nec *realem,* nec *formalem* ex natura rei (ne a Scoto quidem admittitur), nec *metaphysicam.* Porro haec habetur solum per rationes *adaequate* praescindentes et exclusivas, quarum altera alteri addita concipi possit. In casu autem una ratio alias includit. Ergo omnis compositio elongatur a Deo.

416. — *Obi. I.* Inter ea, quorum definitiones diversificantur, mediat distinctio aut *formalis* a parte rei, aut saltem rationis *maior.* Atqui definitiones essentiae et attributorum Dei, horumque invicem, diversae sunt. Ergo inter essentiam et attributa habetur distinctio formalis, aut saltem rationis *maior.*

R. D. M. Inter ea, quorum definitiones *realiter adaequatae* diversificantur, distinctio mediat *formalis,* immo *realis, C.* Inter ea, quorum definitiones realiter inadaequatae diversificantur, distinctio adest, *Sd.* realis aut formalis, *N.* rationis *maior, Sd.* si mentaliter adaequate separantur, *C.* si etiam mentaliter nonnisi inadaequate separentur, *N. M.* — *Ctr. m.* Definitiones essentiae et attributi sunt realiter adaequatae, vel saltem rationum mentalium adaequate separatarum, *N.* Sunt realiter inadaequatae, immo rationum mentalium inadaequate solum separatarum, *C. m.* — *N. c.*

Explico. Si definitiones diversae rem totam singulae definiunt seu rem ut in se est, tunc res definitae *etiam realiter* distinguuntur; v. g. aurum et anima, intel-

lectus et voluntas... Sed definitiones passim non de re tota instituuntur, sed de *nota* aut *ratione* mentaliter a reliquis eiusdem rei separata; tunc sola definitionum diversitas realem non infert definitorum distinctionem; forsan realis forsan rationis solum est. Infert utique distinctionem rationis, quae rursum aut maior est aut minor; maior si rationes definitae se invicem *adaequate* excludant nec una aliam ullatenus includat; in casu contrario minor.

417. — *Obi. II.* Ea, quibus *contradictoria* competunt, aut re aut perfecte praecisive distinguuntur. Atqui attributis competunt praedicata contradictoria: v. g. iustitia *punit*, misericordia *non punit*. Ergo aut *formaliter*, aut perfecte praecisive invicem distinguuntur.

R. D. M. Si eis ut *in re* sunt, conveniunt, *C.* Si ut in intellectu, *Sd.* Tunc adest distinctio vel realis vel formalis, *N.* Rationis, *Sd.* Maior aut Minor, *C.* Praecise Maior, *Sd.* Si contradictoria de ipsis verificantur *adaequate* sumptis, *C.* Si solum inadaequate sumptis, *N. M.* — *Ctr. m.* Realiter, *N.* Mentaliter, *Sd. Inadaequate* sumptis, *C. Adaequate* sumptis, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1º Res ipsa Dei non verificat praedicata contradictoria, etenim *eadem res* punit et parcit... Hinc de *realitate* Dei necnon de *formalitatibus* praementalibus falsum est misericordiam *non* punire; punit. Omnino ut de gradibus Metaphysicis suo loco ostendimus: in Petro principium sensitivum (animal) non esse *intellectivum*, ante praecisionem mentalem falsum est. 2º Rationes *ut apprehensae*, dupliciter praedicata verificare poterunt: *a*) *Adaequate* sumptae; ita gradus metaphysici, qui adaequate mutuo praescindunt. *b*) Solum *inadaequate* sumptae pro explicito; ita attributa divina; si enim *adaequate* sumantur, non verificant; tunc «iustitia punit» verum est; «misericordia non punit» *falsum est*, cum secundum implicitum puniat (i. e. secundum *iustitiam* quam implicite dicit).

418. — *Obi. III.* Ante omnem etiam intellectus praecisionem bonitas *non est* sapientia. Ergo attributa Dei distinguuntur formaliter ex natura rei.

R. D. Ant. Bonitas *creata* non est sapientia, *C.* Bonitas *Dei* non est sapientia Dei, *N. Ant.* — *N. c.*

Inst. Saltem in praecisione intellectiva «bonitas Dei *non est* sapientia Dei». Atqui esset, si bonitas a sapientia *perfecte* non praescinderet. Ergo unum attributum ab alio perfecte praescindit.

R. D. M. Secundum quod sub tali praecisione formalitas *explicita* bonitatis negatur de formalitate *explicita* sapientiae, *C.* Secundum quod sub eadem praecisione *totum* attributum bonitatis de toto negatur attributo sapientiae, *N. M.* — *Ctr. m.* Esset in praedicatione *totalitatum*, *C. Partialitatum* explicitarum, *N. m.* — *N. c.* — Explicatio ut in *obi. II.*

419. — *Obi. IV.* Si ratio unius attributi a ratione reliquorum perfecte non praescindit, tunc unum de alio formaliter per identitatem formalem praedicabitur. Atqui dure sonat «sapientia Dei est *formaliter* voluntas Dei». Ergo attributa ad invicem *perfecte* praescindunt.

R. D. M. Praedicabitur unum, *adaequate* sumptum, de alio adaequate sumpto, *C.* Si utrumque *inadaequate* et pro solo explicito sumatur, *N. M.* — *Ctr. m.* In sensu formali pro *explicito* utriusque, *C.* Pro *totalitate* utriusque, *N. m.* — *N. c.*

Inst. Tunc voluntas Dei, *formaliter qua* voluntas, intellegit; intellectus Dei, *formaliter* qua intellectus, amat; iustitia qua iustitia parcit; misericordia qua misericordia punit... Atqui haec falsa sunt. Ergo formalitas unius attributi formalitates aliorum non includit.

R. D. M. Sensu reali, *C.* Sensu formali praecisivo, *Sd.* Sub reduplicatione adaequata attributi, *C.* Sub inadaequata quoad solum *explicitum*, *N. M.* — *Ctr. m.* Haec falsa sunt in reduplicatione *adaequata*, *N.* Inadaequata, *C. m.* — *N. c.*

Aliud est tales praedicationes *falsas* esse in sensu *loquentis*, explicita solum reduplicare volentis, aliud falsas esse in sensu *polemico* continentiae *totalis* attributi etiam reduplicatae; sic enim vel formales praedicationes verae sunt.

420. — *Obi. V.* Distinctio attributorum provenit aut ex intellectu aut ex Deo. Atqui si ex intellectu, distinctio est *pure* mentalis; si ex Deo, distinctio est formalis *ex natura rei*. Ergo attributa non distinguuntur ratione *ratiocinata*.

R. Do tertium. Provenit: *a*) Ex parte *intellectus;* et sic est *rationis;* sed *b*) *Deo* ipso *fundamentum* praebente sed non distinctionem; et sic est rationis *ratiocinatae*, seu virtualis (Cfr. explic. partis tertiae), sed non realis nec formalis.

421. — *Obi. VI* (Inst.). Provenit e *solo Deo*. Ergo est *formalis* ex natura rei. Nam ab aeterno, antequam creatus *cogitaret* intellectus, *verum* erat sapientiam non esse iustitiam. Atqui illa distinctio non debebatur *artificio* mentali. Ergo distinctio e solo Deo procedit.

R. 1º *N. M.* — *R.* 2º Verum pro aliqua distinctione *fundamentaliter* et *virtualiter* exsistente, *C. Formaliter et actu* constituta, *N.* vel *Sd.* In quantum divinus intellectus sua attributa ad modum *plurium* pro se videbat, *N.* In quantum videbat alios debiliores in tempore exstituros sic illa percepturos esse, *C. M.* — *Ctr. m.* Pro divino intellectu et fundamentaliter pro nostro, *C.* Pro humano intellectu ut formaliter in tempore exstitura, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. De *fundamento* varia S. Thomas considerat. Essentia Dei est fundamentum *proximum* nostrae de Deo *cognitionis*, immo et *remotum* distinctionum, quas in Deo ponimus; i. e. *a*) pro nostris *directis* seu primae intentionis cognitionibus fundamentum proximum (ait S. Thomas) esse solet *res* ipsa, quae cognoscitur, v. g. homo; nam res statim (per species...) fundat *veritatem* cognitionis directae, cum haec rei in se conformetur. *b*) Pro *reflexis* autem seu secundae intentionis circa rem, fundamentum rursus sed *remotum* est res ipsa, *proximum* autem *intellectus*, qui praevios directos conceptus (obiectivos) sub artificio in genera, species... distribuit. *c*) Pro inutili *chimaera*, res ipsa nec proximum praebet nec remotum fundamentum, cum *chimaera falsa* ac sine *fundamento* sit (S. Thomas), quoad formalitatem nempe chimaerae, quam certe non res sed intellectus inspirat. Iam generalia casui applicando: actus attributorum cognitivus, qua simpliciter *cognoscitivus*, verus est; Deo enim ipsi, in quo attributa *adsunt*, conformatur; proin pro actu sic sumpto *proximum* fundamentum Deus est; qua vero actus *distinctionem* ibidem ponit, ubi non adest, *proxime* in intellectu fundatur (ut in secundis intentionibus), in Deo remote solum (Cfr. 1º Dist. 2, q. 1, a. 3).

422. — *Obi. VII.* Si attributa mutuo *se includunt, synonyma* erunt. Atqui id in 2ª parte excluditur. Ergo se mutuo non includunt.

R. D. M. Si adaequate et *explicite* se mutuo includunt, *C.* Si solum inadaequate et *implicite*, *N. M.* — *Ctr. m.* Non sunt synonyma quantum ad *explicitum*, *C.* Nec quantum ad implicitum, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Notae essentiales, ens a se, esse infinitum, actus purus... *implicite* continent reliqua Dei etiam attributalia; haec tamen *explicitata* inde eruuntur, quin illis *addantur;* igitur radicata *explicita* cum radice ipsa non usque ad synonymiam accedunt.

423. — *Consectaria.* 1) Ergo unum attributum posse ex alio *demonstrari*, significat ex explicito unius (v. g. intellectivi) *explicitum* alius (volitivi) a priori concludi. 2) Ergo unum ex alio fluere in divinis sonat de *explicitis*, non de *implicitis*. 3) Ergo unum *adaequate* sumptum tam nobile ac aliud est, ac essentia; *inadaequate* et quoad *explicita*, intellectus voluntate *nobilior* dici poterit, etc. (ut in homine).

424. — *Obi. VIII* (Capreol., Vazquez...). In distinctione et delimitatione attributorum quaestio in fundo non tam de attributis est, prout *realiter* in Deo reperiuntur, quam de iisdem, prout conceptibus obiciuntur, i. e. de *rationibus* attributorum. Atqui *ratio* sapientiae, *conceptui* obiecta, de essentia ipsa aut de attributo alio exhibet nihil. Ergo attributum ab essentia et invicem distinguuntur simpliciter praecisive. Inde etiam explicatur quod simpliciter opponere mutuo soleamus.

R. C. M. — *D. m.* i. e. essentia cum reliquis *exclusa* manet e *ratione* sapientiae divinae, *N.* i. e. licet inclusa maneat, non tamen *expressa* aut explicite prolata manet,

C. m. — *D. par. cons.* Distinguuntur praecisive secundum explicitum, *C.* Secundum totum, *N. cons.* — Similiter rationem *D.* Opponere mutuo possumus secundum *explicita, C.* secundum *totum, N.*

425. — *Obi. IX* (Inst.). Quod *expresse* cogitatio non dicit, in ratione tamen *cogitata includi* absonum videtur. Atqui sapientia cogitata iustitiam expresse non dicit (ut conceditur). Ergo in ratione sapientiae non includitur iustitia. Pugnat; esset enim simul includi et non includi.

R. D. M. Includi explicite, pugnat, *C.* solum implicite, *N. M.* — *Ctr. m.* At dicit confuse et implicite, *C.* Nullo modo dicit, *N. m.* — *N. cons.* Rationem dist. par. Pugnat in ratione cogitata aliquid includi nec cogitari tamen eo modo quo affirmatur includi, *C.* Alio modo, quo non affirmatur includi, *N. rat.*

Explico. a) In ratione *cogitata* accidentis *includitur* ens, *explicite* tamen de ente non cogito sed de inhaerentia solum. *b*) Homo est *rationalis;* rationale includit esse *discursivum, iudicativum, apprehensivum* (in unica radice *rationali*). Adhuc cogitare possum de homine esse *discursivum* explicite, deinde *apprehensivum* explicite... Sic quasi per *partes* explicitas divido et *explico,* quod implicite continebatur in *rationali.* Ita in attributis: concipio *totam* cuiusque perfectionem sub *speciali expressa* habitudine, quae est velut *differentia* vel modus ultimo constituens attributum *tale* prae alio tali per habitudinem ad cognitionem, ad bonitatem, ad punitionem; sed implicite cogito reliqua Dei.

Quae implicita cogitatio imbibitur in eo quod sapientiam cogitem *ut divinam;* divinum autem explicite cogitatum, involvit implicitam reliquorum cogitationem; secus enim res cogitata (sapientia) non erat *divina.*

Inst. Atqui ne implicite quidem reliqua cogitantur. Ergo. Nam infinitatio seu divinizatio sapientiae mentaliter a me facta, dum illam a reliquis abstraho, in eo sistit quod formae sapientiae creatae (quae a bonitate perfecte praescindebat) addam magis et magis intensive-extensive, deinde limitem in hac protractione tollam. Atqui in ratione (sapientiae) taliter infinitata intellectus formativus e linea sapientiae non discesserat, sed intra eamdem solam sese moverat. Ergo in ratione sapientiae etiam *divinae* nullatenus reliqua includuntur attributa.

R. 1º *Nego* per hunc modum efformari rationem infinitae sapientiae *divinae qua divinae;* efformabitur solum conceptus sapientiae *cuiusdam separatae* infinitae, de cuius possibilitate dubitatur. Unde

R. 2º *D. M.* Consistit in eo *infinitatio* sapientiae separatim in abstracto consideratae, *C.* vel *Tr.* — *Divinizatio* rationis sapientiae, prout haec *in Deo* exsistens consideratur, *Sd.* Inadaequate, *C.* Adaequate, *N.* — *Ctr. m.* In *infinitatione* rationis sapientiae separatim in abstracto consideratae, *C.* vel *Tr.* — In divinizatione rationis..., *Sd.* Si inadaequate solum efformaverat, *C.* Si adaequate, *N. m.* — *N. c.*

Perpende *tres obiectivitates* seu rationes: 1ª est sapientia seu attributum sapientiae, *qualis in Deo* exsistit; sic explicite *omnia* dicit; est *esse purum* simpliciter infinitum; nec de hoc erat quaestio. 2ª est sapientia *ut sic,* abstracta et separata, quam in sua *sola* linea infinitare intendo, et ut talem percipio; est ratio sapientiae infinitae sed *non divinae;* nec de hac erat quaestio. 3ª est sapientia *divina* ut divina, prout est *obiectivitas,* ad quam terminatur mea divinae sapientiae *qua talis perceptio;* seu est *ratio* attributi divini, a me percepta et efformata ut obiectivitas quae a me intellegitur, dum attributum Dei intellegere dicor. *De hac* est tota quaestio. Hanc autem non efformari saltem adaequate per ea, quae obiciuntur, ostensum est.

426. — *Quaeres* 1º. Utrum attributa sint numero *infinita. Resp.* In se sunt *unum* simplicissimum; hinc: *a*) *divino* intellectui comprehensivo nonnisi *unam* praebent intellegibilem rationem. *b*) *Nostro* intellectui fundamentum praebent ut *absque fine* rationes plurificet. *c*) At cum series perfectionum a nobis separatarum *actu infinita* esse nequeat, de facto rationes perceptae nunquam erunt *actu infinitae;* sic attributa *formalia* (rationes attributorum) erunt semper *finita actu,* ob exhauritionem non rei, sed intellectus. Ceterum attributa *fundamentalia* dici queunt actu infinita, i. e. *fundamentum actuale* ex parte sui capax est praebendi nobis rationes categorematice *infinitas.* Res est *inexhauribilis.*

427. — *Quaeres* 2°. Utrum praedicta distinctio minor praecisionis imperfectae extendi possit ad *essentiam* relate *ad esse*. *Resp. Negative* prorsus. Cum enim unum et aliud in Deo et pro Deo idem *formaliter explicite* sint, neutrum vere concipitur alteri additum, ab altero explicite id eruens, quod solum implicite et in radice in altero includeretur (Cfr. prop. XIII). Immo si essentia sine explicito esse concipiatur, pugnat ut ex illa *deducatur explicitum esse*. Ergo nulla est paritas cum *aliis* notis Dei sive essentialibus sive attributalibus, quae omnes praesupponuntur *actuales*, ne secus ipsa quaestio falsificetur, confundendo *divina essentialiter actualia*, cum notis et attributis aliorum essentialiter *potentialibus*. Igitur inter essentiam et esse Dei nulla ne *rationis* quidem minor adest distinctio.

PARS TERTIA

DE ATTRIBUTIS ABSOLUTIS QUIESCENTIBUS

428. — *Ratio ordinis.* Cum in *secunda* parte *essentiam* Dei in se inque iis evolverimus notis, quae ob suam universalitatem totum pervadunt Deum ideoque pro essentia merito reputantur, de reliquis iam quasi magis *partialibus* venit agendum attributis, quorum alia absoluta, relativa alia nominantur. Relativis ad quintam partem reservatis, supersunt *absoluta.* Horum *a*) nonnulla adhuc *essentiam* potius adspicientia, quia non virtutem sed esse ipsum afficiunt, v. g. immensitas, aeternitas, unitas,... *quiescentia* dicuntur, minusque clare attributalia apparent; *b*) alia vero, cum ad modum *accidentis* essentiae in una linea additi concipiantur, dicuntur *operosa*, suntque clarius attributa; v. g. intellectus et voluntas.

Pars tertia de solis aget *quiescentibus. Quiescentia* scilicet non ea solum sunt, quae ut magis essentialia in secunda parte persolvimus, sed et plura alia ob datam rationem prioribus similia, v. g. immensitas, aeternitas, immutabilitas, unitas, veritas, bonitas...

Primum caput (5um) tria complectetur vere sociata: Immensitatem, immutabilitatem, aeternitatem; de reliquis altero capite (6o).

CAPUT V.

De stabilitate Dei in suo ubi, in sua entitate, in sua duratione.

429. — *Nexus cum infinitate. a*) *De facto.* Deus, *entitative infinitus*, etiam *praesentialiter ac durative* infinitus est; singula autem divini esse *immutationem* praedicant. *b*) *De iure.* Quia vero entitative infinitus non per accidens est, sed *essentialiter*, ita esse *ubique, semper ac immutate* esse, Deo non contingit, sed *debetur;* porro *praesentia, duratio, identitas* infinito Deo solum sic proportionari queunt. Iam per primum Deus exigit esse *ubique*, per alterum esse *semper*, per tertium esse *sine motu* et fixe; quorum nihil in creatura. Circa primum notaverat Aquinas: α) Deum esse ubique *primo.* Aliquid est ubique *primo*, si est ubique secundum se *totum;* si enim ubique est secundum *partes*, tunc esse ubique conveniet *prius* partibus, deinde toti, sicut homo albus quoad dentem, non est ipse *primo* albus; primo albus est *dens*, deinde homo. Deus autem, quia simplex est, *ubique primo* est. β) Deum esse ubique primo *per se*, non *per accidens.* « Granum milii esset ubique, *supposito* quod

nullum aliud corpus esset »; sed si deinde aliud creetur corpus, granum desinit esse ubique, quia ubique erat non *per se*, non e sua exigentia et independenter ab omni hypothesi; Deus autem est ubique primo et *per se* (1 p., q. 8, a. 4). Iam

Articulus 1. De Immensitate Dei.
Articulus 2. De Immutabilitate Dei.
Articulus 3. De Aeternitate Dei.

Articulus I.

de immensitate dei

§ I. — *Immensitas formalis et Ubiquitas Deo vindicantur.*

Propositio XXII. Deus est immensus, ita nempe rebus locisque per se praesens, ut ab his circumscribi aut definiri non possit.

430. — *Praenotanda.* I. *Notiones. Immensitas* est intrinseca determinatio Dei ut ubique praesens substantialiter sistat; seu: est attributum, quo Deus necessitatur ut substantialem sui praesentiam ubique exhibeat, quin haec ab ulla re et loco aut circumscribi aut definiri possit. Circumscribitur aqua a vase, definitur anima a corpore. Immensitatis velut *exsecutio* et corollarium appellatur *ubiquitas*. *Ubiquitas* Dei est actualis *praesentia* Dei in *omni* spatio, *loco*, re. *Praesentia* est *indistantia* alicuius ad rem, ad spatium, ad locum, relate ad quae aliquid dicitur praesens.

Ubiquitas, prout ad Dei restringitur praesentiam in rebus *physicis*, etiam *Omnipraesentia* dicitur; est « indistantia substantiae Dei ad res et loca actualia ». Omnipraesentia, quia *res actuales* supponit, cum ubiquitate quidem sensus ordinarii confunditur; ubiquitas tamen latius per se patet, cum ad quaevis spatia, ad res quasvis, etiam non actu reales, sese protendat. Aliquid scilicet *ubique* esse dicitur proprie et improprie (S. Th.): *a*) *Proprie*, si est in actu exsistentibus et in imaginatis, atque ita ut totus in toto sit totusque in singulis rebus et locis; quod soli Deo competit. *b*) *Improprie*, si est solum in *actualibus*, utcumque. « Deus non solum *est in* illis quae sunt, fuerunt et erunt; sed etiam *in* illis quae possunt *imaginari esse*... Unde distinguitur modus, quo Deus est ubique, et quo aliae res, quibus aliquo modo competit esse ubique. Nam huiusmodi dicuntur esse ubique, quia sunt *tantum* in his quae sunt et *praesentia* sunt; Deus autem *non solum* in his quae sunt, sed etiam *in imaginatis*, et in praeteritis, et in futuris... Unde cum *hoc modo* solus Deus sit ubique, solius Dei est proprium esse ubique » (Quodl. 11, q. 1, a. 1, c).

431. — II. *Immensitas et ubiquitas comparantur.* Ubiquitate restrictius sumpta pro *omnipraesentia*, i. e. pro actuali ad *actuales* res praesentia, eius ab immensitate notemus discrimina:

1) *Immensitas* est attributum *absolutum*, necessarium, aeternum, immutabile; verbo: *independens* a creatione omnique hypothesi. *Ubiquitas* autem quid *relativum* est; contingens, temporale, mutabile; verbo: *dependens* a creatione mundi, ab eius duratione, ab hypothesibus.

2) *Ubiquitas* consignificat actualem rerum locorumve exsistentiam, sine his enim actu exsistentibus nec ubiquitas restricta exsistit pro Deo;

unde haec in hypothesi *non creationis* praedicari de Deo nunquam potuisset. *Immensitas* autem, cum nec actuales res nec decretum creandi consignificet, etiam nihilo extra Deum exsistente aut exstituro, ab aeternitate verissime de Deo praedicatur, cum absolute exigat ubique esse; nec coram mundo modificatur aut in se movetur; moventur *res*, quae (si fiant) sistunt ubi iam Deus erat ideoque compraesentes Deo fiunt. Deo ipsi nova tunc enascitur denominatio « omnipraesentis », Deus enim *rebus actualibus* praesens tunc *primo* est; exactius: res Deo praesentes tunc *primo* sunt. *Denominatio realis* quidem est; extrinseca tamen nec ullam Deo realem addens relationem.

432. — 3) Hinc: *a*) *Immensitas* est *fundamentum* omnipraesentiae, seu Deus rebus praesens ideo redditur, *quia* essentialiter exigebat quod, si res fierent, praesens eisdem esset, vel res Deo praesentes essent; igitur *attributum* immensitatis recte a nobis exprimitur (extrinsecatur) per exigentiam non permittendi ut quidpiam absolutam Dei infinitamque praesentiam fugiat. *b*) Ubiquitas autem, ut synonyma omnipraesentiae, quid formaliter *correlativum* est, duo *actualia* dicens: *Deum* praesentem alicubi; *creaturam* in qua Deus praesens et quasi externatus sistat. *Immensitas*, in se absoluta, more adhuc *correlativi* concipitur dicentis duo: α) *Deum* praesentem; β) *spatium absolutum* (ideale), *cui* Deus *ab aeterno* suam dicitur exhibere praesentiam, et in quo, rebus iam natis, eisdem tempore fit praesens (ut supra).

4) Brevi: conceptum sive ubiquitatis sive immensitatis duo ingrediuntur correlata: Deus et spatium *reale* pro ubiquitate; Deus et spatium *absolutum* pro immensitate. In *reali* spatio, rebus iam actu exsistentibus, Deus habet *omnipraesentiam;* in *absoluto* (rebus non exsistentibus) Deus est per immensitatem, sed non habet omnipraesentiam.

433. — III. *Genuina immensitatis natura. — Non involvit potentialitatem.* *Exigentia* ut..., determinatio ad, etc. *potentialitatem* sonare videntur, unde aliquid Deo incohaerens. Verum immensitas non est *aptitudo* ut per loca Deus realiter sese diffundat, neque corporee per suas partes, neque invisibiliter nunc unum deinde aliud corpus spatiive partem invadens. Videlicet: interna ad ubiquitatem determinatio ex parte Dei in actum infinitum immutabiliter reducta ab aeterno reperitur; unde cum mundus tempore nascens partem absoluti spatii in *reale* spatium convertit, Deus *incipit* quidem esse mundo praesens, omnipraesens, quin tamen aliquid divinae immensitatis primo nunc in actum reducatur, seu quin aliquid τοῦ ubi *divini aliter* se nunc habeat quam prius; novitas externa tota; ubi antea *solus* aderat Deus, evenit et res esse; cum autem hae spatium reale faciant, Deus iam in reali spatio est. Si in lumineo mari infinito globus immergitur, novitas erit globi incipientis esse in luce (novitas *intrinseca*); sed et lux ipsa sine motu ad novum ubi adhuc esse in globo incipiet (novitas extrinseca).

434. — IV. *Adversarii.* 1. *Aristoteles* de vera Dei immensitate aliquid in Libro I. de caelo innuit; in « Libro de mundo » (dubiae authentiae) Deum, ut Plato, extra ambitum ultimi caeli collocat.

2. Pro *Manichaeis* Deus infinite sed per tres solum quadras diffunditur, quarta enim eius praesentiam terminat, Deum a Malo separans, i. e. a tenebris.

3. Pro *Vorstio* calvinista (quem quidam e suis necnon e catholicis sunt secuti) Deus per *cognitionem* et *operationem* ubique est, per *substantiam* autem in caelis dumtaxat. Hi opponuntur tribus praesentiis (Cfr. *Schol. II*).

4. Newton et Clarke *veram* Dei immensitatem, quae est indivisibilis, destruxerunt, ipsam cum absoluto reali spatio identificantes.

435. — *Prob.* 1. *Ex infinitate* Dei (1): Deus, essentialiter sibi exigens τό esse infinite perfectum, etiam modum τοῦ esse in *omni* linea perfectum exigit. Atqui in linea *ubi*, esse per *immensitatem* modus perfectus est, perfectio simpliciter simplex. Ergo Deus est immensus.

Mai. Habetur in probatione ipsa infinitatis; nec enim *limitans* ullius generis assignari potest.

Min. Esse *ubique* tam inexhauribiliter praesens, ut ipsum fugere nihil possit, evidenter *perfectionem* sonat, vim arguit *infinitam.* Atqui aliunde 1) cum modo τοῦ esse nobiliori non pugnat; 2) nullam formaliter imperfectionem involvit. Ergo est perfectio simpliciter simplex.

Ad mai. Praesentia e se exigua extensionem impedit dominii directi; praesentia e se infinita eamdem infinitat; sicut exsistere a se sine initio et fine dominium dat infinitae durationis nobilissimae, extra quam durare nihil possit.

Ad min. 1) Est enim modus praesentiae e se *infinitae* sensu *absoluto* (ut supra). Ergo *nobilior* praesentiae modus ne concipi quidem potest.

2) Imperfectio esset aut contactus *quantitativi* e sua diffusione, aut dependentiae a materia, aut *augmenti* in rerum incremento, aut similium. Atqui talia, propria quidem praesentiae *circumscriptivae*, non sunt propria praesentiae ut sic, nec *repletivae* immensitatis, cum haec nonnisi *indistantiam* dicat rei ad rem (esse ibi ubi alia res est, aut esse potest). Ergo formaliter seu de se esse ubique imperfectionem non involvit.

436. — *Prob.* 2. *Ex operatione Dei:* Deus substantialiter praesens esse tenetur ubicumque immediate operatur. Atqui Deus *a*) immediate ubique rerum operatur; *b*) et in infinitis mundis, quos in diversis spatii partibus condere potens est, *per seipsum* immediate operaretur. *Ergo* Deus rebus locisque praesens ita est, ut eius praesentialitas nec ab iisdem iam exhausta sit nec ab aliis exhauriri unquam possit. Ergo Deus ubique est, *immensus.*

Min. a) Res enim, quas produxit, in esse semel recepto iugiter conservat, immediate cum ipsis operando concurrit. Ergo Deus ubique *per seipsum* operatur. *b*) Habetur ex *omnipotentia* Dei.

Mai. Actio in distans ne Deo quidem concedi potest. Ergo ubi Deus per seipsum operatur (i. e. non mediante altero), saltem per virtutem praesens esse tenetur, hinc etiam per *substantiam,* quae in Deo cum virtute *identificatur.*

Ad ant. Ratio pugnantiae actionis in distans oritur, non ex *limitatione* praecise virtutis activae sed ex *generali* notione causalitatis et effectus, ex hoc nempe quod causa ibi, ubi effectus nascitur, non praesens, pro effectu illo esset quasi simpliciter non *exsisteret*, unde nec effectus esset *effectus*, deficiente fieri *sub influxu* alterius. Nempe lex haec: « causam, quo perfectior est potentiorque, in distans eo melius agere » non exsistit, exsistit autem Cosmologica lex quod quaevis causa in distantiam agit *nullam* (est inductio). Ergo implicatio actionis in distans valet etiam *pro Deo;* i. e. non solum pro causa *finita* sed et pro *infinita;* pro causa ut sic.

---

(1) *Immensitas* ex etymo negationem sonat *mensurae* sicut infinitas; usu tamen et *realiter* ad lineam *ubicationis, loci, spatii*, restricta ab *entitativa* infinitate separatur; haec sine illa concipi formaliter potest. Hinc contra theologos quosdam utrumque confundentes (ut ipse enarrat) recte Alb. M. tenuit per immensitatem aliquid *addi* essentiae.

437. — *Observa.* Argumentum *ex operatione* Dei a Palmieri, Scoto, aliisque inefficax duplici ex causa dicitur: 1º Quia ad summum probaret *omnipraesentiam* Dei, non *immensitatem;* 2º Quia actionem in distans etiam pro Deo pugnare *assumit*, cum id non liceat. Sed probatio utrumque solvebat.

438. — *Scholion I.* Res potest alicubi tripliciter esse: *Circumscriptive, Definitive, Repletive.* 1) *Circumscriptive* (seu *dimensive, quantitative, localiter*) quando tota est in toto et pars in parte loci et spatii, a quo res tunc dicitur *circumscribi;* corpora extensa in loco. 2) *Definitive* (i. e. limitate et *illocaliter*) quando res tota est in toto et tota in singulis alicuius spatii partibus, nec extra illud; res dicitur tunc a spatio *definiri*, v. g. anima in corpore humano, spiritus in loco. Est modus *minus strictus*, verus tamen, praesentiae (illocalis) in loco et spatio. 3) *Repletive* (illocaliter, simul illimitate, interminate) cum res tota in toto totaque in singulis adest spatii partibus, quin a loco spatiove definiatur unquam, e se praesentiam sine fine protendens; solus Deus.

439. — *Scholion II.* Deus tripliciter est in rebus: Per *essentiam*, per *praesentiam*, per *potentiam.*

1. *Per essentiam,* in quantum *substantia* ipsa Dei praesens rebus est, i. e. a rebus indistans, seu quin rem inter Deique esse spatium intercedat. « Secundum vero substantiam vel essentiam dicitur aliquid esse in loco, in quo eius *substantia* habetur » (S. Th.).

2. *Per praesentiam,* in quantum divinus intellectus res omnes actu contemplatur, omnesque sibi praesentes sic habet, seu « in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius » (S. Th.); unde supra omnes quasi vigilans, omnium providentiam habet. Modus hic praesentiae cum *absentia substantiali* de se conciliatur: « omnia quae sunt in aliqua domo, dicuntur esse praesentia alicui, qui tamen non est secundum *substantiam* suam in qualibet parte domus ».

3. *Per potentiam,* in quantum Deus res active creat omniumque esse et operari rursum active conservat, complet. Vel etiam sic: « Est in omnibus per potentiam, in quantum omnia eius *potestati* subduntur ».

440. — *Observa.* 1º Dicta formularum acceptio apud theologos Patresque classica est. Exstant et aliae plus minus propriae (fere mysticae) pro adiunctis utiles, philosopho innecessariae. 2º Ex his modis ad formalem *Immensitatem* solus primus pertinet, quasi otiose indistanter *entitative* sistendi, secundus proprie ad *Omniscientiam,* tertius autem ad *Omnipotentiam* (1). 3º Est *et alia* praesentia, secundum quam Deus *in iustis* inhabitat per *gratiam;* circa formale huius praesentiae constitutivum non satis theologi conveniunt.

441. — *Scholion III. De operatione* Dei in creaturis, quae fuit secunda probatio, *duae* moventur quaestiones sedulo separandae: *a)* Utrum immensitas Dei exinde ut e loco *intrinseco* seu per *formalem* consequentiam efficaciter concludatur. Consequentia enim *materiali* id evidenter obtinetur, sic: qui unum habet attributum infinitum, *operationem,* necesse est ut et *alia* habeat infinitata; unde *immensitatem;* dubium igitur de *formali* solum consequentia esse potest, i. e. utrum e sola *operatione* (cum praecisione a reliquis) immediate formaliterque *necessitas* sequatur immensitatis entitativae. Etiam sic *affirmative* esse respondendum evincebat probatio secunda; cuius efficaciam clariores (contra paucos) tenuerunt Scholastici (Cfr. v. g. Suarez, Disp. Met. 30, s. 7); recentes passim, etsi minime probent immensitatem

(1) *a)* « Id, quod *proprie* ad immensitatem pertinet, hoc tertio continetur » (per Essentiam), *Liberat.*, « Theol. », n. 44. *b)* « Agimus de *inexsistentia* Dei in loco per *Essentiam* », *Tong.*, Theod., n. 67. *c)* « Liquet immensitatem et ubiquitatem *primo* modo tantum contineri » (per Essentiam), *Palm.*, Theol., th. 16 in fine. Similiter alii. Igitur esse per potentiam seu per *operationem immensitatem* formaliter non constituit. « Alter declinandus error ille est, qui divinam immensitatem in hoc tantum reponit, quod res creatae scientiae divinae et *potentiae* subiciantur. *Opinatio* haec immensitatem Dei *oratione relinquit, re autem tollit* » (Liberat., Ibid.). Similia apud *De San.* Sed de his statim.

Dei hoc argumento fere *exclusive* fundari, cum et alia suppetant expeditius suasiva. *b*) *Altera* quaestio est utrum praesentia Dei, ad attributum immensitatis stricte pertinens, *formaliter* ex operatione Dei constituatur, an ex mera *indistantia* Dei ad res. De hoc agit sequens propositio, ubi et de alio modo immensitatem concipiendi.

§ II. — *De ratione formali substantialis praesentiae Dei ad res.*

PROPOSITIO XXIII. **Quod Deus rebus locisque mere praesens per essentiam sit, formaliter in indistantia consistit essentiae ad res et loca, minime autem in operatione. Quod insuper Deus in re et loco, ut in loco quadantenus sit, id quidem per operationem Dei in loca et res ab Aquinate declaratur.**

442. — *Praenotanda. St. q.* Prima pars essertiam determinat divinae praesentiae *ut sic* (necnon spirituum) i. e. praesentiae merae quasi ad formale praedicamentum ubi pertinentis, ideoque ad immensitatem qua talem; videlicet quid illud sit definit, quo praecise verificato, sine alio iam Deus per essentiam rebus formaliter praesens sit, quo deficiente non sit. Solutionem tenemus obviam nec minus sensui christiano quam Patribus communiorique theologorum conformem. Porro metaphysicae rationes (generales), dum Deo applicantur, alterandae non sunt neque propria denudandae forma, seu ab uno in aliud ducendae non sunt praedicamentum; porro sub quavis eminentia elevationis unaquaeque ratio (analogica) propriam rationis ut sic lineam servare tenetur. Ceterum positio primae partis non excludit *operationem* Dei ut condicionem *sine qua non* praesentiae formalis. Sine rebus enim praesentia ad res dari nequit, nec nisi Deo operante res dabuntur. Sed hoc posito, in naturam inquirens praesentiae mere substantialis (seu per *essentiam*) statuit: sicut ordinarie ex hoc *solo* iam habetur, quod unum ibi sistat ubi aliud est, etiam in Deo ex hoc *solo* haberi; in operatione autem ipsa nec formaliter consistere nec *proxime* fundari; unde si (per impossibile) Deus in rebus operari nunc cessaret (angelis *activa* officia committens), rebus esse praesens minime cessaret; utique in altera sententia.

443. — Videlicet: plures scholastici, nullo adhibito sensuum discrimine, praesentiam Dei ad loca (in genere spirituum) in operatione ipsa formaliter reponunt; ut per prius ad eam spiritus corpori praesens locisque dici non possit. Quia vero idipsum D. Thomae adiudicant, in parte 2ª phraseologiam Aquinatis declarantes affirmamus S. Doctorem neque priori propositionis parti contradicere, neque secum pugnare, cum aliquando ait spiritus esse in loco (v. g. empireo) sine eo quod in illum *operentur*, aliquando autem eosdem in loco per *operationem* esse. Iam nec erit dicendus suam in Summa retractavisse sententiam (1).

444. — *Prob.* 1ª *pars.* 1. Spirituum ad corpora praesentiam *operatione* perque posterius ad ipsam proxime et *formaliter* constitui impossibile est.

---

(1) Sive rem sive Aquinatis animum vere attigisse videtur clarus inter primos peripateticus *De San* (ut taceam Kleutgen, Liberat., Schiff. plurimos alios), qui ostensa doctrinae inconsistentia, deinde textus ipsos, apparenter illis faventes, ex professo declarat ut de *speciali* praesentia agentes, de aliquo nempe praesentiae ut sic *superaddito* (De San, « De Deo Uno », n. 134).

Etenim angelus in corpora agens, Deus active res conservans, *per prius ad operationem*, aut a re distant, aut secus; i. e. aut erant in ea parte spatii ubi operatione nunc tangunt rem, aut non erant ibi, ubi... (non datur medium). Atqui si distant, operari non possunt (actio *in distans* pugnat); si non distant, iam hoc ipso formaliter praesentes rei sunt; praesentia enim est indistantia rei a *re*. Ergo *per prius* ad operationem praesentia aderat, ideoque per operationem ipsam formaliter non constituitur; aliquid esset *ante* sui constitutionem.

445. — *Corollarium.* Ergo id, quod spiritui ex operatione supra res accedit, non est praesentia mera, sed huic *additum*, i. e. esse in corpore et loco, *quodammodo ut in loco* (S. Th.) quodammodo *sicut dimensive, aut condimensive*, penetrando active et velut extensive corpus; quod sane plus ait quam mera praesentia, cum tamen quaestio, tota quanta, de mera esset praesentia, non de *imitatione* praesentiae *corporeae*.

446. — *Prob.* 2. Deus est in rebus *per* essentiam, *per* praesentiam, *per* potentiam, sensu classico declarato (n. **439**). Atqui in alia sententia Deus in rebus non esset *per essentiam*. Ergo reicienda est.

Min. Praepositio *per* in his significat rationes *formales*, sub quibus Deus vere in rebus est. Atqui iuxta eos essentia praesens non est *per seipsam*, sed *per operationem*. Ergo non salvant esse *per essentiam*.

Si ais: Cum operatio sit *essentia*, etiam essentia est *praesens; Resp.* non sufficere ut essentiae praesentia reipsa salvetur, si *per formalitatem* essentiae non obtineatur; ad id autem opus est ut essentia de se aliquam fundet praesentiae classem. Videlicet: quia *per rationalitatem* homo est discurrens; etsi *animalitas* reipsa rationalitas sit, male hominem discurrere dices *per animalitatem*, aut *per* animalitatem esse liberum, etc. A pari.

447. — *Prob.* 3. *a*) Formalis ratio perfectionis in uno praedicamento sistentis per formalem rationem notae in altero positae praedicamento non constituitur. *b*) Nec formalitas *unius attributi* cum formalitate *alterius* confundenda est. Atqui utrumque ab illis committitur. Ergo...

Min. a) Formalitas praesentiae, praedicamenti *ubi*, formaliter constitueretur per formalitatem *operationis*, praedicamenti *actionis* aut *qualitatis*. *b*) Formalitas *attributi* Immensitatis cum formalitate attributi Omnipotentiae confunditur, cum Deus *operans* affirmetur formaliter *immensus;* aut saltem Deus immensus quasi effectus formalis affirmetur Dei *operantis*. Ergo formalitates duarum sive praedicamenti sive attributi linearum indebite miscentur.

448. — *Confirmatur.* Fixa formarum lex haec est: ut rem reddant formalitate indutam efficaciaque *in linea* non extra lineam formae; hinc formalis effectus *coloris* est rem *coloratam* reddere, non v. g. mollem; sic intellectus est reddere ens intellectivum, non autem volitivum, etc. Ergo effectus formalis *operationis* est reddere ens *operans*, sed non aliud; reddere rem alteri praesentem erit proprium formae *praesentiae*, ab operari distinctae.

Si ais 1º: in Deo, ubi formalitas ipsa *essendi hic* vel ibi non datur, forsan aliter se res habent. *Resp.* dari in eo formalitatem essendi hic et alibi *simpliciter* (licet *non localiter*), ex forma quidem *propria;* prout et *datur* in Deo *durare* et *condurare* (etsi non durare *successive*) ex propria *aeternitatis* forma.

Si ais 2º: Deum alicubi esse non posse per contactum *entitatis*, sed per contactum *virtutis* solum. *Resp. a*) Si contactus intellegatur circumscriptivus

materialis, sic *neutro* modo est ullibi; si *spiritualis* utroque modo ubique. *b*) Si *entitative* nequit, nec *operative* poterit; *operatio* et entitas in Deo aeque spirituales sunt. *c*) Contactus virtutis praesupponit entitativum (Cfr. *Prob.* et *Obi.*).

449. — *Pars* 2ª. *a*) *Declaratur.* Testimonia D. Thomae in concordiam adduces, si advertas *tres* ab eo distingui sensus modosve, iuxta quos aliquid in locis rebusque praesens esse queat: 1) Esse in loco *proprie* idem pro eo est ac esse in loco ut *in loco*, i. e. circumscriptive, dimensive, resistive; quo quidem pacto nonnisi corpora *proprie* in loco sunt, spiritus nec entitative nec operative. 2) Esse *in loco quodammodo ut in loco*, pro ipso sonat esse ibi definitive, nec mere tamen *pureque definitive*, sed adiuncta imitatione modi *dimensivi*, in quantum spiritus aut per operationem aut simili officio singulas pervadit *active* corporis partes ipsasque velut circumscribit, si est angelus vel anima limitate, si est Deus illimitate. Atque hoc pacto Deus est in rebus locisque omnibus, angelus in lapide quem movet, in puero quem ducit; hic sane modus habetur *per operationem* vel aequivalenter, non *per merum* inesse. 3) Esse in loco *non ut in loco* nec *quodammodo ut in loco* est esse ibi ubi est locus; est mere indistare, i. e. esse ibi nec circumscriptive, nec ulla eius *imitatione*, sed simplicius cum *mera spirituali praesentia*. Huc facit praesentia angelorum in caelo empireo sine operatione (ap. S. Th.), caelum enim immobile, immutabile ponebant.

450. — *Observa.* Triplex haec praesentia vere est *relativa realis*, i. e. praesentia *rei ad rem*, de qua solum quaestio nunc movebatur. De praesentia in spatiis imaginariis separatim infra (§ III).

451. — *b*) *Probatur* (2ª *pars*). Idiomate sic intellecto, loca varia apte concordant; secus aut retractatio aut oppositorum acceptio inevitabilis redditur. Ergo quoties aut spiritus non esse in loco velut in loco, aut etiam simpliciter in loco non esse nisi ex operatione, apud Aquinatem legitur, haec non de mero *esse ibi*, sed de esse ibi *quasi localiter* intellexisse dicendus est.

452. — *Obi. I.* Spiritus, si in corpus non operetur, *nullibi est;* cum operatur incipit ibi, ubi corpus est, esse. Ergo praesentia spiritus alicubi formaliter in operatione consistit.

R. N. Ant. totum. Immo *per prius* ad operari esse tenetur ibi ubi est corpus, non quidem ut in loco sed utique *per meram* praesentiam (Cfr. n. **444**).

Inst. Nullatenus esse ibi tenetur: « Non enim est inconveniens ut... in *nullo loco* esse dicatur; sicut etiam... quod nullo *colore* coloratus dicatur ». Ergo...

R. D. Ant. Et his intendit *nullibi* esse posse, in nulla scilicet spatii absoluti parte, *N.* in nullo *loco facto*, i. e. per actualia corpora constituto, *C. Ant.* — *N. c.* Hinc verissime tenet angelos, *antequam* corpora exsisterent, creari potuisse atque exsistere; tunc evidenter non *essent in loco;* ideo ait illos *extra* caelum, extra loca esse; nec erant tamen nec ait fuisse *extra absolutum* spatium, intra quod sane sive caelum sive *extra-caelum* cadebant.

453. — *Obi. II* (Inst.). Corpus quidem, ut hic operetur, hic tenetur per prius esse ob pugnantiam actionis in distans; pro spiritu autem haec non urgent. Etenim potest incipere *hic* esse tunc praecise et quia per prius incipit hic operari, v. g. Deus creans. Ergo initialem spiritus ad corpus praesentiam ex ipsa enasci operatione in corpus non pugnat.

R. N. 2ªm *p. Antec. D. rat.* Tunc et ideo incipere potest hic esse per praesentiam *absolutam* seu intransitivam, *N.* Per *relativam* seu transitivam, *Sd.* In operationibus conservationis aliisque praeter creativam, *N.* In creativa, *Sd.* Per accidens,

i. e. ratione *corporis* tunc primo exsistentis, *C.* Per se seu ratione *operationis*, *N. rat.* — *D. par. c.* De Praesentia ut sic (ad spatium absolutum), *N.* De *relativa*, *Sd.* Pro spiritibus et pro Deo conservante, *N.* Pro Deo creante, *Sd.* Per accidens et indirecte, *C.* Per se et directe, *N. c.* Seu: non pugnat ut ex operatione creativa tunc primo consurgat (condicio) *terminus* ad τό esse hic relativum *necessarius*, *C.* Ut consurgat *formalitas* ipsa relativae praesentiae, *N. c.*

Explico. Duo in his distinguenda: praesentia *absoluta* et relativa. Ne Deus quidem creare hic potuit terram, quin per prius in hac absoluti spatii parte ipse inveniretur (praesentia absoluta), quia actio in distans pugnat. Quaestio tamen de sola est *relativa* praesentia; iam ad creandum *hic* Deus non tenebatur (nec poterat) per prius *relative* praesens esse hic, cum hic *nihil* exsisteret; neque de hoc quaerebatur sed de constitutivo relativae praesentiae cum haec datur; hanc autem probavimus consistere in esse *ibi ubi* res sunt; ad quod certe cum res requirantur operatione quoque creativa opus est absolute ac initio; deinde rebus iam exsistentibus nulla est exigenda operatio ut spiritus dicatur vereque sit rebus praesens.

454. — *Obi. III. Spiritualis* substantia a *quantitate* eiusque sectariis absolvitur, v. g. ab esse *in loco*, habere *situm determinatum*... Ergo in loco et spatio *vere* non est nisi aut *operando* aut *informando* illud, quod vere in loco est et in spatio (Remer, n. 64).

Resp. argumentum varie deficere: 1) Fatetur rationem praesentiae non in operatione *solum*, sed in *aliis* quoque consistere, quae operatio non sunt; igitur e cardine exit quaestionis, quae supra disiunctionem movetur tota. 2) Si ratio pro substantia *spirituali* valet, non minus pro virtute valebit ac *operatione* aeque *spirituali*, aeque a *quantitativis* absoluta; unde spiritus nec operando nec informando poterit esse vere in loco et spatio; sane *localiter* nullatenus unquam in loco esse potest. 3) Confundit situm *quantitativum* determinatum *corporis* cum ubi *determinato entis*, seu confundit esse localiter cum esse utcumque et illocaliter. Hinc 4) *R. in forma. D. Ant.* Et ideo ut consectarium quantitatis excludit esse in loco *localiter*, *C.* Esse in loco *utcumque*, i. e. mere esse ibi ubi locus est, *N. Ant.* — *D. par. c.* Nequit esse ibi *vere* i. e. ut *in loco*, *C.* (Ita enim ne *operando* quidem esse potest). Nequit esse ibi *vere*, sed *mere*, i. e. sistendo *entitative* ibi ubi corpus est, quin operetur, *N. c.*

455. — *Obi. IV.* Sicut corpora invicem praesentia per contactum redduntur quantitativum, ita spiritus ad corpora per contactum virtutis tantum. Atqui hoc significat per *operationem*. Ergo formalis ratio praesentiae spirituum est operatio.

R. D. M. Ita spiritus per exercitium virtutis tantum imitatur esse in corpore quodammodo *ut in loco*, *C.* Solum sic obtinet esse in corpore mere seu simpliciter, *N. M.* — *Ctr. m.* Significat per operationem obtineri a spiritu esse in corpore *ut in loco*, *C. Mere*, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1° Si tam difficile censeatur entitatem spiritus e se corpori inesse, seu si contactus *entitativus* (spiritualis) tam difficilis sit, *operativus* facilior non erit, cum nec minus spiritualis sit. 2° Si per operationem sibi vult *effective*, tunc: *a*) incidunt in sententiam Nominalium, in qua immensitatis attributum *effective* explicatur ac *externe*, i. e. quasi in eo consistens, quod Deus suos effectus ubique ponit non minus quam *si esset entitative* immensus. *b*) Incidunt in sententiam Scoti et Palmieri: ex operatione Dei praesentiam Dei entitativam, seu veram immensitatem, demonstrari non posse.

456. — *Obi. V.* Quodlibet est in alio per *contactum*, qui duplex est: *quantitativus et virtutis*. Atqui primus est pro spiritu impossibilis. Ergo spiritus alicubi praesens est solum contactu *virtutis* seu per operationem.

R. D. M. Dividendo 2um membrum: per contactum virtutis, i. e. sive per merum entitatis spiritualis *inesse*, quod contactui quantitativo aequivalet, sive per operari, *C.* Per operari praecise, *Sd.* Ut sit in alio etiam quasi localiter, *C.* ut in eo *mere* sit, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Contactu virtutis sensus primi, hinc non per operationem, C. Sensus secundi, per operationem, *Sd.* Si sit in alio etiam *ut in loco*, *C.* Si mere sit in alio et ut mere sit in alio, *N. c.*

Explico. 1. Quid *mere et ut in loco*, dictum est. 2. Contactus virtutis duo significat: *a*) Contactum mere *staticum* quo nempe spiritus entitative *indistans* eos iam obtineat effectus praesentiae ad aliud, informandi aliud, etc., quos corpus (vel corporeum) suis partibus alteri coëxtensis obtinet quantitativo contactu. *b*) Contactum *dynamicum*, quo scilicet spiritus operans ipsosmet in alio obtineat effectus (iam dynamicos), quos corpus in aliud operans. Ad *meram* spiritus praesentiam corpori, sufficit contactus virtutis sub *a*). Ad praesentiam ut *in loco* transmitto requiri contactum virtutis sub *b*).

457. — *Obi. VI* (Inst.). Vix capitur quomodo spiritus intangibilis corpori adsit, nisi per operationem. Ergo operatio constituit praesentiam.

R. 1° *Retorqueo.* Satis non capitur quomodo *virtus intangibilis* corpus moveat, i. e. resistentiam in corpore impingat, vincat, hinc corpus tangat. Ergo spiritus corpora non movet.

R. 2° *D. Ant.* Conceptu proprio, *C.* Alieno, sufficienti tamen, *N. Ant.* — *N. cons.* — Non facilius id de operatione ipsa capitur (*R.* 1°). Capitur utique formalitatem *merae* praesentiae per *operationem* nullatenus constitui, sed per essentiam: « Dupliciter dicitur esse aliquid alicubi: *Uno modo* per suum *effectum*... *Alio* modo dicitur aliquid esse alicubi per suam essentiam » (1).

458. — *Obi. VII.* Etiam corpus, quantitate donatum, praesens alicubi est non per substantiam, sed per *contactum* quantitativum. Ergo et spiritus praesens erit nonnisi per contactum sibi possibilem, i. e. virtutis, non per essentiam (Ex Billuart) (2).

R. D. Ant. Solum sic praesens est circumscriptive et impenetrabiliter, i. e *localiter*, *C.* Etiam *mere* praesens, *N. Ant.* — *D. p. c.* per contactum virtualem *entitativum*, seu non operativum, *C. operativum*, *Sd.* quasi *localiter* erit sic solum, *C. Mere* praesens erit sic solum, *N. c.*

Inst. 1. Nullo modo sine operatione. Tunc enim praesens esset vi *immensitatis* solum. Atqui immensitas *actuales* creaturas non dicit, quas tamen praesentia Dei praesupponit. Ergo solum per operationem (Ex Billuart).

R. Ignorari elenchum (Cfr. *St. q.*).

Inst. 2. Praesentia corporis verificatur per contactum cum alio vel cum loco, qui contactus plus est quam *indistantia* utriusque. Ergo nec spiritus per meram *indistantiam* corpori praesens est (Billuart).

R. N. 2 *p. Antec.* Ut verior iam Cosmologia tenet, contactus mera *indistantia* est, in eo consistens quod inter sese tangentia interponi possit nihil. Unde extremarum compenetratio superficierum, quam in contactu evenire concipimus, revera nihil nisi mera indistantia est; immo superficies hae nihil reale positivum sunt a continuo corpore distinctum (3).

459. — *Obi. VIII.* S. Thomas (4) attribuit *imaginationi* (non intellectui) suasionem quod angelus nonnisi situaliter et in loco esse possit, sicut et phrasim « quod non est in loco, non est »; ideoque censet angelum *nullibi* esse posse, et de facto, nisi in corpus operetur, nullibi esse. Atqui sententia nostra partim in contrario nititur. Ergo amovenda.

R. 1° Aquinatis testimonium, e proprio avulsum cardine, ad rem non facere. Contra veteres materialistas meminit solum (ex Arist.) ultra phantasiae dominia aliquid phantasiam transcendens exsistere posse, nec corpore egens, nec loco, quibus adhaereat dimensiveque adaptetur; per se patet. Concludit angelos, quin adhuc cor-

---

(1) 3 p., q. 52, a. 2. — Ut Schiffini notat: per effectum seu *operationem in* inferno *damnatorum;* per *essentiam* seu substantiam in inferno *iustorum.*

(2) « De Deo », dissert. 3, a. 6.

(3) Cfr. v. g. *De San*, « Cosmologia » (1881), n. 183. — « Contactus non est nisi *indistantia duorum corporum* in hoc consistens quod ibidem ubi *desinit* extensio unius corporis, *desinit* etiam ex parte adversa extensio corporis alterius » (Resp. ad 1am p.). Olim iam Nominales contactum sic explicabant.

(4) De Pot., q. 3, a. 19.

pora essent, creari potuisse ac esse: « quod angeli potuerunt esse *ante mundum* » contra eos qui dixerunt « quod angeli absque *creatura corporali* esse non possunt, intellegentes angelos tanquam ea, quae imaginaverunt *situaliter* distincta ». Unde

R. 2. Nego *suppositum* i. e. a nobis quidpiam supponi aut admitti de angelis *localiter situatis*, aut corporum coëxsistentiam petentibus. Tenemus utique ipsos *alicubi* esse, etsi *illocaliter* solum, ac intra *absolutum* spatium; in eoque simpliciter exsistere. Clare S. Doctor: « Angeli *sunt in caelo* empireo ut in loco, qui est contemplationi congruus, non tamen de necessitate contemplationis » (ib. 4). Caelum autem empireum cadit intra spatium *absolutum, infinitum.*

460. — *Scholion I. De consequentiis.* — *De ratione adversariorum.* Contrariae sententiae quaedam sat violenta imponuntur: *a*) spiritum, si actu corpus *non moveat* (nec utcumque informet) *nullibi* esse. *b*) Deum, si supponatur in *corpora* actu non influere, *nullibi* esse. — Utrumque a ceteris improbatur: « Quae sunt, omnes existimant alicubi esse » (Arist.): « Quidquid est, *nusquam* esse non potest » (S. Aug.); unde et alii dicebant « quod nullibi est, non est », etc. *c*) Post mortem, hominis animam *nullibi* esse, nisi astra moveat. Anima, si in spatio infinito nulla designari pars queat, *in qua sit*, timendum ne simpliciter non sit. — Ubi angelicum (aiunt) non est de praedicamento *ubi;* locus *extrinsecus* solum ac ubi *circumscriptivum* ad ipsum pertinent. *Sed Resp.* 1) Qui praedicamenta ordinavit, aliter rem intellexit, nec permisit ut quidquam de his praedicatis omne fugeret praedicamentum. 2) Immo ad praedicamentum *ubi* strictius etiam magisque proprie (ut quid peculiare) pertinet *ubi intrinsecum,* praesentia scilicet parti spatii *absoluti;* locus autem *extrinsecus* plus est forma *denominans, quam* primo *constituens,* praedicamentum. Quae doctrina sive Cosmologice sive Theologice verior est. Iam a Damasceno praesentia *spirituum* creatorum *intra certos limites coarctabatur;* simul ostendit omnia creata in categoriis *spatii* et temporis esse (πού καὶ ποτέ) (1).

461. — *Scholion II.* Auctores. S. Thomas. 1° E triplici classica praesentia primam ab adversariis in discrimen adduci vidimus. Aliunde plures ab iisdem violentiae non minus idiomati quam sensui ascetico sine ratione inferuntur. Hinc sententiae nostrae ut « omnino tenendae », « multo probabiliori », doctores acriter haerent (Carmelitanis et Dominicanis exceptis) vix non omnes: *a*) explicite Bonaventura « nam praesens est aliquis alicubi, *etsi non operetur* » (2); *b*) post Suarez et Molina *c*) inter recentiores innuisse sufficiat Kleutgen, Franzelin, Tepe, Hurter, Pesch, Mendive, De Augustinis, De San, Liberatore, Piccirelli, Tongiorgi, Palmieri, Urráburu, Van der Aa, Lahousse, Hontheim, Schaaf...; quorum mentem expressit praeclare Schiffini (3). 2° Plerique Aquinatem ad suas trahere partes sollicite quaerunt, quanam fortuna dubitare licet; sat solide, ut nobis quidem videtur (4). Eminet in his post *Kleutgen* (5) cl. *De San* (6).

---

(1) De Fid. Orthod. II, 17. Cfr. Franzelin, « De Deo », p. 365, ubi: « Deus *nusquam* est *localiter*, situ, circumscriptione, limitatione ad aliquod ubi, extra quod non sit, sed ubique est sicut veritati convenit... ».

(2) 1° Dist. 37, p. 1, a. 3, q. 2.

(3) « Deus est substantialiter ubique praesens. Haec autem divinae substantiae praesentia in rebus ex eius operatione *concluditur* quidem et illustratur, proxime tamen ac formaliter ea *minime constituitur* » (Met. Spec., vol. 2, n. 441).

(4) Urráburu, ut alii, de re dubitat.

(5) *Filos. Antic.*, tr. 4, n. 353.

(6) « De Deo Uno », c. 3, pp. 320, 326-331. — « Dicimus 1°: Impossibile est dicere praesentiam a substantia spirituali loco exhibitam fundari in eiusdem substantiae operatione circa locum vel rem locatam » (p. 322). — « Dicimus 2°: Quando S. Thomas..., non intendit assignare rationem *simplicis* praesentiae a substantia spirituali loco exhibitae, sed alicuius huic praesentiae *superadditi*, illius videlicet quod alibi vocat " esse aliquo modo in loco *ut in loco* ,, » (p. 326).

§ III. — *Deus in spatiis imaginariis.*

PROPOSITIO XXIV. **Deus in spatiis imaginariis simpliciter esse dicendus est, non per omnipraesentiam seu ubi extrinsecum, sed per ubiquitatem propriam Dei, seu per ubi intrinsecum.**

462. — « Deus non solum *est* in illis, quae sunt, fuerunt, et erunt, sed etiam in illis, quae possunt *imaginari* esse » (S. Th. Quodl. 11, a. 1). — « Huiusmodi autem substantiae (Deus et spiritus) dicuntur *esse ibi*, id est, *extra* caelum » (1° de Caelo, lect. 21). — « Solius Dei proprium est, *esse extra mundum* » (Caiet. in Iohan., c. 12).

463. — *Praenotanda.* I. *St. q.* Cum cogitatione immensitatis sponte unitur cogitatio de praesentia Dei extra mundum, ut complementum prioris. Nostra affirmans solutio, virtualiter in praecedentibus continebatur. Suppositis notione et classibus spatii (e Cosmologia); *spatia imaginaria* sunt ipsum *spatium absolutum*, dempta parte ab universo occupata et quasi absoluto arrepta; quaquaversus sese protendentia concipiuntur ut capacitas infinita novas sine fine mundorum creationes in se suscipiendi. *Nihil reale* sed nec quid pure imaginarium, nec forma *subiectiva* Kantiana, sunt ens rationis cum fundamento in re. *Quaeritur* utrum et quonam sensu dici queat debeatque Deum ibi adesse. Pro multis quaestio partim ad minus de voce est (Kleutgen, Losada...); partim tamen *realem* dices, de extensione nempe τοῦ *ubi actualis*, Deo *extra universum* concedendi, vel secus: quaestio de nomine erit deinde utrum illud *ubi Dei*, si concedatur, appellari *queat praesentia ad* seu *esse in* spatiis, necne. Quaestio semper manebit de maiori saltem sermonis *obiectivitate.*

464. — II. *Sententiae.* 1ª *est negativa*, varie proposita. *a*) *Pauci thomistae* cum Capreolo, cum Scoto plures Scotistae sine distinctione respondent *negative.* Quae solutio pro illis quidem logica, tam categorice tamen formulata, non omnes praesentiam Dei in operatione ponentes in rigore cogebat; praesentiam enim per operationem plerique intellegunt de praesentia relativa *ad res actuales*, non de qualibet etiam *minus stricta* praesentia. Hinc *b*) *Alii thomistae* distinctione utuntur; stricte *proprieque* non est, attamen *improprie* ac minus stricte est; illud « minus stricte » pro quibusdam est « metaphorice », aliis amplius sonat quasi « *aliquo vero* sensu », etc.; per metaphoram enim difficile explicantur Scripturarum Patrumque sermones simpliciter *affirmativi.* Auctores sub *b*) generatim plura inexplicata, inconciliata relinquunt circa notiones de ubi, de esse in spatio, in loco, cum opus tamen sit singula determinare (1). *c*) Aliqui ex modis sub *b*) et Scotistis placent, necnon Vazquezio, Silv. Mauro, Tanner... paucisque modernis, independenter tamen a quaestione de formali ratione praesentiae, ex hoc fere capite, *quod esse in* connotet *quid reale, in quo* sit... (ita v. g. Vazquez).

2ª *est affirmativa, communior* et *verior;* sola conformis *Patribus*, qui ore Augustini universum aiunt esse quasi spongiam immersam *in infinito*

(1) In ambiguis obvolvantur necesse erit, si inter ubi extrinsecum et intrinsecum accurate non distinguant, aut ubi intrinsecum mente capere non audeant. Pro his sane quaestio sensum vix habere poterit. Eorum aequivoca a P. Hellin nitide dissoluta vide ad « Estudios Ecclesiásticos », Madrid, 15 Julio 1926, pp. 272-283.

mare spatii, *in quo est Deus*. Contrarii sermones dicuntur « vaniloquium » (Scriptura similiter passim). Sed et soli stando rationi a theologis praefertur, v. g. a Caietano, Ferr., Soto, Zummel, Struggl, Card. Ptolom.; apud auctores S. I. substantialiter *communis* semper fuit una vel alia forma. *Variae eius expressiones. a*) *Deus est ibi* praesens praesentia *absoluta*, non *relativa; b*) praesentia *fundamentali*, per quam Deus et est *in se*, et *fundamentaliter* est quoque in aliis quae ibi ponantur, non autem praesentia *actu formali*. Idipsum alii aliter: *c*) est praesens ibi *intransitive;* quatenus transire sonat *ad aliud actuale*, non est *transitive;* seu: est *realiter et vere* in spatiis imaginariis ubicatione *intrinseca* et *absoluta*, non autem *extrinseca* et *relativa*. Hac utimur formula, sed et aliae idem significant.

465. — III. *Declaratur propositio*. Propositio tandem ait Deum vi immensitatis, quae nonnisi eminens ubi intrinsecum est, *actu esse ubicumque* res creatae exsistere possunt. Hinc:

a) *Notio et classes ubi. Ubi* seu *ubicatio* entis in genere est id, vi cuius ens dicitur esse *hic;* seu est ultima entis determinatio, per quam dicitur et est sistens *hic* potius quam *alibi;* seu est id, quod constituit rem *hic*, non alibi. In creaturis est *accidens*, modaliter a re distinctum in re. *Duplex ubi* distinguitur: extrinsecum et intrinsecum. *Ubi extrinsecum* est idem ac *locus extrinsecus*, superficies ultima corporis continentis. *Intrinsecum* est *pars spatii*, quam res occupare aut cui adesse dicitur; definitur « modus, a substantia rei ubicatae distinctus, hanc intrinsece formaliter denominans esse hic, esse illic » (1). Unde *ubicatio* latius patet quam ubicatio extrinseca, quam locus; omne, quod est *in loco*, habet ubi extrinsecum et intrinsecum; sed non omne, quod habet ubi intrinsecum, est *in loco*. Sic per ubi *intrinsecum* mundus est alicubi, in tali determinata parte spatii, nec tamen est *in loco*.

466. — *b*) *Efformatio determinati ubi*. In extensione spatii infiniti partem et partem sumimus, quas *situ* distinguimus per relationem ad puncta fixa, ad polos mundi. Unde Terram esse *hic*, Lunam esse *ibi*, significat Terram in hac, Lunam in illa relativa positione respectu punctorum fixorum situari. Spatii pars *eadem*, in qua est Terra, dicitur: α) *spatium* prout ad intra sui est capacitas receptiva Terrae; β) *locus extrinsecus*, prout ad extra sui *corpus extrinsecum*, Terram ambiens, connotat; γ) *locus intrinsecus* prout est ipsum spatium a Terra iam occupatum; δ) *ubi*, prout relationem ad puncta fixa connotans, etiam praescindens a formalitatibus capacitatis et loci. Utraque ubicatio *realis* est, licet intrinseca per modum relationis *rationis* sit nobis declaranda. Extrinsecam potest res, intrinsecam non potest mutare sine intrinseca sui mutatione. Pro natura entis ubicati, utraque erit vel *circumscriptiva* (*materialis*), vel *definitiva* et *repletiva* (*spirituales*). Quoties sine distinctione dicimus: res habet hanc *ubicationem*, *hoc ubi*, intellegimus vel locum *externum*, vel situm *internum*, seu rei actuationem in parte spatii occupata.

467. — *c*) *Necessitas ubicationis intrinsecae*. Omne ens de necessitate habet ubi reale aliquod *intrinsecum;* de corporibus patet; sed et spiritus sunt *in caelo*, in inferno, in urbe; Deus est *in caelo* et ubique. 1) Pro *spiritualibus* quidam veteres in solo ubi *extrinseco* cogitarunt *circumscriptivo*, quin expresse tamen *intrinsecam* alicubi praesentiam iisdem denegarent.

---

(1) De San, *De Deo*, n. 121.

Cuius occasione (ut supra retulimus n. **460**) Augustinus « quidquid est, ait, *nusquam* esse non potest »; Aristoteles autem: « Quae sunt, omnes putant *alicubi esse* », etc. 2) *Corpora* (nemine discrepante) habent *ubi intrinsecum* circumscriptivum, et fere semper ubi *extrinsecum* pariter circumscriptivum, i. e. *locum*.

468. — *Observa. a*) Esse in loco *extrinseco* pendet a duabus contiguis ubicationibus, continentis et contenti; hinc denominatio partim *intrinseca*, partim *extrinseca* est, actualem duorum coëxsistentiam supponens; non sic de ubi *intrinseco*. *b*) Ipsam rei *ubicationem* nonnisi per ubi extrinsecum exprimimus: Petrus est domi, Papa est in Vaticano; angelus in caelo, diabolus in inferno. Ubi *intrinsecum* mathematicis calculis secundum distantias ad polum esset fixandum. Hoc ubi, quod tacere solemus, est tamen ubi *metaphysice* pro omnibus necessarium, singulis intrinsecum; sine ubi enim extrinseco res esse potest, at sine intrinseco minime. Ubi autem intrinsecum pro solo Deo conceditur facile determinare, cum Deus *ubique* sit.

469. — *Prob.* 1. Deus est actu in mundo per omnipraesentiam, quae involvit ubi *extrinsecum* alienabile sine Dei mutatione, et *ubiquitatem* intrinsecam inalienabilem. *Ergo* si mundus in nihilum vertatur, Deus, amissa omnipraesentia, conservabit ubi *intrinsecum* in ea spatii absoluti parte, in qua nunc mundus sistit. *Atqui* eadem est ratio ut in ceteris quoque spatii partibus habeat ubi intrinsecum immutabiliter. *Ergo* Deus vere simpliciterque in spatiis imaginariis est.

Mai. ant. Omne ens habet ubi *intrinsecum* alicubi (Cfr. praenot.).

Cons. a) Secus enim Deus intrinsece mutaretur, amittendo intrinsecum ubi; sicut et corpora, pro quibus est *accidens* reale intrinsecum, hoc amisso intrinsece mutantur. *b*) Secus, Deus ab illo ubi iam distans novum ibidem non posset condere mundum (actio in distans pugnat). Atqui potest. Ergo illud ubi non amisit.

Ad mai. b) Si esset indistanter ab illo, esset ibi; haec duo idem sunt ut in prob. 3ª ostendetur.

Ad min. Secus enim nec actualem mundum creare potuisset ex paritate rationis; seu ubiquitas propria Dei aeque se habet ad omnes spatii partes quoad ubi intrinsecum.

470. — *Prob.* 2. Mundus vere et simpliciter *est nunc in spatio* per intrinsecam ubicationem circumscriptivam corpoream. *Atqui* tamen *spatium, in quo* mundus dicitur *esse*, non est *aliquid reale*, a *mundo distinctum*, adhuc est aliqua capacitas ut ibi aliquid sistat. *Ergo* a pari Deus sua ubicatione spirituali vere et simpliciter dicendus est esse in toto spatio, etsi id nihil reale sit a Deo distinctum, sed adhuc capacitas ut sive corpora sive spiritus suo quodque modo ibidem sistant.

Mai. in se evidens, damnatio est sententiae seu placiti locum exigentis ad hoc ut aliquid *alicubi* esse dici queat; mundus enim evidenter caret *loco*, cum corpore sibi *extrinseco* careat, cuius ultima superficie claudatur, attamen mundus est *in spatio*. Ergo ad hoc ut aliquid alicubi esse dicatur, esse in spatio, *intrinseca* sufficit ubicatio.

Minor constat e Cosmologia. *Conseq.* et paritas stat non quoad *speciem* sane ubicationis (extra quaestionem), sed utique quoad hoc, quod spatii non realitas nullatenus obstat ut de aliquo vere dicatur *esse in spatio*.

471. — *Prob.* 3. Deus, creans Terram, in hac habuit praesentiam formaliter relativam. *Atqui* tunc erat insuper absolute ibi, ubi ponenda erat *Luna. Ergo* Deus est in spatio absoluto.

Min. Terra *distabat* ab illa parte spatii respondente futurae Lunae, quantum nunc Terra distat a Luna. Atqui actio in distans pugnat. Ergo ut erat praesens Terrae per ubi intrinsecum et extrinsecum, erat et in spatio Lunae per ubi *intrinsecum.*

Ad mai. Duo tunc distare dicuntur, quando *inter illa* poni possunt corpora dimensiva, eoque magis distant, quo plus extensi interponi potest. Atqui Terram inter et spatium Lunae poni tunc poterant plura corpora extensa. Ergo *distabant,* ut nunc distant.

472. — *Nota.* Exigere actualia corpora inter duo puncta, ut haec distare dicantur, est sententia Cartesii, deinde Balmes, Bayma..., iuxta quos distantia duorum corporum, inter quae nihil corporis adest, *nulla* est, illa se *tangunt* seu contigua sunt. At Cosmologia ostendit ea solum se tangere, *inter quae* nec adest nec *adesse potest* aliud corpus aut res extensa. Distantiam Lunae a Terra mensurans, ad corpora actu interposita non attendit, attendit *solum* ad *longitudinem lineae,* a Terra ad Lunam perductae; sic et in distantiis ad Solem, Martem...

473. — *Prob.* 4. *E S. Thoma.* S. Thomas carpit Alexandrum (Aphrodisium), qui (Aristotelem glossans) contra Stoicos dixit vacuum *extra caelum* non dari, eo quod secus brachium quis *extra caelum* protendere posset, cum tamen omnes dicant non posse, propterea quod corpus caeli *impassibile* sit nec receptivum alicuius extranei. « Oportet aliter dicere,... quod manum suam *extra* (caelum) extendere non posset,... non propter extrinsecum impediens, sed quia de natura omnium corporum naturalium est (nempe lex physica) quod contineantur infra extremam circumferentiam caeli, alioquin caelum non esset *universum;* unde si esset aliquod corpus, quod non deberet a corpore caeli sic contineri, id nihil prohiberet *esse extra* caelum, sicut substantiae *spirituales,* ut infra dicetur... Non potest dici proprie quod caelum sit ibi, id est, extra caelum. Et ideo convenientius est quod hoc intellegatur *de Deo et de substantiis separatis...* Huiusmodi autem substantiae *dicuntur esse ibi,* id est, *extra caelum* non *sicut in loco,* sed *sicut non contenta* nec inclusa sub continentia corporalium rerum, sed totam corporalem naturam excedentia » (1° de Caelo, lect. 21). Unde ita: Pro S. Thoma corpus, brachium, ideo non potest esse extra caelum, quia lex physica vetat ut *extra universum* sit aliquid; sed si de facto brachium extenderetur, *ubicaretur ibi* in spatio extra caelum; immo de facto spiritus *sunt ibi extra caelum.* Atqui illud spatium nihil *reale* est, a brachio et a spiritu distinctum. Ergo iuxta S. Thomam aliquid *vere est* et ubicatur in eo, quod nihil actuale est.

474. — *Corollarium* 1. Ergo quod alicubi *contactu* quantitativo est, ut Petrus, *plenius* ibi est, quam sine illo; est enim ibi et est in *loco* extrinseco; seu non solum est *ibi,* sed etiam in *alio* corpore. Id tamen *totum* non exigitur ut aliquid simpliciter *sit in spatio,* nec tamen *in loco.* Etiam spiritus *plenius* alicubi est, si contactu *virtutis* ibidem est, sive operando videlicet, sive compraesentia mera *spirituali,* et virtualiter quantitativa. Tunc enim spiritus non solum *est in aliqua* spatii parte, sed ibidem est *quasi ut in loco* sive per operationem, sive per praesentiam *relativam* formalem sine operatione; hoc autem plus est, quam simpliciter ibidem *absolute* esse.

475. — *Corollarium* 2. Ergo universum, in spatio cum *ubi suo intrinseco* sistens, licet *proprie* non sit ibi *ut in loco*, dici tamen potest esse ibi ut *in suo loco*, quasi extrema universi eiusdem superficies ab universo decisa, *extra* universum velut posita, universum involveret. « Dato quod tota machina mundi esset *unum* corpus continuum, non tamen propter hoc posset imaginari quod esset *ubique*, sed in *uno loco* tantum; quia totum illud, in quo esset, acciperetur *pro uno loco* » (Quodl. 11, q. 1, a. 1, ad 6). Igitur esset (improprie) *in loco*, etsi *extra* illud nihil esset involvens, quod a mundo quantitative tangeretur.

476. — *Obi. I.* In nihilo nihil esse potest. Atqui spatium est nihil. Ergo *in illo* Deus esse nequit.

R. 1° *Retorqueo.* In nihilo nihil esse potest. Atqui spatium absolutum nihil est. Ergo mundus non positus est in spatio nec est in spatio.

R. 2° *D. M.* Ut *in loco* seu per ubi *extrinsecum*, *C.* Ut *in spatio* mere seu per ubi mere intrinsecum, *N. M.* — *Ctr. m.* i. e. non est *res*, in qua *localiter* aliquid esse possit, aut cui aliquid ut accidens inhaereat, *C.* Non est res, sed nec tale, in quo aliquid vere ubicari ut mere in spatio possit, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Ut aliquid vere pronuntietur *esse in*, non semper et pro omni sensu eaedem petuntur condiciones. *a*) Ut color sit in corpore, aqua in vase, *res in loco*, exigitur quid reale a re contenta distinctum. *b*) Ut corpus, ut mundus, sit vere *in spatio*, sufficit ut continens *cogitetur* ad modum capacitatis receptivae, cum assignabilitate partium in ea a punctis fixis varie distantium; v. g. Terra est in alia, Luna in alia spatii parte, tamen spatium *in quo* de se nihil est a corporibus distinctum; ita et spiritus definitive, Deus repletive.

477. — *Obi. II.* Spiritus potest esse *nullibi* absolute; immo ante mundi creationem spiritus *nullibi* erant, et cum a S. Thoma dicuntur esse extra caelum, *nullibi* sunt. Ergo Deus ante creationem *nullibi* erat in spatiis imaginariis. *Prob. ant.* Nam partes spatii absoluti sunt imaginariae, proin nihil. Ergo esse ibi, est esse *nullibi*.

R. N. Ant. quoad singula. *Prob. dist.* Non sunt corpus actuale, in quo quid *locari* possit, *C.* Sunt solum ens rationis, *Sd.* Purum et pure subiectivum, *N.* Cum fundamento in re sufficienti, ut vere dicantur capacitates, respectu quarum res dicantur vere *ibi esse*, *C.* Videlicet extra caelum non est nisi spatium absolutum, attamen iuxta Aquinatem cum Patribus angeli et Deus ibi sunt, ideoque habent *ubi*, ubicationem *intrinsecam*.

478. — *Nota.* 1) Adversarii respondere tenentur *materialistis* acatholicis sic arguentibus: Iuxta Patres cum Augustino, iuxta graves omnis aetatis theologos, « quod nullibi est non est ». Atqui iuxta alios theologos « spiritus nullibi sunt; proin anima post mortem nullibi est ». Ergo in catholicorum principiis, si S. Augustinus non fallitur, anima non est *immortalis*. Explicent etiam *Purgatorium*, Infernum, pro spiritibus nullibi exsistentibus. 2) Dubia circa spatii occupati magnitudinem, circa spatium *punctuale*... cui spiritus insint, quomodo haec cuique proportionentur, etc. in tractatu de Angelis; nobis sufficiat illos *alicubi* esse posse, et de facto esse. 3) Obiectiones aliae in anteriori thesi; pleraeque enim utrique communes sunt.

Articulus II.

de immutabilitate dei

Propositio XXV. **Deus est in se sive physice sive moraliter prorsus immutabilis.**

479. — *Praenotanda.* 1º *Notiones. Immutabile* est incapax mutationis suae; omnino immutabile, incapax omnis mutationis suae, seu immutabile in omni ordine. Atque haec absoluta immutabilitas intellegi posset aut de intrinseca solum, aut sive de intrinseca sive de extrinseca mutatione; nunc de intrinseca solum sonat. Immutabile opponitur mutabili, ut immutatio mutationi. Iam

Mutatio est transitus rei ex uno statu in alium, seu ab uno in alium terminum; v. g. transitus terrae ex arida in humidam, herbae in carnem. Ad mutationem *proprie dictam*, in qua « aliquid *idem* debet aliter se nunc ac prius habere », quatuor requiruntur: *a*) Terminus *a quo* (status qui relinquitur) est id, *a quo* res transit; v. g. ariditas, forma herbae, sunt terminus *a quo formalis;* aridum, herba, sunt terminus *a quo concretus. b*) *Terminus ad quem* (status qui acquiritur) est id, ad *quod* res transit; humiditas, forma carnis (termini formales); humidum, caro (termini concreti). *c*) *Subiectum idem*, quod ab uno in alium transit terminum, terra eadem, herba eadem (quoad materiam). *d*) *Transitus* seu ipsum transire, motus, conversio. — *NB.* Horum vel uno deficiente, mutatio erit impropria; ad 4um attendi non solet, cum sit ipsa mutatio.

480. — 2º *Classes mutationum.* 1) *Extrinseca* et *intrinseca. Extrinseca* ea est, per quam res, quin aliquid acquirat entitatis aut amittat, adhuc mutata *dicitur*, eo quod ob alterius cum ipsa connexi mutationem, nova quoque ipsimet *denominatio* accedat; v. g. quia e parte columnae dextra ad sinistram veni *per veram* mei mutationem (quoad ubi), *columna* ipsa, in se quidem immutata, adhuc *mutata* denominatur; prius ad sinistram mei, nunc *ad dextram* consistit mei; campus ante non visus nunc a me visus nuncupatur, etc. Similia dicuntur mutatio abusive solum, nec enim aliud sunt nisi transitus mere a non respectu ad respectum, ab uno in alium respectum. Qui aut accedens aut recedens respectus, vel *a*) est utrimque realis, et tunc arguit mutuam realem dependentiam; vel *b*) ex alterutra parte est *rationis*, et tunc arguit dependentiam unius ab alio, sed non huius ab illo; quia vero relationem alterius *terminare* posse, nulla aut imperfectio aut dependentia est, hoc transeundi genus cum Deo non pugnat. Mutatio autem *intrinseca* ea est, per quam res *in se* mutatur, ut in exemplis supra.

2) Mutatio *intrinseca* subdividitur in *propriam* et *impropriam.*

Propria, si in transitu aliquid *physice idem* manet in uno et alio extremo; eadem substantia (in accidentalibus); eadem materia prima (in substantialibus); verbo: si reale aliquod *subiectum* remanet *idem.*

Impropria, cum nihil *physice idem* in utroque extremo remanet v. g. *creatio*, per quam res e *nihilo physico* ad *totum esse* physicum transit.

481. — *Observa.* In impropria quoque aliquid metaphysice idem concipitur, mutationi obnoxium, nempe *quidditas* rei, quae e possibili transit in

actualem; similiter in annihilatione; et hoc ipso quod in his *identitas* deficit *subiecti* in utroque termino *physici*, mutatio *metaphysica* potius dicitur.

3) Alia adhuc exstat mutatio, quam moralem appellant: transitus ex uno in alium statum *volitivum*, i. e. ex uno in aliud *consilium*, ex volitione in nolitionem; etiam in casu, quo nullam secum *physicam* afferret mutationem.

NB. Ceterae mutationis intrinsecae subdivisiones in praesentiarum inutiles essent.

482. — *St. q.* Pars prior omnem Deo interdicit *intrinsecam* mutabilitatem et quoad esse, praecipue tamen *propriam* (impropria manifesto cum ente a se pugnat); altera autem pars vel ipsam pure moralem mutabilitatem prohibet.

483. — *Prob.* 1ª *pars:* « Deus est physice immutabilis ».

1º Deus, quia est ens a se, *essentialiter* est quidquid est, seu quidquid est essentia est. *Atqui* in ente tali mutatio intrinseca vetita manet. *Ergo.*

Mai. alibi est declarata (1ª et 3ª via).

Min. Mutatio eveniret vel per *accessum* novae entitatis aut per *recessum* possessae entitatis. Atqui ens totaliter essentia utrique aeque essentialiter opponitur. Etenim: *a*) entitas *accedens* non posset esse *essentialis*, secus enim *semper* in Deo fuisset nec advenire posset, igitur non esset *Dei. b*) *Recedens* non posset esse *essentialis*, secus enim pergeret esse in Deo; igitur non esset Dei. Ergo ens totaliter essentia, *mutari in se* non potest.

484. — 2º Deus actus *purus*, privationes ignorat necnon potentialitates. *Atqui* physica mutabilitas utrasque involvit. *Ergo.*

Min. Dicit enim posse aut *novum* acquiri, aut partem sui *amitti.* Atqui neutrum habet sensum sine privatione alicuius, sine potentialitate ad aliquid. Ergo mutabilitas physica privationes involvit cum potentialitate.

485. — *Pars* 2ª. « Deus est etiam *moraliter* immutabilis »; i. e. ex una libera volitione, quam de facto habuit, in aliam oppositam Deus transire nequit, v. g. ex « volo creare » ad « nolo creare »; ex « volo te salvare » ad « nolo te salvare »; Deus sese retractare nequit aut incipere velle id, ad quod indifferenter se prius habebat. Evidenter non quaeritur de volitione *sui ad intra*, de amore sui absolute necessario, sed de *libera* rerum *ad extra* volitione; voluit enim creare, sed libere. Utrumque, se et mundum, unica entitative volitione amat, sed cum terminatione ad mundum *contingente*, seu ita *ut potuerit* loco huius terminationis « volo mundum » habuisse contrariam « nolo mundum » (modo infra declarando). Nunc dicimus: semel posita terminatione ad « volo mundum », sese retractare nequit per « nolo mundum », etiam in hypothesi quod retractatio verificari posset sine *entitativa* ulla mutatione. Videlicet; in nobis mutatio *consilii* involvit semper novitatem actus, atque hinc mutationem *physicam;* in Deo contrarium possibile a multis censetur. In hac hypothesi, 2ª pars est quid *novum* de immutabilitate etiam *pure morali.* In alia hypothesi, retractatio evidenter violaret *primam* partem, ex qua sola iam exclusa maneret.

486. — *Prob.* Deus decretum mutaret aut ob cognitionem de novo illustrantem, aut ex mera voluntatis inconstantia. *Atqui* neutrum. *Ergo* etiam *moraliter* immutabilis est.

Min. 1ª *pars.* Deus est actu infinite *sapiens* (prop. XVI). Ergo nova lucidiorve notitia, profundior rerum penetratio, sensu carent.

2ª *pars.* In *volendo* Deus perfectissimus est (prop. XIV, XVI). Atqui *versatilitas* vel in ente minus perfecto dissonat; seu consilium sine nova *ratione* retractare, etiam homini indecorum. Ergo magis Deo.

Brevi: Deus se retractaret aut cum nova ratione aut sine nova ratione. Atqui 1um arguit ignorantiam, 2um velleitatem. Ergo non se retractat.

Dices: Quaedam suspensio ante consilium *definitive* sumptum admitti in Deo poterit; prudentiam decernentis commendare solet.

R. N. Ant. — *Rat. D.* Suspensio prudentiam commendat *per se*, *N. Per accidens*, i. e. sub defectu scientiae extensivo-intensivo, *C.* — rat. — Si *unico intuitu* omnia intime penetrentur nec periculum adsit velleitatis, suspensio inutilis est. Vel inter homines, ceteris paribus, eo quis laudabilior, quo in decernendo promptior.

487. — *Obi. I.* Deus *movet se;* seu prima causa primusque motor *mobilis* est (Plato). Atqui quod movet se, mutatur. Ergo Deus est mutabilis.

R. D. M. Movet se latissime, in quantum *vivit* immanenterque operatur, *C.* Alio sensu, *N. M.* — *Ctr. m.* Quod movet se *largissime*, mutabile est sensu latissimo, *N.* Quod se movet aliter, *Tr. m.* — *N. c.*

Explico. Correlatio mutationem inter et motum exsistens non tanta est, ut acceptionibus « motus » totidem respondeant acceptiones « mutationis ». Permisso quod immanens Dei *operatio motus dicatur*, quia tamen sine ullo obtinetur *transitu*, nulla etiam latissima *mutatio* est nec dici potest.

488. — *Obi. II.* Deus ex non creante factus est creans. Ergo *physice* mutatus est.

R. 1º *D. Ant.* Deus ex *nolente* creare factus est *volens* creare, *N.* Cum ab aeterno actu *creator* non esset, in tempore devenit *actu* creator, *Sd.* novum quid *interne* in se recipiens, quo ab aeterno careret, *N.* per positionem termini *extrinseci*, *Sd.* unde flueret pro Deo nova denominatio extrinseca, *C.* unde flueret pro Deo nova denominatio *intrinseca*, perfectio absoluta aut saltem relativa, *N. Ant.* — *D. par. c.* Ergo mutatus est *extrinsece* denominative, *C. Intrinsece* entitative, *N. c.* — *R.* 2º Brevius: *D. Ant.* per actionem immanentem, *N.* per transeuntem, *Sd.* quae recipitur in passo, *C.* in agente, *N. Ant.* — *D. p. c.* Creatura, *C.* Creator, *N.* vel *Sd.* extrinsece, *C.* Intrinsece, *N. c.*

Explico. Creativa Dei operatio, prout in Deo, liberum est aeternumque creandi decretum, nunquam retractatum. Quando sub illo mundus in tempore fit, actio creativa seu formalis creatio, quae est fieri mundi, tota recipitur in passo, quod perficit, Deum intactum relinquens (motus est in *mobili* non in movente ideoque perficit mobile). Adhuc quia mundus, sub creatrice exoriens vi, realem sui ad Deum relationem (dependentiae) nunc fundat, realis pro Deo ipso enascitur denominatio (extrinseca) *Creatoris*, *Domini*, *Gubernatoris*, in rebus quidem internam arguens novitatem (transitum a non esse ad esse), ipsimet autem Deo intrinsecum (aut absolutum aut relativum) superaddens nihil.

489. — *Obi. III* (Inst.). Actus creativus est perfectio Dei. Atqui in tempore accedit Deo, secus ab aeterno esset creans. Ergo Deus mutatur.

R. D. M. Est perfectio aeternae volitioni identica, *C.* Ab hac distincta, *Sd.* quoad *terminum*, ut *actio* in mundo recepta, *C.* quoad *principium* in Deo exsistens, *N.* vel *Sd.* Ut novitas novum *intrinsecum* addens, *N.* Ut novitas *novam extrinsecam* addens denominationem, *C. M.* — *Ctr. m.* Ut actus *Deo* intrinsecus, *N.* Ut actus mundo intrinsecus simul Deo afferens *extrinsecam appellationem*, *C. m.* — *D. p. rat.* Si actu creare consisteret in sola volitione, *C.* Si actuale fieri creaturae involvit, *N. rat.* — *N. c.*

Explico. Aliud est *volitio* mundi, aliud *creatio.* Primum sine mundo actuali subsistit, sic ab aeterno; alterum, quia actualem involvit creaturam, tempore contingit. Idem ac de immensitate et omnipraesentia.

490. — *Obi. IV* (Inst.). Per creationem accedit Deo *ius proprietatis* in mundum, quod sane perfectio est. Ergo Deus mutatur creans.

R. N. A. Ius actuale proprietatis *ab aeterno* erat in Deo, tamen *actu proprietarius* erat solum *exigitive* et *hypothetice*. Posito mundo, iam *absolute est proprietarius;* sed nova denominatio nihil addit perfectionis perfectioni iuris aeterni; seu ab aeterno exigebat ut entia *participata*, si essent, sibi subicerentur (ius ipsum); sed nominatio *absoluti* seu actualis proprietarii res petit actuales subiectas, ideoque temporanea solum et *extrinseca* est.

491. — *Obi. V*. Deus est *moraliter* mutabilis. Nam 1) decreverat leges naturae *fixas* esse. Atqui per miraculum illas mutat. Ergo se retractat. 2) Diversis temporibus contradictoria vult: Petrum voluit fidelem, deinde permisit negantem; Iudam voluit Apostolum, deinde permisit traditorem, tandem damnatum. Ergo ex uno in aliud velle Deus transivit.

R. ad 1) *D. M.* Decreverat leges fixas *absolute, N.* hypothetice, seu cum exceptionibus, *C. M.* — *Ctr. m.* Miraculum facit ut fixitas, qualis ab aeterno eis erat decreta, cesset, *N.* Facit aliam nunquam volitam exsecutioni non mandari, *C. m.* — *N. cons.*

Ad 2) *D. Ant.* i. e. *actu unico* vult, permittit, diversa pro diversis temporibus et adiunctis, *C.* Ea vult per *diversos* actus, quorum unus alium retractet, *N. ant.* — *N. cons.*

492. — *Obi. VI* (Inst.). Decreta libera, v. g. « volo mundum », ita sunt, ut non esse potuerint. Atqui sunt perfectio. Ergo perfectio aliqua a Deo afuisse potuit; proin intrinsece mutabilis est (saltem partim *contingens*).

R. D. M. Quoad *entitatem* actus, *N.* quoad eius *terminationem* ad mundum, *C. M.* — *Ctr. m.* entitative sumpta, *C.* terminative ad extra sumpta, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Volitio Dei dupliciter est consideranda: *entitative* in se, et *terminative* ad mundum. *a*) *Entitative* est necessaria indefectibilis perfectio; *b*) *terminative* dicens *mundum* et prout talis, cum nec *alia* perfectio sit, defecisse potuit *extrinsecus*, i. e. ex defectu mundi (Cfr. n. **939**). In omni igitur hypothesi Deus manet immutabilis. *a*) *Physice* ex dictis; *b*) *Moraliter*, quia terminatio ad mundum de facto posita, retractari nequit. — Plura de his infra.

493. — *Obi. VII. Ex scientia Dei.* Ens, cuius scientia *variatur*, variabile est; neque enim scientiae novitas sine intellectus variatione explicatur. Atqui scientia Dei de facto variatur. Ergo Deus est mutabilis. *Prob. Min.* Deus scivit enuntiabile « Christus *naturus est* »; deinde scivit « Christus *nascitur* »; nunc autem « Christus *natus est* ». Similiter circa omnia tempore succedentia. Atqui in his habetur transitus ex uno in aliud iudicium seu veritatem. Ergo scientia Dei variatur.

R. Tr. Mai. eiusque ratio. Nos id infra concedemus in studio *connexionis* inter variationem *terminationis* scientificae et *entitatis* in Deo (Cfr. n. **841**). — *N. m.* — Ad prob. *D. M.* Deus talia scivit ad modum *enuntiabilium* compositorum in eius intellectu efformatorum, *N.* Ad modum *simplicis intuitus*, temporis differentias simul contemplantis, simulque videntis distantem cuiusque enuntiabilis verificationem, *C. M.* — *Ctr. m.* Efformare nunc unum, aliud deinde enuntiabile est ex uno in aliud transire, *C. Uno intuitu* plurium verificationem contemplari successive venientem, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. a) Deus *unico* intuitu omnes videt temporum eventuumque differentias sive necessariorum sive liberorum (ex parte causarum). *b*) Qui intuitus, subiective et obiective immobilis, semper idem enarrat: pro *tali* tempore *hoc est*, illud *erit*, hoc tertium *fuit;* pro *alio* tali tempore hoc erit, illud est, tertium fuit, etc.; exacteque singula a parte rei successive verificantur. *c*) Intuitus ille, nec *diversa* efformat enuntiabilia aut simul aut successive, nec *unum* per compositionem et divisionem; est enim simplex perceptio, licet perfectissime iudicativa (De Verit., q. 2, a. 13, ad 7).

PROPOSITIO XXVI. **Creaturae autem in se ipsis varie mutabiles sunt; unde intrinseca immutabilitas solius Dei est.**

494. — *St. q.* Progressus consistit: *a*) in *exclusivitate* perfectionis; *b*) in maiori perfectionis actus puri declaratione a contrario.

495. — *Prob.* 1. Omnis creatura est *contingens.* Atqui contingens dicit mutabilitatem in se; transit enim a non esse ad esse, et absolute transire potest ab esse ad non esse. Ergo omnis creatura est intrinsece mutabilis. Et quia mutatio haec *ex alio* ei advenit, quod sic mutatur a S. Thoma nominatur mutabile per potentiam, quae est *in alio;* in seipsa enim potentiam transeundi a non esse ad esse sui res aliqua habere non potest.

496. — *Corollarium.* Ergo solus Deus est actus purus quoad esse et non esse per potentiam *in alio;* quia solus Deus est *a se.*

497. — *Prob.* 2. Omnis creatura in suo esse iam recepto infinitas suffert mutationes sive ex operatione propriae *activitatis* varie, sive sub *passiva* sua receptivitate effectuum ab externis promanantium energiis. Ergo creatura mutabilis etiam est per potentias (activo-passivas), quae *in ipsa* sunt.

498. — *Corollarium.* Ergo solus Deus est actus purus quoad potentias activo-passivas aliquid in *seipso* accipiendi, amittendi; quia solus ipse est infinitus in ratione entis.

499. — *Corollarium ex tota thesi.* Ergo solus Deus est actus purissimus sine ulla passiva potentialitate aut ab extra aut ab intra explebili.

500. — *Scholion. Curnam homo a fine defectibilis,* in re scilicet tam gravi mutabilis, egregie apud Aquinatem: Quae *ex natura* operantur (irrationalia) a debito fine deficiunt solum deficiente natura; ex *voluntate* operantibus (rationalibus) vices naturae gerit *bonum et finis;* seu: sicut irrationalia ex natura moventur ad operandum *naturaliter,* sic rationalia ex bono et fine ad operandum *voluntarie. a*) Si iam aliqua voluntas *indefectibiliter* ab his moveatur, a rectitudine operandi non deflectet; sic si a bono et fine quod sit *volentis natura* (nemo enim *seipsum* non necessario amat); unde voluntas Dei, pro qua bonum est *sua natura,* a rectitudine operandi non deflectit. *b*) Cum autem humanae voluntati bonum et finis (ultimus) non *volentis natura,* sed aliquid *extra ipsam* sit, evenire poterit ut in sui amore ita fixetur, ut hoc solo contenta, ulterius progredi nolit, unde a rectitudine operandi declinare poterit et a fine obtinendo (1). Qui libertatis *effectus,* nos a ceteris et a Deo separans, infelix sane privilegium, proprie *defectus* est libertatis *nostrae, a perfecta* libertate (Dei) seclusus.

ARTICULUS III.

DE AETERNITATE DEI

PROPOSITIO XXVII. **Deus est aeternus, et sua aeternitas; immo ipse solus proprie aeternus est.**

501. — *Praenotanda.* Quod *immensitas* respectu divinae *ubicationis,* id *aeternitas* respectu *divinae quandocationis; per immensitatem* Deus modo

(1) Cfr. S. Th., « Comp. Theol. », c. 113.

eminenti et exclusivo *adeo ubicatur*, ut ab ipso res nulla *distare* possit; per aeternitatem *sic durat*, ut res omnis eidem *condurare* teneatur. Sicut autem locorum extensiones sine extensione ubicatio simplex replet, ita etiam temporum successiones sine successione duratio indivisibilis comprehendit. Ad mirum hoc durandi genus accedere, quantum licet, nunc intendimus.

Notiones. — Duratio. — Eius classes. — Natura aeternitatis.

502. — Aeternitatem in linea *durationis* reperiri negare non licet, etsi aliunde duratio talis pro nostro captu valde elevata sit. *Duratio* est perseverantia entis in essendo; eo enim longior pronuntiatur maiorve duratio rei, quo res ipsa in exsistendo plus perseverat, sive interea de perseverantia agatur contingenti et successiva, sive de necessaria et sine successione.

503. — *Duratio increata* et *creata*. *a*) *Increata* (imparticipata) propria est entis *a se* ideoque necessaria et immutabilis non minus quam Dei quidditas, quae est esse; appellatur *aeternitas*. *b*) *Creata* propria est entis *ab alio* (participati) proin absolute contingens ac mutabilis sicut eius esse, quod non est sua quidditas; in spiritibus *aevum*, in corporibus est *tempus*. Hinc duratio triplex: *Tempus*, *aevum*, *aeternitas*.

1º *Tempus* est duratio creata *formaliter successiva*, corporum exclusiva, quibus solis motus physicus in eoque successio competit. In quanam corporis parte tempus proprie adsit, in *Schol. I* dicitur; nunc brevi: *a*) Stricte proprieque in accidentibus corporeis, in quantitate, qualitate, latione. *b*) *Minus* stricte in substantia et mutationibus substantialibus (quae in rigore instantanee peraguntur).

Tempus « Numerus motus secundum prius et posterius » (Arist.) essentialiter deque facto *successionem* dicit; de iure (seu de capacitate) etiam initium et finem; *de facto* initium habuisse certo constat (contra Arist.); quamvis autem id nesciremus, i. e. vel sub hypothesi temporis sine initio, in tempore ob eius *successionem* (sic S. Th.) initia finesque sumere potuissemus per mensuras diei, horae...; hinc tempus in omni *hypothesi terminis* subicitur, seu sive de iure sive de facto terminos habet (saltem in *partibus* determinabilibus intra continuum successivum).

2º *Aevum* est duratio creata spirituum, non formaliter successiva, sed simul; dicitur quoque duratio *aeviterna* et *aeviternitas;* motus physicus ei non inest, unde nec intrinseca partis et partis *successio*.

504. — *Nota* 1. Durationem angelicam, quia accidentaliter angelus mutatur, quadantenus in se *successivam* multi dicunt; vera tamen *successio* continua (deficiente *motu physico*) adesse ibi nequit, ubi ex uno in aliud transitus instantanee fit.

Nota 2. Virtualis quaedam successio in duratione substantiae angelicae adest late talis, in quantum *singulis* momentis angelus absolute *defectibilis* est; hinc secundum momentum velut succedit primo, tertium secundo... cum quadam metaphysica compositione praesentis momenti cum potentia τοῦ non esse pro sequenti; per quod solum iam *a duratione Dei essentialiter* separatur. Hinc in rigore successio durationis *substantialis* in Angelo non exsistit; si (ut alii censent) ne variatio quidem accidentalis, tunc de *toto esse* angelico valeat illud: « Esse angeli... est *variatione* carens, et ideo *aevum* prius et posterius non habet » (S. Th.).

Ex dictis aevum *successionem* non habet; *initium* de iure et de facto habuit; *finem* neutro modo habebit; adhuc nunquam est duratio infinita *actu* sed potentia, i. e. sicut initium habuit, ita limitem a parte post in quolibet momento habet, etsi non definitivum, sed sine fine *naturaliter* protrahendum.

505. — 3° *Aeternitas.* Est duratio increata *tota* simul; initium, finem, successionem, tres has imperfectiones essentialiter excludens, nec successionem propriam solum, sed et impropriam; cum enim aeternitas absolutae entis immobilitati identica sit, motum in se nec proprium nec minus proprium permittit. Unde aeternitas est *nunc stans;* « *nunc fluens* facit tempus, *nunc stans* facit aeternitatem » (Boët.). *Nunc* singulare semper durans, in quo nec praeteritum nec futurum, sed solum praesens; in absoluta enim immobilitate *prius et posterius* accipere non datur sicut nec mensuras; concipimus tamen illud quasi ab extrinseco per tempus absolutum commensurari, per tempus imaginarium, infinitum, cui aeternitas adaequetur; sicut immensitatem in se indivisibilem, cum absoluto spatio velut commensuramus.

Aeternitas definitur a tota Schola cum Boëtio « Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio ».

Explicatur. 1) « *Interminabilis* » i. e. vitae, cui termini undequaque prohibentur ex ipsa entis immobilitate; seu: est duratio et de facto et de iure limites repellens.

2) « *Vitae* », i. e.: *a*) duratio haec immobilis non habetur in esse v. g. marmoreo, ubi facilius perfecta immobilitas concipitur; sed in esse *viventis*, quod essentialiter motum *mutationemque* sonare videtur; at in Deo non sic. *b*) Quasi diceret: duratio Dei debet esse quoad actum *perfectissimum*, seu perseverantia in actu perfectissimo. Sed *vivere* est perfectius quam mere esse. Ergo duratio sit in *actu vitae;* « Et quia *vivere*, *magis* habet rationem actus, quam *esse*, ideo forte definit (Boëtius) aeternitatem *per vitam*, potius quam *per esse* » (S. Th. 1° Dist. 8, q. 2, a. 1, ad 3). *c*) « Vitae » sive in actu primo sive in actu secundo; in Deo enim *substantia* vivens et *operatio* vitalis unum idemque sunt: « Vivere viventibus est *esse*, utique *substantiale* »; i. e. esse substantiale in creatis est vita in actu primo, at in Deo est vita in actu secundo.

3) « *Possessio* ». *a*) Ponitur « possessio », non « duratio », quia « duratio dicit (nobis) quandam *distensionem* ex ratione nominis... », quae distensio in Deo non est. *b*) Dicitur « possessio » « *metaphorice* ad significandum *quietem* divini esse; illud enim dicimur *possidere*, quod *quiete* et plene habemus, et sic Deus possidere vitam suam dicitur, quia nulla inquietudine molestatur » (S. Th., *l. c.*). *c*) Igitur possessio plus dicit quam mera vitae indeficientia, dicit indefectibilitatis conscientiam [conscietatem], quae fundet imperturbatam quietem, gaudium plenum de tanto bono, tam perfecte possesso.

4) « *Tota simul* », i. e. non possessio successiva *unius* nunc, *alius* deinde vitae partis (id in nobis); vivere divisim imperfectio est, a vita Dei elongata per « tota simul »; quae vox significat hic non praecise « totum partibus conflatum », sed « cui nihil deest » ad plene quietam vitam. « Tota simul » dicitur adhuc, in quantum indefectibilitas absoluta interdicit punctualia illa angelicae durationis momenta: *nunc* vivo, finire tamen potui in *anteriori nunc* (ut supra).

5) « *Perfecta* »; *a*) quia est *a se*, a nemine ut merces data; *b*) sine ullo

accidente, sine ulla *defectibilitate;* *c*) plena, infinita. Quibus divina vita duratioque a ceteris plane secernitur, ut patet; unde « perfecta » hoc loco fortiter *differentiale* est.

506. — *Nota* 1. *Aeternitas* etiam aliter, etsi minus exacte, minus adaequate, sic: *a*) Deus *sempiternus*, qua carens initio et fine. *b*) Deus *immortalis*, qua *essentialiter* oppositus desitioni τοῦ esse. *c*) Deus, ens *incorruptibile*, in quantum incapax perire, aut corruptione *per se*, ut homo, bellua, planta; aut corruptione *per accidens*, ut anima belluae, plantae. Utraque incorruptibilitas naturaliter et nostrae animae competit, sed aliter, i. e. *participate*, naturaliter, ut enti incompleto; Deo autem imparticipate, essentialiter ut enti completissimo.

Nota 2. In aeternitate notio « tota simul » nos vincit, ut Patres notarunt; vix dicere audemus (tenemur tamen): in illa vita nec praeteritum adest nec futurum, sed solum praesens; ex habitu nempe durationem ut *successivam* perpetuo percipiendi, tam forti ut *Aureolus* noluerit aeternitatem esse *durationem*. Certo tamen scimus Deum *durare*, quia in esse et quidem perfectissimo perseverat; ideoque conceptus durationis, nuper memoratus, deficiens est et restrictus, in Deo corrigendus.

507. — *Prob.* 1ª *pars.* 1º Deus est in se absolute *immutabilis* (prop. XXV). *Atqui* non aeternum cum immutabili non cohaeret. *Ergo* Deus est aeternus.

Min. Nam habere aut initium, aut finem, aut successionem, est habere *transitum* a non esse ad esse, ab una in aliam partem durationis et esse. *Atqui* ab uno in aliud transire est *mutari*. *Ergo* esse immutabile involvit esse aeternum.

2º *Deus est a se* simpliciterque in perfectione infinitus. *Atqui* tale ens essentialiter aeternum est, seu initio, fine, successione carens. *Ergo* Deus est essentialiter aeternus.

Minor. Quod *a se* est, ignorat 1) *initium;* « quidquid enim *incipit* exsistere causam sui efficientem habet », non est a se; 2) *finem;* quia cum sit *quidditative* exsistens, ipsum aliquando cessare esse, significaret quidditatem cessasse esse quidditatem, aut quidditatem sine sui constitutivo dari; utrumque aeque absonum; 3) *successionem;* quia est actus purus. Atqui *successivum* in singulis momentis est *in potentia* ad partem vitae novam durationisque, qua prius carebat, proin est actus *non purus*, sed potentialitati privationique admixtus, proin finitus semper. Ergo ens a se et infinitum aeternitatem dicit.

508. — 2ª *pars.* « *Deus est sua aeternitas* ». *Prob.* Deus aeternus est sua quidditas et *suum esse* (prop. XIII, formulae). *Atqui* esse Dei est vita divina essentialis et plena, tota vita Dei seu *aeternitas Dei*. *Ergo* Deus aeternus est sua aeternitas. Porro in Deo concreta et abstracta *idem sunt;* Deus est Deitas... (prop. XVII). *Ergo* aeternus est sua aeternitas.

509. — 3ª *pars.* « Solus Deus *proprie* aeternus ». *Prob.* Aeternitas in sua definitione durationem dicit cuiusdam *essentialiter* ac *immutabiliter* exsistentis (Cfr. n. **505**). *Atqui* praedicata haec solius Dei sunt. *Ergo* proprie aeternus solus Deus.

Min. Creatura 1) *contingenter* solum exsistit; 2) dum exsistit, esse substantiale habet *defectibile*, singulis momentis absolute in nihilum vertibile. Ergo creatura nec a parte ante nec a parte post perfecta vita est ac interminabilis.

510. — *Improprie* vero etiam alia sunt *aeterna.* 1° *Spiritus* et anima humana vivent in *aeternum*, i. e. sine *termino* a parte post. 2° Immo nonnulla, licet corruptibilia, adhuc aeterna nuncupantur ex *longa* duratione (S. Th.), v. g. montes *aeterni* (« Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis » Ps. 75, 5), de pomis collium *aeternorum*... 3° Quaedam, eo quod in suo esse et operari ad Dei *immutabilitatem* plus accedunt, v. g. beati in fixa visionis Verbi operatione vitam *aeternam* habere dicuntur, seu inde beatitudo est vita aeterna. 4° *Ignis* inferni dicitur aeternus, solum qua *interminabilis* in duratione (notat S. Th.), non propter *immutabilitatem* poenarum, « ad nimium *calorem transibunt* ab *aquis* nivium » (Iob, 24, 19). Unde in inferno non est *vera aeternitas*, sed magis *tempus;* secundum illud (Ps. 80, 16): « erit *tempus* eorum in saecula » (1 p., q 10, a. 3, 2).

511. — *Scholion I. De praesentia temporum in aeternitate.* Aeternitas Dei reliquas durationes eminenter duobus continet modis: 1° In quantum *producit* entia aliter durantia sive cum motu physico, ut corpora in *tempore*, sive sine motu, ut *aeviterna;* in quantum igitur omnes producit formales creaturarum durationes, effective aequivoce omnes continet. 2° In quantum nihil in seipso formaliter durat, quin aeternitati conduret. Nec arbitreris tamen tempora in unum indivisibile colligata *realiter formaliter* in aeternitate coniungi; formaliter enim *successivum* nonnisi *successive* perque partes exsistit nec una eius pars retrotrahi et cum alia compenetrari potest; ideoque ab aeternitate excluditur. Unde *a*) quidquid aut tempore aut aevo exsistit, etsi aeternum non sit, aeternitati *realiter toti* vere coëxsistit (cum haec *indivisibilis* in se sit). *b*) *Omnia tempora* aeternitati semper et actu *praesentia esse* significat: α) *in aeternitate* ipsa, entitative sumpta, nihil aut praeteritum aut futurum sed praesens totum esse; β) eidem aeternitati, qua est successive praesens singulis temporibus, singula entia coëxsistere; γ) singula pro vice fluentia Deum *uno* intuitu fixo semper actu *perspicere;* ideoque singula ab aeterno praesentia sunt Deo *intentionaliter* pro *intuitu*, ad tempora realia terminato; qui quidem intuitus, sine compositione aut divisione iudicativus, unum semper pronuntiat: id in mundo *erit*, adhuc non est in *hac* temporis differentia; id in mundo *fuit* in *tali* temporis differentia, in hac alia *non est;* id *est* pro *hac* differentia. *c*) Quod etiam ab aeterno physice Deo praesentia singula sint aut compraesentia, excludetur in prop. XLII. Secus enim: 1° Uno *momento* realiter exsisterent longa *tempora*, phases rerum contradictoriae; pugnat. 2° Deus esset *ab aeterno* Creator, Gubernator...; haec tamen *tempore* adveniunt Deo (S. Th.) (1). 3° Vel secus Deus *nunquam* vere creasset, pantheistice potius quae ab aeterno sibi realiter praesentia erant, in tempore ad mundi partes transferret mera aut separatione aut emanatione.

512. — *Scholion II. Quid S. Thomas ad rem.* Non semel ait quidem « Omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia » (1 p., q. 14, a. 3); sed sensum explicat: « Tamen Deus non dicitur *fecisse* res *ab aeterno*, sicut *scivit* ab aeterno; quia operatio significatur ut exiens ab operante in operatum vel factum; et ideo non potest dici Deus *esse faciens* nisi aliquando *aliquid fit.* Sed *scire* quamvis etiam *exteriorum* sit, non est tamen eorum nisi secundum quod sunt *in sciente per sui similitudinem; et ideo* secundum condicionem *scientis* et *non sciti*, dicitur Deus *ab aeterno* scivisse etiam quae *non ab aeterno fuerunt* » (1° Dist. 35, q. 1, a. 5, ad 3). *Brevi: intentionaliter* quidem immo per prius ad intentionem et obiective in actu primo omnia ab aeterno praesentia sunt Deo, realiter autem minime. Quae rerum intuitui praesentia (notat Aquinas) non est α) mera *intentionum*, quidditatum seu rationum praesentia; sic enim ipsa mera possibilia praesentia sunt non intuitui, sed simplici *in-*

(1) Cuius rationem sic Angelicus proponit: « Relatio, quae fundatur super aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo nisi *ex tempore*, sicut Dominus, Creator et huiusmodi; quia huiusmodi relationes *actuales* sunt, et exigunt *actu esse utrumque extremorum.* Sicut ergo non dicitur operari in rebus ab aeterno... » (1° Dist. 37, q. 2, a. 3, c).

tellegentiae; nec est β) aliqua praesentia typorum *exemplarium...*, sed γ) *specialior* quaedam obiectivo-intentionalis praesentia propria omnis *intuitus* aut *visionis*, quae quidem visio semper ad res *physicas* terminatur « prout sunt in sua praesentialitate » *reali;* hoc discrimine quod noster intuitus ad illas terminatur *tunc solum cum physice exsistunt*, nec prius nec posterius, eo quod esse intuitus a physica earumdem actuali efficientia *pendeat; divinus* vero intuitus, cuius esse a physico rerum influxu *independens* est, subsistere in suo esse possit ut *verus intuitus* (ad physicas res in seipsis terminatus seu ad physicam earumdem praesentialitatem) etiam *ante* et *post* physicam rerum in se exsistentiam.

NB. Plenius de his in tractatu de futuris (prop. XLII).

513. — *Obi. I.* Aeternum habet mensuram, aeternitatem. Atqui mensurari Deo non competit. Ergo Deus non est aeternus.

R. D. M. Propriam vel impropriam, realem vel rationis, *C.* vel *Tr.* Praecise propriam vel realem, *N. M.* — *Ctr. m.* Proprie et realiter, *C.* Ne improprie quidem et secundum conceptum, *Sd.* per quid extrinsecum et terminatum, *C.* per quid sibi intrinsecum et infinitum, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Controvertitur utrum et qui aeternitas esse queat *mensura* et Deus per ipsam *mensuratus;* plures absolute negant, eo quod mensura *essentialiter* limitem involvat; benignior tamen magisque communis solutio distinctione (cum S. Th.) sic utitur (1): Aeternitas non est formaliter proprieque *dicta* mensura, quippe quae a mensurato realiter distingui debet, Deus autem est ipsa aeternitas; *virtualiter* tamen ac *improprie* mensura est « secundum apprehensionem nostram tantum »; nos enim omnia e creatis ad modum creatorum configurantes, in Deo ipso durationem ab esse durante separamus, *in fuisse, esse et fore* eamdem partimur, sicque divisam τῷ esse Dei superponimus. Duo tamen corrigenda statim corrigimus: *a*) distinctionem mensurae a mensurato per quasi mensuram; *b*) partes in illa quasi mensura, hanc in *nunc stans* indivisibile convertentes; hinc si quaerenti quaenam sit divinae durationis mensura respondemus; est aeternitas, non Dei sed respondentis imperfectionem per haec significari clare intellegimus.

514. — *Obi. II.* De Deo praedicatur « est », sed et « fuit » et « erit ». Atqui in aeternitate datur solum « est ». Ergo Deus non est aeternus.

R. D. M. Formaliter *et intrinseca* denominatione, *N.* Virtualiter et extrinseca denominatione, *C. M.* — *Ctr. m. Formaliter* et intrinsece, *C. Virtualiter* et aequivalenter, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Aeternitas in se seu formaliter est solum *nunc*, sed nunc sine fine stans, omnibus *aequipollens* temporis differentiis, quae aeternitati coëxsistere tenentur. Hinc praeteritum et futurum cum illa comparantes dicimus: dum successive fluebat, Deus *erat;* quando fluet, Deus *erit;* sed tale « fuit et erit » ad intrinsecum nunc stans minime transferimus; cum enim hoc non fluat, in ipsomet assignare non est *prius et posterius;* id tamen ad *intrinsecum fuit et erit* omnino requiritur.

515. — *Obi. III.* Duratio Dei partibus in se constat. Ergo non est aeternitas. *Antec.* Propositiones « *Deus creavit* sed non creat; *salvabit* me sed nunc non salvat », etc. verae sunt. Atqui non essent verae, si duratio operantis Dei partibus careret. Ergo formalis duratio Dei partibus constat.

R. N. Ant. Ad prob. D. M. Sunt verae intrinsece ex parte *principii* operantis, *N.* Extrinsece seu ex parte *termini* operati, *C. M.* — *Ctr. m.* Si partes deessent sive ex parte principii sive ex parte termini, *C.* Ex eo solum quod partes desint ex parte principii, *N. m.* — *N. c.*

Explico. a) *Ex parte* actus divini Deus ab aeterno *est* creans, salvans; unicus enim *actus Dei* circa haec est *volitio* (seu decretum) ab aeterno exsistens, cum Deus

---

(1) « Aeternitas est *mensura* esse permanentis, tempus vero est mensura motus » (1 p., q. 10, a. 4, c); mensura *impropria.* « Divina magnitudo *nullo modo* est mensurabilis vel mensurata *nec ab alio nec a se*, quia mensuratio ponit terminationem... » (1° Dist. 19, q. 1, a. 1, 4...); mensura *propria* excluditur.

ipse sit; sic propositiones nonnisi in *praesenti* verae sunt. *b*) Sed quia *creatio* ipsa, stricte talis, quae non in Deo (unquam) sed in sola creatura est et recipitur (actio est in passo non in agente), non ab aeterno sed *in determinata temporis parte* realizatur, minime in aliis, ideo (i. e. ratione termini et actionis in termino) propositiones etiam in praeterito et in futuro verae sunt. Tunc etiam et non antea Deus *extrinsece* denominatur actu *creans*, tunc solum dicitur *simpliciter* creans; usus enim *actualem* exigit pro hac denominatione creaturam, nec *solum actum* ex parte Dei (Cfr. prop. LXIII).

516. — *Obi. IV.* Deus nunc *diutius* vixit quam heri vixerat. Atqui duratio magis et minus habens aeterna non est. Ergo Deus non est aeternus.

R. D. M. Formaliter et intrinsece, *N.* Virtualiter et extrinsece, *Sd.* Ita ut magis virtuale aeternitati nihil addat, *C.* Ita ut addat, *N. M.* — *Ctr. m.* Si formaliter, *C.* Si solum virtualiter, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Verum est dicere: Hodie est longius tempus, quod aeternitati coëxstitit, quam heri; in hoc consistit aeternitatem virtualiter admittere magis et minus.

Inst. Si intrinseca aeternitatis duratio esset nunc *inaugibile*, Deus hodie ab esse cessans non minus durasset, quam non cessans. Atqui hoc manifesto pugnat. Ergo aeternitas est augibilis.

R. N. suppositum; etenim tunc duratio, hucusque a Deo habita, non fuisset *aeternitas*, sed aliud; aeternitas consistit praecise in *essentiali repugnantia desinendi esse*, non vero in *longitudine* lineae sine fine protractae. Ceterum « Ex impossibili sequitur quodlibet ».

517. — *Obi. V.* Duratio tota simul pugnat. Si enim quolibet momento *tota simul* est, creatura per horam exsistens toti coëxsisteret aeternitati. Atqui coëxsistens toti aeternitati duraret per totam aeternitatem, et hoc falsum est. Ergo duratio tota simul pugnat.

R. D. M. Coëxsisteret aeternitati *virtualiter* toti, *N. Realiter* toti, *Sd.* Duratione aeternitatis, *N.* Duratione alia, *C. M.* — *Ctr. m.* Si coëxsisteret aeternitati *virtualiter* toti et durationi aeternitatis, *C.* Si coëxsistit aeternitati, *solum realiter* toti, perque classem durationis aliam, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Aliud est exsistere *quando* exsistit aeternitas, quae singulis momentis *realiter tota* in se est; aliud exsistere in aeternitate seu cum *duratione aeternitatis.* Primum cuilibet competit, alterum nulli nisi Deo. Omne quidem exsistens aeternitati coëxsistit indivisibili ideoque *realiter* toti, sed non *virtualiter* toti; i. e. non aeternitati prout cum omnibus durationibus *conduranti;* sic coëxsistit parti solum aeternitatis. Si quid sine initio et fine exsisteret, illud *coëxsisteret* quidem (in potentia) aeternitati etiam *virtualiter toti*, non vero durationi *aeternitatis*, sed alius classis, aevi aut temporis; hinc duratio eius non esset *aeternitas* stricta.

518. — *Obi. VI.* Deus exsistit *in tempore.* Atqui quod exsistit in tempore non est aeternum. Ergo Deus non est aeternus.

R. D. M. Improprie, i. e. exsistit quando et tempus exsistit, *C. Proprie*, i. e. per durationem temporis, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. Aliud est exsistere, *quando* exsistit tempus, aliud exsistere in *tempore* (Arist. IV Physic., c. 16); sicut non est idem esse ubi corpus est, et esse corporee seu localiter. *a*) *In tempore* proprie exsistit quod successive in se per motum physicum durat, ab *homogeneo* externo mensurabile, v. g. a motu caeli, horologii..., seu a tempore *extrinseco* (ut dicitur), cuius partes partibus *intrinseci* temporis respondeant seu partibus internae durationis. *b*) *Improprie* in tempore exsistit, si *heterogenee* in se respectu temporis durans, huic ut mensurae submitti nequit, licet utique exsistat dum tempus *cum sua* successione exsistit.

519. — *Obi. VII* (Inst.). Deus proprie in tempore exsistit. Erat enim *prius* quam mundus esset. Atqui prius et posterius nonnisi in tempore dantur, tempus autem *aliud* non dabatur, mundo non exsistente. Ergo Deus ipse erat in tempore suo atque adeo proprie.

R. D. M. Prius prioritate *durationis ut* sic, *C. Duratione* temporis, *N.* vel *Sd.* sumpta prioritate in tempore *reali*, *N.* In imaginario, *C. M.* — *Ctr. m.* Prius in mere duratione, *N.* Prius temporaneum, *Sd. Realiter* datur solum in tempore reali, *C.* Nec ab imaginario desumi potest, *N. m.* — *N. c.*

Explico. a) Etiam praescindendo *a tempore* qualitercumque mundum praecedente Deus erat ante mundum; i. e. Deus mere durabat, quin adhuc daretur mundus. *b*) Prioritas *successiva*, iuxta quam etiam intendimus Deus exstitisse antequam mundus cumque mundo reale daretur tempus, e tempore desumitur absoluto seu imaginario, in quo sane partes *successivas* omnino ut in tempore reali concipimus.

520. — *Obi. VIII.* Si Deus non in tempore sed in nunc indivisibili exsistebat, momentum, in quo mundum conderet, determinare nequivit; singula enim suae durationis momenta erant unum idemque, seu *aliud et aliud in* nunc Dei non dabatur. *Atqui* tamen fuit *momentum* fixum pro creatione a Deo selectum, secus enim *ab aeterno* creasset, etsi demus *dato* momento creasse. Ergo intrinseca Dei duratio partibus constat.

R. D. M. Nequivit in tempore *reali*, *C.* Ne in *absoluto* quidem clare cognito, *N. M.* — *Tr. Prob.* — *Ctr. m.* Selectum in tempore *absoluto*, *C.* In tempore (vel alia duratione) *reali*, *N. m.* — *Rat. Tr.* — *N. c.*

Explico. Has prioritates, comparationes... esse possibiles Deo vix capimus (saltem non tam clare) nisi in tempore *absoluto* seu in imaginario, quod Deus entia rationis non efformans indirecte *adhuc* intellegit, intellegens homines, quorum mens talia concipiet. In duratione quidem sui Deus priora et posteriora comparare non posset (1).

521. — *Scholion III. Quaenam proprie in tempore sint, quaenam non.* 1° *Deus* (e nuper declaratis n. **518**) in tempore proprie non exsistit; omnia excedit tempora. 2° *Angeli*, spiritus, anima: *a*) Quoad substantiam saltem proprietatesque in tempore non sunt; deest ibi motus alicuius successio, etiam quoad *visionem* Verbi (S. Th. aliique); sine vicissitudine enim fixe quoad illa exsistens spiritus quoad haec aeviterne durat; immo neque quoad actus intellectivo-volitivos *mutabiles*, quia in *instantaneis* physicus motus atque successio desunt. *b*) Eorum officia corporum motora utique in tempore sunt non tam ex parte *motoris*, quam ex parte *moti* (lapidis...); in corpore motus successive peragitur. *c*) Quoad *translationem* τοῦ proprii ubi, si *instantanee* id obtineat quin per *medium* transeat (S. Thomas cum aliis), ne quoad hanc quidem operationem spiritus est in tempore etiam ex parte loci; si autem id nonnisi per medium transeundo obtineat (verius sic), adhuc translatio non in tempore fit ex parte angeli, motu physico (corporeo) deficiente, utique ex parte spatii *extrinseci*. 3° *Corpora in tempore* proprie sunt. Omnes in hoc conveniunt; differunt in determinando respectu sub quo. *a*) Iuxta plerosque nulla *substantia* in se *successive* durat; hinc corpus in tempore est *non primo et per se* i. e. non ratione permanentis *substantiae*, in qua motus deest, sed secundario et in obliquo, secundum motum *accidentium;* unde *aevum* dicitur passim duratio *permanentis* etiam *corporea. b*) Alii tamen volunt etiam *primo* et *per se* corpus in tempore esse, cum ipsa eius substantia perpetuis subiciatur transmutationibus (Cai., Fons,... post Alb. M.). At S. Thomas: « Mobile... si consideratur quantum ad suam *substantiam*, sic non commensuratur *tempore*, eo quod *substantia* mobilis in quolibet *nunc* temporis est, nec habet *successionem nec prius nec posterius* » (Opusc. de Tempore, c. 3). Non semper sed passim huic favet sensui: « Per creationem, rerum *substantia* in esse producta est. *Tempus* autem non *mensurat substantiam* rerum, et *praecipue* incorporalium ». Licet autem haec in quadam scribantur obiectione (quasi extra propositum), in responsione ipsa acceptari videntur (1 p., q. 46, a. 3, 1ª obi.).

522. — *Scholion IV.* Praecisius *aeternitas, aevum, tempus, separantur.* Aevum (incorruptibilium duratio) *medium* sistit *aeternitatem inter et tempus.* Discrimina

(1) Quaedam horum ab Aquinate insinuantur 1 p., q. 46, a. 1, 8; 2° Dist. 1, q. 1, a. 5, ad 7 et 13.

varie exprimimus (perpendit Aquinas); 1° Sic: *Aeternitas* est sine initio et fine; *tempus* cum utroque; *aevum* cum initio et sine fine; discrimen tamen ita expressum, non *essentiale* sed per *accidens* est; aeviterna enim, licet initio caruissent, *aeterna* non essent, nec si finem fuissent habitura, *temporanea* forent. 2° Sic: *Aeternitas* prius et posterius non habet; *tempus* utrumque cum « *innovatione et veteratione* » (i. e. una pars *incipit* de novo, alia *praeteriit*); *aevum* utrumque, sed sine innovatione et veteratione. De aevo tamen inepte haec sonant; si enim *prius et posterius* haberet, innovationem quoque habere teneretur; sed aeviterna (angeli) *quoad substantiale* esse *permanent* sine priori et posteriori, quoad *adiuncta* solum, seu quoad electiones, aliter. Hinc melius sic: 3° *Aeternitas* nec actu nec potentia nec in se nec in adiunctis (in additis) prius et posterius habet, quoad omnia enim essentialiter permanens est; *Aevum non in se*, at *in adiunctis* utique, prius et posterius habet, habere potest; *Tempus* etiam *in se*. « In ipso esse Angeli, *in se* considerato, non est differentia praeteriti et futuri, sed solum secundum *adiunctas* mutationes » (1 p., q. 10, a. 5, 3).

523. — *Scholion V. Quomodo angelus propriam durationem cognoscat.* 1° Si cognoscere velit *ad modum quanti*, i. e. quantum *temporis* a sua creatione duraverit, a se ad mundum quasi exire cogetur, ut mundana duratione suam mensuret; ad intra mensuram comperiet nullam; nec id angelum dedecere videtur. Verius id censemus. 2° Aliter *alii:* Sui durationem mensuret mensura magis proportionata i. e. aevo et non tempore; nec nobili angelo haec claudetur via, ut externas perlustrare teneatur. *R.* Sed per *indivisibile* non poterit suam mensurare durationem, tamen mensura quaeritur, magis et minus consignandi capax. 3° *Veteres* sic: aevum *primum*, i. e. duratio nobilissimi cuiusdam spiritus, qui olim fuit, exemplar est sicut et *extrinseca* pro aliis aevis *mensura*. *R.* Sed si duratio angeli in *proprio* aevo mensuram non reperit, nec in alieno reperiet *aeque indivisibili;* porro magis et minus perfectum in aevis indivisibilitatem aevi tollere nullatenus potest. Unde: aut scientia de his angelo interne suppeditatur per viam nobis ignotam, aut nulla penitus habetur, nec ab angelo erit reclamanda, cum sive ipsi sive Deo *quantitas* durationis impertinens sit. Mensurabile enim, ut docuit Philosophus (X Metaph.), vel quantum est, vel ad modum quanti: reliquis mensura aequivoce solum applicabitur. 4° *Alii:* longam durationem cognoscant ex *memoria plurium et plurium* operationum mutabilium, quae distinctis momentis exercuerunt. *R.* At per haec durationis propriae *quantitatem* fixare non poterunt.

Inaequalis angelorum duratio. Ex dictis: *a*) Quod duo angeli *aequaliter duraverint* nihil significare potest nisi relationem *coëxsistentiae* (quae mensuram non dicit): *simul* inceperunt esse, *simul* desiverunt esse. *b*) Quod *inaequaliter* duraverint significabit vel unum fuisse *prius* creatum i. e. alio non adhuc creato, vel sub simultanea utriusque creatione unum esse desivisse *prius* i. e. alio pergente in esse. *c*) Sed intervallum differentiae in duratione, seu quantitas illius τοῦ « prius », *mensurari per aevum* nunquam poterit; quia illud intervallum *in se* non est *motus*, proin nihil est in linea *intervalli*. Hinc *d*) recte *Caietanus* characterem aevi in *creata* (dependenti) reposuit ac naturaliter *immutabili* (seu sine motu) duratione (1).

---

(1) Ad illa autem, quae a Scoto aliisque opponuntur, *distinctis* momentis aeviternis angelum creari, annihilari (posse), de novo creari (posse)... respondet Caietanus: « Instantia illa *nihil aevi* sunt, sed sunt partes *temporis* discreti » (Caiet. in 1 p., q. 10, a. 5, ad finem comment.). Si vero *tale* tempus displiceat (de facto a plerisque refutatur), responde ex nuper dictis sub *b*) et *c*): illa momenta esse quidem *distincta*, sed *mensuram intervalli* in aeviternitate non reperiri; in tempore absoluto seu imaginario utique.

CAPUT VI.

De unitate Dei.

Articulus I.

De natura et sensibus unitatis dei

§ I. — *De ipsa unicitate Dei.*

Propositio XXVIII. Deus est essentialiter unicus.

524. — *Praenotanda.* I. *St. q. Multiplex unitas.* Quia unum sequitur ens, omne ens est unum *varie* secundum varias unitatum classes pro varia cuiusque entis perfectione. Hinc Deus est unus: *a*) unitate *transcendentali;* quae tamen unitas non exclusiva Dei, sed omnium est; *b*) unitate etiam *simplicitatis,* immo maximae absolutaeque simplicitatis, quia excludens et qua excludens omne genus compositionis physicae et metaphysicae; haec unitas non quidem omnium est, non est corporum; est tamen angeli necnon animae quoad partem primam simplicitatis *relativae,* exclusiva Dei quoad secundam partem solum simplicitatis *absolutae.*

Unitas in quaestione. Sed cum unitas simplicitatis vindicata alibi fuerit summa pro Deo (prop. XVII), *c*) aliam omnino novam quaerimus iam unitatem, *unicitatis* nempe individui sub Deitate; *novam* inquam; sub dicta enim simplicitatis unitate ex se iam mira Deique *exclusiva,* plura adhuc excogitare licet absolute a se simplicia individua, quasi sub genere « absolute a se simplicis » collocata. Id nunc a Deo amovemus, *compatibilitatem* scilicet sociorum in esse summe uno praecedentis sensus. Liquet etiam de Deo nunc statui non praecise Deum *ens singulare* esse ac individuum (hoc enim e sola Dei *exsistentia* iam habebatur: quidquid exsistit singulare et individuum est); sed esse *unicum* tale singulare, *unicum* tale individuum sive de facto sive de iure; quod certe divinitatis privilegium *unicitate* Dei clarius quam *unitate* Dei exprimimus. Etiam absoluta haec unitas unicitatis *exclusiva* Dei est; Sol, Luna... (sub natura imperfecta) accedunt partim, i. e. quoad unicitatem *de facto,* sed non *de* iure seu essentialiter.

525. — *Declaratur magis.* Sicut ex quidditativitate τοῦ esse, *ens nomen* in Deo convertebatur formaliter in *ens participiale;* similiter quidditatem Deitatis nunc formaliter convertimus *in unicum* Deitatis individuum; seu dicimus Deum, per idipsum formaliter, per quod est *hic* individue Deus, esse Deum. Sicut igitur *hic* individue Deus nequit esse nisi *unicus hic Deus,* ita Deus erit *unicus Deus.* « Si Socrates *per id* (formaliter) esset *homo,* per quod est *hic homo,* sicut non possunt esse plures *Socrates,* ita non possent esse plures homines » (S. Th. 1 p., q. 11, a. 3). Nempe: si de formali ratione *hominis* esset quod sit *hic homo* (Socrates), necessario quidquid est *homo* esset *hic homo* (Socrates); aut esse aut concipi hominem, qui non esset Socrates, pugnaret, ut pugnat aut esse aut concipi hominem, qui non sit *rationalis* (ali-

quid aut esse aut concipi *sine eius essentia* non potest); ideoque unus exsisteret homo, Socrates. Iam quod non alibi, in Deo id verificatur; Deus (et Deitas) adaequate concipi nequit quin *hic* individue Deus concipiatur; seu: quidquid est natura divina est formaliter *hic Deus*, proin Deus est essentialiter unicus. En propositionem; in qua « essentialiter » sonat idem ac *formaliter* seu vi *Deitatis*, de iure, sensu declarato.

526. — II. *Notiones.* Unum est indivisum in se et divisum a quolibet alio. Suppositis unius notione classibusque, *triplex naturae unitas* ex Criteriologia non inepte nunc repetetur: 1ª *Universalis* seu *Logica;* 2ª *Individualis* seu *numerica;* 3ª *Formalis* seu naturae. Respondentque triplici naturae considerationi secundum eius esse: *a*) *universale* in intellectu; *b*) *individuale* in re; *c*) *absolute* spectatum iuxta praedicata illi essentialia.

1. *Unitas universalis* est naturae indivisio actualis *cum aptitudine* tamen divisionis in plura eiusdem rationis dicitque unum actu sed plura in potentia; i. e. unum *actu in mente*, sed multiplicabile a parte rei; unitas haec competit naturae *abstractae*, seu solum naturae qua per intellectum ab omni individuatione separatae.

2. *Unitas individualis* seu numerica (intra et extra quantum) est indivisio individui in plura, quale ipsum est, dicitque unum et actu et potentia; unum actu, simul incommunicabile pluribus. Haec unitas competit naturae *individuatae* sive in re sive in mente, v. g. Socrati, sive physico sive cogitato.

3. *Unitas formalis* seu *essentialis* seu naturae, est indivisio essentiae in plures *essentias;* dicit mere unam essentiam, unam definitionem, sic unam formam seu naturam. Haec unitas competit naturae *absolute* in se spectatae, seu naturae *qua naturae;* proin inseparabilis est a natura in quocumque eius statu sive reali et individuationis, sive mentali et universalitatis; supra singulare et supra universale elevata in utroque *includitur;* unitas numerica addit ei individuationem, unitas universalis addit ei denudationem ab individuatione; *ex se* enim neutrum dicebat sicut neutrum excludebat, sed indifferenter ad utrumque se habebat. Igitur *unitas formalis* dicit *actualem* indivisionem, sed indivisionem potentialem nec affirmat nec negat. Eius officium est separare unam essentiam ab alia diversae definitionis.

Iam ex tribus his unitatibus: *a*) *formalis*, quae a nulla essentia abesse potest, et in Deo evidenter adest; *b*) *individualis* in necessario a se *exsistente* deesse nequit (sola individua exsistunt); ex hac *universale* abstrahere consuevimus cum unitate *c*) *universalitatis;* nec pro tali abstractione inconveniens est in aliis rebus; sed respectu Dei dicimus hanc abstractionem, consequenter unitatem *universalitatis*, prohiberi, metaphysice pugnare, ut explicatum est (n. **524**, I).

527. — III. *Adversarii.* Unicitati Dei opponuntur: *a*) *Dualismus* Manichaeismi addens principium Mali, independenter a principio Boni exsistens. *b*) *Universim Polytheismus* paganorum, qui *materialiter* sumptus satis in mundo praevaluit, *materialiter* inquam, seu quoad externa deorum *nomina; formaliter* enim, i. e. respectu *conceptuum* de singulis, in deorum hierarchiis unus passim aderat Zeus, *unum* supremum, unum Numen, ceteros vel creans vel utcumque sub suo tenens dominio; minores tunc dii, solum voce erant dii; et animis quidem ethnicorum selectioribus turbas deorum derisum passim pro fide habuisse historia testatur cum Socrate, Anaxagora, aliis, quorum nonnulli propterea exilio, morte quoque puniti sunt.

« Hac autem veritate (unitatis) repelluntur *gentiles*, deorum multitudinem confitentes, quamvis plures eorum *unum Deum summum* esse dicerent, a quo omnes alios, quos deos *nominabant*, creatos esse asserebant... » (1° c. G., c. 42 ad finem).

Nec probandum tamen modernorum post De-Lamennais consilium, idololatricam excusandi psychem. Honores (aiunt) deorum turbis tributi, *vere divini* non erant nec cultus his absolutus sed quidam *pure relativus* dabatur, quasi idolis aut symbolis deum maiorem (numen unicum) mere repraesentantibus; cogita statuas altaris nostri. Sed theoria aproximista (sectarum ad Catholicismum) heterodoxis grata, historiae contradicit (1); idololatras *vere tales ubique* fuisse, qui cultum idolis aut singulis, aut saltem pluribus *absolutum* et *ob se* cuique tribuerent, certo constat (De historia generibusque polytheismi Cfr. tractatum « De Vera Religione »).

528. — *Observa.* A relatis adversariis eos separa catholicos doctores (Aguirre, Ockam, Nominales), quibus unus Deus fide creditus, *ratione* non scitus. Hi non quidem thesi, at *censurae* utique adversantur; nos enim sub vera philosophica *certitudine* rem tractamus.

529. — *Prob.* 1. *Ex infinitate:* Deus est essentialiter actu infinitus in essentia, in ente (prop. XVI). Atqui tale infinitum nonnisi unum esse potest. Ergo Deus essentialiter unicus est.

Min. Ens ita infinitum, est plenitudo entis, est perfectio tota. Atqui posito altero Deo, Deus prior nec plenitudo esset nec perfectio tota. Ergo infinitum in linea entis unicum est.

Ad min. Totum enim est id, extra quod nihil est; iam in hypothesi extra Deum, extra eius perfectionem, daretur aliquid, i. e. *alia perfectio* imparticipata, secundi Dei. Ergo Deus non esset tota perfectio.

Ad mai. Ut a se quoddam perfectionis genus excludere non valet, sic perfectio intra se et pro se imparticipata, prohibet *extra* se proque alio quandam manere imparticipatam perfectionem. Etenim: *a*) non est ratio; *b*) ipsum non esset intensive inaugibile, sed augibile a perfectione ad extra manente, unde nec esset actu infinitum in ratione *entis* et esse. Ergo intra se est positive *totum esse* imparticipatum; ut color a se includeret positive totam albedinem; *c*) ex prob. 2.

530. — *Prob.* 2. *Ex summo cogitabili.* Ens a *se exsistens*, hinc etiam *a se* individuatum per suam individuationem in esse simpliciter infinito, debet esse iam (ut ens individuatum in *hac* individuatione) *summum cogitabile. Atqui* individuum, in *sua* individuatione summum iam cogitabile, permittere *aliud* summum extra se non potest. *Ergo* Deus est unicus. *Mai.* Non est ratio cur enti a se in ratione τοῦ esse per suam individuationem actuato defecisset aliquid lineae τοῦ esse, necessarium pro toto et pro summo cogitabili. *Min.* Complexus utriusque *cogitabile maius* esset, quam unumquodque. Ergo neutrum esset *summum* cogitabile.

531. — *Observa.* Nec dicas: *a*) Deum primum esse summum cogitabile, aequale tamen secundo; ex probatis enim summitas primi per alterum destructa manet. *b*) Secundum in primo *eminenter* iam contineri, ideoque summitatem primi per alterum non destrui; quod enim iam summe *eminens* est,

(1) Cfr. Perrone, « De Deo », p. 1, c. 2; Urráburu, 7, n. 110.

eminentius adhuc alibi contineri pugnat. Summum, si est, solum *formaliter* est; non aut *eminenter* aut *virtualiter*. *c*) Per haec creaturam more pantheistico interdici. Creatura enim valoris mere repraesentativi valorem Dei *proprium* non minuit.

NB. Aliam gravem instantiam contra valorem utriusque probationis propositam vide et solutam in *Obi. II* (n. **538**).

532. — *Corollarium* 1. Ergo qui Dei naturam abstracte et qua *multiplicabilem* (ut ceteras) concepit mentem statim corrigere tenetur, naturam in *essentialiter* numerice hanc convertens, fere ut qui ab *esse* praecisam concipiens deinde *formaliter esse* deprehendit.

533. — *Coroll.* 2. Ergo qui ex essentia singulari essentialiter exsistente, seu ex nobili individuo a se exsistente se *abstraxisse* censet « individuum essentialiter exsistens » *ut sic*, seu sublimis categoriae individuum *vagum*, nempe qui censet se efformavisse *universale* individui sublimis, sicut efformat universale de individuo (ut aiunt) creato exsistente, v. g. de individuo hominis exsistentis contingenter; deinde autem *sub dicto* universali (sub individuo sublimi vago) collocat ut *unum ex* inferioribus Deum *hunc*, individuum *hoc a se* exsistens, concipiens alia quoque inferiora (individua eiusdem indolis), *aliud* scilicet *aliudque* « individuum sublime a se exsistens », talem inquam conceptionem delere iam tenetur ut secum pugnantem respectu *individui divini a se*. Id hucusque formaliter nullibi fuerat ostensum (prop. XVII exclusit a Deo compositionem ex natura et individuatione, non tamen ex individuo et *hoc* individuo), ideoque fructus est propositionis praesentis.

534. — *Coroll.* 3. Ergo circa divinam naturam, sicut efformari *duo* conceptus non possunt vere obiectivi, quorum unus sit *natura*, alter *individuata* natura (prop. XVII et XXVIII), ita ne hi quidem *duo*, quorum unus sit individuus Deus (individua natura) alter autem *hic* individuus Deus (haec individua natura) seu « *unicum* Dei individuum ». Socrates per idipsum formaliter sit homo, per quod est « individuus homo » et « *hic* individuus homo ». Tunc, cum *unicus* sit Socrates, *unicus* dabitur homo. Omnino ita de Deo. (Est idem *Coroll.* 2, aliter expressum).

535. — *Coroll.* 4. Ergo Polytheismus vere talis, i. e. plura ponens entia a se, verus *atheismus* est; pluralitas enim *destruit* Deum; ergo etiam Manichaeismus pugnat.

536. — *Coroll.* 5. Ergo pluralitas *Relativorum* (in SS. Trinitate) unitatem et unicitatem Dei non destruit; *relationes* enim entitati absolutae, quae sub relationibus una, unica manet, absoluti nihil addunt; relativum, quod secundum rationem solum addunt, ad nos impertinens est.

537. — *Obi. I*. De facto in Deo ipso *naturam* ab *hac eius individuatione abstractam* concipimus, loquimur enim de ipsa ut tali. Atqui si *haec* individuatio de natura esset, id non eveniret. Ergo natura Dei non est formaliter *hoc individuum*, ideoque multiplicabilis de se est.

R. D. M. Ita ut reflexe illam emendare teneamur, si velimus esse *naturam Dei*, *C*. Ita ut qua talem percipiamus esse veram naturam Dei, *N. M.* — *Ctr. m.* Id non eveniret de vera *natura Dei* qua tali cognitaque qua tali, *C*. De natura vago modo concepta ad examen, *N. m.* — *N. c.* — *Cfr. Corollaria*. In aliis quoque individuis, in Socrate, natura identificatur *realiter* cum haecceitate, non tamen *formaliter;* ideo in his natura (homo) in individua plurificabilis est.

538. — *Obi. II.* Arguitur ex infinito vere tali et summo cogitabili, supponendo Deum debere sic esse; quod tamen ex hucusque tractatis non constat, nec nunc probatur saltem sufficienter pro casu. Ergo unicitas non ostenditur. *Ant.* Ens *a se*, incapax limitationis sive a se sive ab alio *efficienter et positive*, forsan capax est limitari ab alio velut *negative* et indirecte, in quantum *ex alio*, *a se* pariter exsistente, sequitur primum perfectione secundi *caruisse*, hinc nec stricte infinitum nec totum esse posse. Ergo infinitas saltem ut *summum* cogitabile, ut *totum* esse, assumi nequit.

R. N. Ant. qua dicit id ostensum sufficienter non esse; iam in infinitate satis erat probatum, nunc illud complevimus. — Ad probationem *N.* rursus *ant.*, cuius praecise falsitatem et impossibilitatem evincebat argumentum factum. — Nempe: deberet tunc aliquod *fatum* admitti supra Deum stans (more veterum graecorum), τό esse cuique Deo distribuens; iam quid *Deo superius* ponere pugnat. *Alia* ratio facti explicativa assignari nequit, igitur aliquid sine ratione sufficiente ponitur; neque enim unus Deus pro se *hoc* assumens aliud *extra se* pro alio reliquisse, et vicissim, fingi potest. Tunc tot admitterentur *defectus* rationis sufficientis pro restrictione ad esse, quot essent dii; tot *impossibilia.* Ens enim et esse *non limitantur* ex se (prop. XVI); unde *limitatio* ibi ratione careret sufficienti; seu Deus ex pluribus unus ratione limitationis in se careret; aliunde cum *exsistat* in indifferentia manere nequit; ergo *determinate* infinitudo est; nihil τοῦ esse a se excludens, ideoque *totum esse* extensivo-intensive in se includens; quia secus aliquid a se excluderet. Ergo alium minime permittit Deum; permittens enim alium, huius careret perfectione, nec *totum* iam *esse* saltem intensive haberet, contra id quod ostensum est. Ergo indirectae limitationis incapax hanc essentialiter removet. Cum idipsum de alio valeat alioque Deo, ens a se, infinitum in esse, nonnisi unum esse potest.

539. — *Obi. III.* Aristoteles improbat confusionem *infiniti* cum toto. Atqui demonstratio in hac nititur confusione. Ergo inefficax.

R. D. M. Universaliter et si agatur de infinitis participatis in *una linea*, *C.* Si agatur de ente *a se*, simpliciter inque linea *entis* infinito, *Sd.* Formaliter adhuc, *Tr.* Realiter et arguitive, *N. M.* — *Ctr. m.* In utriusque identificatione saltem *reali* et *arguitiva*, rationibus probata nec gratis assumpta, *C.* In praecise *formali* aut reali assumpta, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Infinitum est quod limite caret; *totum* est id, extra quod nihil est; unde saltem *formaliter* ipsa differre liquet. Iam *realis* utriusque adunatio vel separatio ab indole dependet classibusque infiniti. *a*) Quod in *una* linea est infinitum, ex se *alia* infinita non vetat nec in propria nec in aliis lineis; est enim infinitum participate seu ab alio, quod aliud alia adhuc fundare poterit infinita; unde in his infinitis infinitum cum toto *ne realiter quidem* identificatur. *b*) Quod vero *simpliciter* a se infinitum est, insuper esse tenetur totum *realiter* esse atque perfectio (Cfr. *Obi. II*).

§ II. — *De summa unitate Dei.*

Propositio XXIX. **Deus est maxime unus; nempe: ens maximum, maxime in seipso indivisum et maxime in seipso ab aliis divisum.**

540. — *St. q.* Unitatem unumque non iam restricta sumimus ad *unicitatem* et unicum, sed generalius magisque transcendentaliter iuxta singulas nobilitationi entis faventes unitates. Igitur propositio « unitas Dei est summa » agit de unitate, quae in ente *summo* involvit sive indivisionem in seipso *summam*, sive divisionem a quolibet alio *summam.* Ponitur autem ad abundantiam; titulos scilicet individuatim legitimatos simplicitatis, elevationis, *incommunicabilitatis* Dei sub synthetica eorumdem quasi repetitione colligens, novam vellet in studio Dei ducere lineam.

Duo recensentur unitatis officia: *a*) Reddere ens in se *indivisum;* nunc reddit Deum *summe in se* indivisum. *b*) Reddere ens ab aliis *divisum;* nunc reddit Deum *summe ab aliis* divisum. Cum enim unitas nunc in illud incidat ens, quod in maiestatica sua sublimatione ab omni sit praeservandum viliori contactu, non realem solum sed et logicum descensum ei intercludit ad vulgaria finitorum praedicamenta, sub generibus et speciebus. Totus complexus unitatum constituit sublimitatem Dei.

Pars 1ª. *Deus est maxime unus in se;* sive absolute sive relative talis.

541. — *Prob.* Unum est ens indivisum in se: unde eo quid magis unum, quo *maius* ens magisque in *seipso* indivisum. *Atqui* Deus ob *suam infinitatem* est ens in *se summum;* ob suam absolutam *simplicitatem* est *summe* indivisum intra se; ob suam *unicitatem* est summe in se indivisum quasi ad extra, i. e. in plura individua. *Ergo* Deus est ens summum et summe in se indivisum, seu maxime *unus* in se. Aliunde res alia tot in se indivisionibus ornata non datur. *Ergo* Deus etiam *relative* est *maxime* unus *in se.*

Pars 2ª. *Deus est maxime divisus ab aliis.*

542. — *Prob.* Deus, a se infinitus et incommunicabilis, entitate donatur *aequivoca* respectu eorum, quae in praedicamento, in generibus et speciebus ordinantur (sunt rationes limitatae, realiter multiplicabiles). *Atqui* sic communitatem cum aliis non habet nec *realem,* nec *logicam* sub generibus aut proximis aut remotis. *Ergo* est maxime *divisus ab aliis.* Cum autem *differre* significet proprie separari ab alia essentia speciei diversae, sed sub *eodem genere* positae, Deus melius quam ab aliis *differens* dicetur ab aliis *diversus.*

543. — *Evolvitur e contrario.* Reliquae res, spiritus et corpora, invicem minus separantur, nunquam tam plene, quin ad *univocam* communitatem sub genere *aliquo* mentaliter trahantur; etenim:

1. *Spiritus* angelici distinguuntur quidem *a*) *numerice* ad invicem; entitas enim unius adaequate alia est ab entitate alterius angeli, etsi specie et *genere* convenire possint. Sed non separantur necessario *b*) *specifice* seu quoad speciem; cum enim species sit « natura determinata completa *apta inesse pluribus* », plures sub una angelos esse nihil prohibet (1); nec separantur sed *conveniunt c*) *generice* seu quoad genus proximum *spiritus,* sub quo species et hierarchiae collocantur. A fortiori conveniunt in genere remoto *substantiae. d*) A corporibus dividuntur *numero, specie* et *genere proximo,* sed non supremo *substantiae.* Ergo in spiritibus separatio a reliquis creaturis non *omnimoda* et plena sed *partialis* tantum est.

544. — 2. *Corpora* ad invicem distinguuntur: *a*) numero, ut patet; *b*) non *necessario specie* et *genere proximo;* v. g. unus canis et alter *specie* conveniunt, planta, brutum et homo in genere corporis viventis; *c*) *nullatenus* quoad genus *intermedium corporis; d*) multo minus quoad *supremum substantiae; e*) a spiritibus dividuntur quoad tria prima, non autem quoad ultimum; *conveniunt* enim in *substantia.* Ergo in corporibus divisio a reliquis non omnimoda et plena, sed partialis tantum est.

---

(1) Materiam esse principium individuandi etiam in corporibus suo loco exclusimus, multo magis si velit esse principium *universale* et *unicum* cuiusvis individuationis pro omni ente.

Ergo unitas Dei est *maxime* separativa Dei a reliquis; ideoque etiam sub altero munere unitas Dei est *absolute et relative maxima.*

NB. Convenit cum aliis in sola ratione *entis analogice;* unica igitur convenientia, enti reali inevitabilis, adhuc *minima* est, imperfecta, dissimilitudo.

§ III. — *Aliarum probationum notitia.*

545. — Unicitas Dei ex tribus praesertim derivatur fontibus: ex *simplicitate, infinitate, unico Creatore Gubernatore;* nec philosophum decet talia penitus ignorare.

Discursus ab *infinitate* petitus efficax *per seipsum* apparuit, ceterisque censemus esse praehabendum. Licet enim et alii fontes sub debitis complementis fecundi esse possint, de facto tamen argumenta ex *simplicitate* deficienter potius, nostra quidem sententia, proponi consuevere, atque ita, ut coram philosophia accusari queant vel *a*) petitionis principii, vel *b*) confusionis inter individuum et *unicum* individuum, inter singulare et *unicum* singulare, vel *c*) confusionis rursum inter naturam *mente cogitatam* eamdemque concrete *actuatam,* ac ideo iniungendi posteriori quod prioris proprium erat: Quae ut caute caveantur, formas ipsas brevi perpendere iuvat.

546. — I. *Ex simplicitate a*) alii sic: Natura, de cuius ratione est esse *singulare* et esse *hoc* singulare, sine dubio *una numerice* est. *Atqui* de natura Dei est esse singulare et *hoc* singulare; exsistere enim, quod de ratione eius est, singularium est. *Ergo* Deus unicus est. — *Maior* patet; id enim, unde aliquid est *hoc* singulare, pugnat pluribus communicari; si de ratione *hominis* esset *hoc* singulare, *Socrates,* nullus praeter Socratem daretur homo. *Minor* habetur ex non distinctione naturae ab individuatione in Deo; et quia exsistere *singularium* est.

Crisis. Minor ex hoc *solo* capite non evincitur; ostendere oportet naturam formaliter identificari *cum hac unica* individuatione; ostensum autem est eam identificari *cum individuatione,* sed vel *una* vel *pluribus.* Videlicet: ex hoc *solo* quod de essentia hominis esset *actu loqui,* sequeretur utique eum *exsistere,* proin individuum ac singulare esse; at *unicum* esse individuum non sequeretur; forsan actuari petit in *pluribus* hoc, in alio et alio singularibus hominibus. Vel etiam transmisso quod una essentia (realis non mere per cogitationem abstracta) actuari exigat in unico individuo homine, forsan datur et *alia* realis essentia, quae exigat actuari in *alio* individuo homine, etc. A pari. Ad exemplum Socratis: Socrates utique dicit *unicam* individuationem, sed de Deo id probatum non apparuit. Unde

547. — *b*) Alii sic: Natura, *cui haec* individuatio essentialis sit, multiplicari nequit. Atqui ita est de divina. Ergo unicus Deus.

Maior manifesta. *Minor.* Si enim ex se *indifferens esset* ad *hanc* individuationem, deberet *aliunde* ad hanc praecise determinari. Atqui hoc implicat; etenim: 1) aliud prius Deo, capax determinandi Deum non datur; 2) Determinatio ab externo veniens esset ad modum *causationis* supra Deum; impossibile; 3) *potentialitas* et indifferentia pugnant cum ente a se necessario. Ergo (1).

---

(1) Bene explanatur, confirmatur, v. g. ab Urráb., 7, n. 111, Prob. 3°, p. 360-364.

Crisis. Sed in Minori datur tertium: nec in se *indifferens*, nec aliunde determinanda, *determinetur* per seipsam, non ad *hanc unicam*, sed ad hanc, et *aliam* et *aliam* individuationem. Curnam id pugnet probetur; ex *infinitate* plene quidem, ex allato autem fonte non apparuit. Si a se (aiunt), tunc numerus Deorum infinitus esset; infiniti autem dii implicare videntur. — *R.* Determinetur ab ipsa Dei natura, v. g. ad tres ob exigentiam essentiae nobis ignotam. Deinde arduum quid teneris probare: multitudinem *actu infinitam* sive in genere sive in specie entium a se pugnare. De *possibilibus* quidem suo loco exponemus rectius *actu infinita* cum S. Thoma decerni (Cfr. prop. XLI).

548. — *Observa.* Ipsiusmet severitas Logicae aliis quoque inferendi formis sine iniuria occurret. Sed de hoc satis; nec enim probationis genus amovere in animo erat. Caput ipsum arguendi classicum esse scimus (1); quasi vero perfectum amplecti, quod mancum adhuc prostat, nollemus, nisi prius pro modulo compleatur (2).

549. — II. *Ex gubernatione mundi.* Sic: Mundum observamus pulchre per aptam omnium unitati finis dispositionem ordinari et gubernari. Licet enim singulorum rationem non semper assignare queamus, clare tamen universalem motuum per se ordinationem intellegimus. Atqui hoc supponit unicum supremum ordinatorem. Ergo Deus unicus est.

Nec christianis solum sed et paganis in usu fuit argumentatio. Optima quidem, omnino scienda, bene unum creatorem, gubernatorem, concludens, licet (ut notari solet) minus stricte et absolute (saltem minus expedite) unum simpliciter *Deum;* patitur enim obvias instantias aliorum deorum *quiescentium*, etc.

Ut quaedam habeatur historica in rem illustratio: *a*) *Anaxagoras* (c. 500-428 a. Chr.) suum νοῦν fecit *ordinatorem* universi, cui concessit (opinatur Zeller) scientiam et potentiam *infinitas;* quia autem dixit dari *unum* ordinatorem, intellexisse videtur *unum* νοῦν; quo in casu fere praeformavit *b*) bellam Aristotelis (384-322 a. Chr.) sententiam « Non bonum multorum principatus; unus (esto) princeps: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος » — (XI Metaph. c. 10, ultima verba). Quem locum eleganter est commentatus *c*) *Angelicus:* « Dispositio entium naturalium est qualis optima potest esse. Et hoc videmus in *singulis*, quod unumquodque est optimae dispositionis in sua natura. Unde multo magis oportet hoc existimare in *toto* universo. Sed pluralitas principatuum non est bonum... Unde relinquitur quod totum universum est sicut unus principatus et unum regnum. Et ita oportet quod ordinetur ab uno gubernatore » (Metaph. Libr. XII [alias XI], lect. 12, in fine). Nec aliter in Summa (1 p., q. 11, a. 3). *d*) *Suarez* rem copiose tractans instantias dissipat seu « evasiones » (Met. D 29, sect. 2, a n. 21) v. g. hanc: « Discursus factus, licet ostendat unitatem, non tamen videtur illam ita *perfectam* demonstrare... » (n. 21). *e*) *Losada* brevius, erudite (Phys. Disp. 8, Introd.). *f*) Recentes omnes exponunt vel innuunt.

---

(1) Maximi semper usus fuit et est, nec immerito: *a*) apud veteres; apud Angelicum varie; *b*) posterius adhibent Soto, Gonet, Billuart (nitide), Suarez, Toledo...; *c*) recentiores passim, Wirceburg., Pesch, Mendive, Tepe, De San, Piccirelli, Urráb., Boedder, De Backer, Remer, Hontheim (suo modo), Schiffini (forma usuali), Monaco (brevius), Schaaf...

(2) Si autem quos adduximus scrupulos (fere ut apud Lahousse, n. 174) similesve perfecte solutos atque etiam facile solutos iactes, cave ne supra fidem aequivoci praemature quiescas.

Articulus II.

DE DUALISMO MANICHAEISTA

Propositio XXX. Manichaeismus, in se falsus, sibi contradicit, nec ad finem intentum inservit.

550. — *Praenotanda.* 1. *St. q.* Unitas Dei est iam refutatio polytheismi sive in genere sive in specie cuiusvis tritheismi, ditheismi. Adhuc in ditheismo Manichaeorum insistendum erit; formam enim iactat personalem, ipsumque, quo innititur fundamentum solidum semper necnon actuale visum est detractoribus Dei e mundanis malis, modernis inquam post Baylium anti-providentialistis, fere ut obscurioribus quibusdam pseudo-philosophis aevi medii. Apologetae etiam in suis controversiis Manichaeam sectam sat agitarunt partim ob intrinseca systematis merita, partim ob egregium eiusdem primo fautorem, impugnatorem deinde, Augustinum.

551. — 2. *Notiones. a*) *Manichaeismus* est systema philosophicum (secta doctrinaria nascentis Ecclesiae turbatrix) duo rerum prima adstruens principia, invicem independentia immo opposita, e quorum altero (Deo) procedunt bona, ex altero (materia) mala mundana. Manichaeismus hoc a Platonis dualismo differt, quod materia apud Manem fuit principium *activum*, non passivum solum et limes boni prout Plato ponebat. *b*) *Erroris occasio* illis fuit, quod mala mundi, etiam qua mala, reponerent in *positivo, directe* ab aliqua causa producte; hinc sicut datur arbor ex se bona (aiebant), ita etiam datur arbor ex se mala iuxta illud « Non potest arbor bona malos fructus facere » (Matth. 7, 18). Igitur ignis, qui tugurium pauperis consummit, est quid positive malum. Quia vero de causa *optima* (Deo) credendum non est in malis per se directeque efficiendis iucundari, alia exsistit potens causa, totius sedes malignitatis, fons proprius, radix, seminator malorum, principium a se et *essentialiter malum. c*) *Fontes* Manichaeismi. 1) Fundator sectae fuerat *Manes* (Mani, Manichaeus), philosophus Persa (saec. III, p. Chr.), qui postquam eloquens erroris ubique praeco tutela regum ad officia satis fuerat abusus, sub magorum insidiis est occisus. 2) Doctrinae autem semina originarie potius Zoroastro debentur (Zarathustrae, saec. probabiliter VII a. Chr.) malum et bonum principium adeo iam invicem opponenti, ut quidquid boni bonum faceret, statim malum pervertere tentaret omnique via corrumpere; donec ruinis finem imponat definitivus Ormuzii (boni) supra Arhimam (malum) triumphus, fixa utriusque reconciliatio: tunc renovatio universi statim succedet. 3) Verus tamen Manichaei inspirator appellatur Gnosticismus. *Gnostici*, ducibus Menandro (Samaritano) Simonis Magi discipulo (saec. I), deinde Saturnino (Antiocheno), Basilide, Valentino, aliisque, dicebantur pars selecta paucorum inter christianos secretis Dei quasi initiatorum; singulari se internaque luce tactos praedicabant pro occulta originis rerum atque etiam divinitatis (iuxta mysticam Apostolorum scientiam) cognitione.

552. — *Nota.* Circa Gnosticismum ac Theosophismum (phases modernismi) sollemniores nunc in academiis instituere amant sermones. Ceterum sub etymologica apparenti oppositione, Gnosticismus et Agnosticismus in *fundo* idem sunt (inadaequate saltem). Iuxta *Agnosticos* Deum ex mundo

non novimus; sed et *Gnostici* sese ad occultiorem inspirationum viam recipientes idem sensisse manifestant. Utrique egregias sane Patrum phalanges contra se provocarunt, Irenaeum, Origenem, Tertullianum, Clementem Alexandrinum... Sicut Manichaei Augustinum; posterius Theologos cum Sancto Thoma.

553. — *Prob.* 1ª *pars.* Principium mali in dualismo est *ens a se* malum, nec dependens a principio boni pariter a se; unde utrumque verus Deus est. *Atqui* nonnisi *unus* datur Deus (prop. XXIX). *Ergo* Manichaeismus est falsus.

554. — *Prob.* 2ª *pars.* 1º *Ex parte ipsius principii. a*) Aliquid esse *per essentiam* malum pugnat. *Atqui* in dualismo principium malum est *per essentiam* malum. *Ergo* dualismus pugnantia statuit. *Mai.* Omnis essentia, sicut omne ens (quod per essentiam est ens), quid positivum est ac *bonum;* quia essentia est *perfectio* vel simplex vel composita, dans esse alicui enti; unde est aliquid enti *appetibile* (quidlibet appetit suum esse). *Atqui* aliquid esse malum *per bonum,* non minus pugnat quam aliquid esse nigrum *per album,* per negationem nigri. *Ergo* aliquid *per essentiam* malum pugnat. *b*) Malum, si est, a bono *causatur* debetque esse ut in subiecto in bono *producto:* « Non fuit omnino unde oriri posset malum, *nisi ex* bono » (S. Aug.). *Atqui* malum per essentiam est *incausatum* (cum sit a se), nec est in bono tanquam in subiecto, sed *in seipso* (quia quidlibet est in sua essentia). *Ergo* principium mali secum pugnat.

555. — 2º *Ex parte effectus.* Malum est *privatio* boni, ideoque quid in se *negativum* (Cfr. Met. Gen.). *Atqui* efficientia alicuius principii ad *negativum* per se directeque terminari nequit. *Ergo* principium mali pugnat. *Min.* 1) Quaevis activitas aliquid efficit; virtus enim actu activa terminum effectum habere tenetur sibimet proportionatum, e quo et virtus a nobis cognosci et in se specificata sistere possit, ita nempe ut sine hoc termino ius de virtute loquendi non adsit ipsamque ut in ordine reali talem vel qualem affirmandi. *Ergo* ut virtus ipsa ita terminus quoque *aliquid* necessario est; igitur non est negativum et malum, sed positivum et bonum. 2) Secus causa actu operans daret definitive non esse; seu id, quod causa efficienter dare inciperet, quasi in via periret ut in termino nonnisi *negatio* τοῦ esse appareret. *Ergo* non *influeret esse,* unde nec esset *causa,* quae definitur « principium per se influens *esse* in aliud ».

556. — *Prob.* 3º Principium mali esset summe malum a se. *Atqui* summe a se malum omne operari a se excludit. *Ergo* principium mali secum pugnat. — *Min.* Esset summe *negativum,* ideoque non ens. *Atqui non ens* operari nequit; prius enim est esse aliquid positivum, quam operari; quia nemo dat quod non habet, et operari est *positivum. Ergo* summe malum operari nequit.

557. — *Prob.* 3ª *pars.* 1º Mala mundi sine recursu ad principium mali bene explicantur. *Atqui* ratio *tota* ponendi hoc principium fuit eius putata *necessitas* ad haec mala satis explicanda. *Ergo* Dualismus pro fine sibi proposito *inutilis* est.

Mai. Bene explicantur per principium *boni. Prob.* Deus, licet directe ac per se intendere mala nequeat, *per accidens* tamen mala *physica* intendere et efficere, moralia autem permittere potest (Mala *moralia* Deus ne per accidens quidem intendere et efficere sed solum permittere potest). *Atqui* id

sufficit ad omnia mundi mala sine contradictionibus cum Deo bono explicanda. *Ergo* sine recursu ad principium mali mala mundi bene explicantur.

Mai. ultima ut tota probatio evolvitur in Scholiis; sed nec necesse est amplius evolvere.

558. — *Prob.* 2° Causa mali nonnisi *bonum* est (ex Met. Gen.), licet solum per accidens causet malum. *Atqui* causa mali ab illis assignata est pure *malum*. *Ergo* systema dualismi finem intentum obtinere *nequit*.

559. — *Scholion I.* Aliquid *per se intendi* e tribus dignoscitur: 1) Si *vere* expliciteque intendatur; 2) Si saltem *approbetur* nec mere permittatur; 3) Si ex se positivam dicat entitatem, non *meram* privationem; unde et causam petat efficientem, quae sit efficiens *per se*.

560. — *Scholion II. Quaenam Deus efficiat* intendatque *per se; quaenam per accidens*. Supposito duplici ordine, *reali* scilicet et *morali* (honestatis): *a*) Illa, quae *intra utrumque* sunt, Deus et facit et intendit *per se*, v. g. angelum, naturam hominis, actum caritatis a Petro elicitum. *b*) Illa, quae *extra utrumque* sunt, Deus nec facit nec intendit *ullo* modo, v. g. *malitiam* actus *peccaminosi*. *c*) Illa, quae sunt intra realitatem sed *extra honestatem*, Deus causat *per se*, sed non intendit *ullo* modo, v. g. *actum* physicum peccaminosum (sive internam *volitionem*, sive externam exsecutionem); i. e. *concausat* cum causa creata, quae sine concursu activo Dei nihil efficere potest (Cfr. n. **561**). *d*) Illa, quae sunt intra honestatem sed *extra realitatem*, Deus et intendit et causat per accidens, v. g. mala physica, caecitatem, mortem agniculi, etc. (1).

561. — *Scholion III.* In actu moraliter malo, v. g. in actu concreto peccati, invenitur ordo *realitatis*, non vero *honestatis*, sed inhonestatis. Iam: 1° Deus in actu illo concreto neutrum *intendere* potest, nec *malitiam nec actum*, quia *totus* prohibitus est a *Deo ipso;* igitur totus mere *permittitur*. Adhuc ex reverentia in libertatem creatam et ex concursus necessitate Deus *causat* (concausat) *realitatem* actus illius et quidem *per se* i. e. influxus Dei *directe* ad actum terminatur. Igitur « permittere » se refert ad *intentionem*, hanc minuit, *nullam* immo in Deo supponit (quod mere permittitur, nec per se nec per accidens *intenditur);* non autem se refert ad *causationem*, quam minoret quasi indicans hanc fuisse solum per accidens, videbamus enim esse posse *per se*. 2° *Peccator* homo et causat et *intendit* utrumque, i. e. et actum et malitiam, sed *actum* ipsum *per se*, malitiam per *accidens*, i. e. solum in quantum unitur ei quod per se intenditur et causatur, quin tamen *directe* terminet nec intentionem nec causationem.

NB. Doctrina scholiorum clarior apparere poterit in tractatu de concursu. Quia tamen et praesentem illustrat et sequentes articulos, ideo anticipari debuit.

562. — *Obi. I.* Videmus in mundo dari, sicut bonum et melius, ita malum et peius. Atqui bonum et melius dicuntur per *accessum* ad *optimum*, quod *exsistit*. Ergo a pari malum et peius erunt talia per *accessum* ad *pessimum*, quod exsistit.

R. C. M. — *C. m.* — *N. cons.* et parit. — *Explico.* Intensio et remissio duorum verificatur secundum *modum* illorum, qui *diversus* esse potest, immo contrarius, ut in casu. Porro formae et privationes intenduntur modis oppositis; formae per accessum ad principium; *privationes* autem non per accessum sed per *recessum* a principio. Etenim: *a*) *bonum* et melius sunt forma seu res positiva, perfectio; hinc eius intensio evenire poterit et evenit per *accessum* maiorem ad bonum summum, *fontem* omnis boni. *b*) *Malum* autem, cum sit privatio, intensius redditur per maiorem *recessum* a bono summo; quo longius ab illo *distat*, eo *peius* est seu eo maioris boni privationem dicit. Cum negationes sint *carentia*, fontem sibi proprium, a quo fluant, habere nequeunt, a fonte enim *aliquid* manat.

---

(1) Hontheim, nn. 424, 426.

Inst. Contrariorum eadem est *ratio.* Atqui malum et bonum contraria sunt. Ergo ut ratio boni maioris in accessu maiori ad bonum, sic et mali maioris ratio consistet in maiori accessu ad malum summum.

R. D. M. Eadem est disciplina, scientia, aliquatenus definitio... et similibus sensibus, *C.* In sensu quod eadem praedicata utrique conveniant et iidem respectus, *N. M.* — *Ctr. m.* Et ideo aliqua sunt illis communia, *C.* Omnia praedicationum genera, respectus et modi, *N. m.* — *N. cons.*

Ut suo loco exposuimus, Aristoteles (1° Topic., c. 8) declarat eamdem esse scientiam de morbo et sanitate (Medicinam); de vero et falso (Logicam). — Sic de virtute et vitio agit Moralis; de albo et nigro Physica... Nam contraria iuxta se posita, magis elucescunt.

563. — *Obi. II.* Id, quod est per participationem, reducitur ad illud, quod *est* per *essentiam.* Atqui mala mundi, ut et bona, sunt per participationem, non per essentiam. Ergo admitti debet *malum per essentiam,* a quo res mundanae malae participant.

R. 1° *C. M.* — *N. m.* et paritatem (ut in *Obi. I*). — Malum est carentia, nihil; proin *carens* entitate hanc a nemine participat; quia participare est accipere *partem entitatis* et perfectionis alicuius. Hinc *R.* 2° *D. M.* Ens *positivum* mundi, vere participatum, reducitur ad ens positivum imparticipatum, *C. Negativum,* quod est *privatio* participationis, reducitur ad ens negativum imparticipatum, *N. M.* Nihil reduci nequit ad fontem proprium, quia fons nihili est chimaera, *Ctr. m.* Per veram participationem, i. e. per acceptionem alicuius ab alio, *N.* Per negationem participationis boni, *C. m.* — *N. cons.* Porro caecitas non est *aliquid* receptum ab aliquo, a quo fuerit productum, sed est mera *non receptio* visus in oculo, subiecto apto. Ergo nullum aut principium aut fontem sibi proprium suique reductivum reclamat aut etiam permittit.

564. — *Obi. III.* Omne malum habet aliquam *causam.* Atqui bonum non potest esse causa mali. Ergo causa mali est malum, ultimo malum a se.

R. 1° *C. M.* — *N. m.* — *R.* 2° *D. M.* Malum habet causam directe et per se causam sui, *N.* Directe boni et per accidens et indirecte sui, *C. M.* — *Ctr. m.* Directe et per se, *C.* Ne indirecte quidem et per accidens, *N. m.* — *N. cons.*

Explico. Immo *solum bonum* esse potest sicut subiectum sic causa efficiens *mali;* quia omnis causa est *positiva* virtus, proin *bona.* At haec causa per se et directe terminari nequit ad malum, ad non ens (Cfr. prob.), sed indirecte solum i. e. in quantum rei positivae productae coniungitur privatio alterius boni, ut ad ignitionem ligni sequitur fuga formae ligni. Volitioni peccaminosae, quae est res *positiva* hinc physice bona, accidit esse malam sub alio respectu nempe *morali;* i. e. privatio debitae ad legem conformitatis accidit illi et est in illa ut in subiecto, sed ipsa privatio a nemine fit, ut terminus directus. — *NB.* Haec et similia vide ap. S. Th. (1 p., q. 49, a. 3, ad 3, 4 et ad 1).

Articulus III.

DE VERA CIRCA MALUM DOCTRINA :

§ 1. DE CAUSIS MALI. § 2. DE MALO CULPAE ET POENAE

565. — § 1. *De causis mali.* Aliquid de efficiente diximus; nunc de omnibus singillatim; utrum et quonam sensu malum causas habeat. Supposita *notione* mali (ponitur in § 2), respondemus ex S. Thoma (q. 49, a. 1, c.) sic:

1. Malum habet causam *materialem,* et quidem *per se,* i. e. habet *subiectum* (bonum), in quo est *privatio* boni; quia privatio esse nequit in seipsa, sed in illo positivo, cui *debetur* perfectio *absens;* pro *caecitate* subiectum est animal, pro *peccato* voluntas, volitio, etc. Hinc formula: Bonum est *subiectum*

mali; hinc etiam quod *pure malum* repugnet, quia saltem admiscetur ei *subiectum* bonum.

2. Malum nec per se nec per accidens habet causam *formalem;* causa enim formalis est *forma;* sed omnis *forma* est positivum, quo aliquid in suo esse constituitur; et malum est *privatio* formae. Ergo malum nec est causa formalis nec habet causam formalem. Adhuc *privatio* dicitur *ratio formalis* mali, seu definitio et formalitas mali; nempe sicut ceteras negationes sic et malum ad instar cuiusdam formae *concipimus*, quin tamen *sit forma*, est enim negatio formae.

3. Malum, qua tale, non habet causam *finalem;* i. e. in se non induit rationem *finis*, cuius obtentio ab aliquo intendatur ratione sui. Potius enim est negatio illius boni, quod ratione sui intenditur, est enim *privatio* in aliquo ordinis debiti ad finem, ut caecitas *privatio* in *oculo ordinis* debiti ad *videndum*, et peccatum in volitione privatio *ordinis* debiti *ad finem*. Unde: malum, qua tale, a nemine appetitur, a nemine intenditur.

566. — 4. *De causa efficiente mali.* Malum habet causam *efficientem* non per se, sed per accidens; quam causam dicebamus esse bonum; paulum in hoc insistamus.

Causa mali considerari potest: 1º in ipsa *virtute* efficiente; 2º *in effectu*.

1º Prout consideratur in *virtute* activa (seu *in actione*, ut etiam minus proprie dicitur), est *defectus* causae sive principalis sive instrumentalis. *a*) Ambulatio *defectuosa* (vacillans) pueri causatur ex defectu *vis motivae*, causae *principalis* motus, seu puer ob gracilitatem *locomotivae* ambulatione firma privatur; *b*) claudicatio autem causatur ex defectu solius *instrumenti*, i. e. sub robusta locomotiva distorsio cruris normalem impedit gressum, etc.

2º Prout autem consideretur *in effectu* (actionis transeuntis), malum varie causatur: *a*) in quantum virtus agentis *perfecta* effectum bonum obtinet formam per se intentam, comitante tamen privatione alterius formae, cum forma producta inconsistentis. Ignis in ligno bonam formam, ignem intentum producit, quae tamen forma formam *ligni* fugat. *b*) In quantum ex *imperfectione* agentis, effectus ipse intentus deficiens consurgit, i. e. bonus et positivus quidem, sed in gradu infra volitum; v. g. calor debilis causat calorem ad intentum coctionis insufficientem, virtus senescens ambulationem rectam, firmam, volito tamen lentiorem; aut etiam *c*) Ex indispositione *materiae*, v. g. calefactio ligni viridis... Quia vero defectus accidit bono *per accidens*, hinc formula: bonum est causa mali, sed solum *per accidens*.

567. — § 2. *Malum culpae, malum poenae.* Omne malum in creatura rationali nunc *de facto* vel culpa est, vel poena. Ad cuius intellegentiam *praenota:*

1º Malum in genere est *privatio* boni, i. e. carentia boni seu perfectionis debitae. Igitur ratio mali stat in tali *privatione*, non in qualibet carentia. Minus recte Leibniz *quamlibet* carentiam boni, i. e. *limitationem* ipsam malum *metaphysicum* appellavit; si enim bono *limitato* nihil deest pro sua integritate, limitatio non erit ei mala, cum nec *natum* sit illud, quo caret, habere. Ita sensus communis et philosophorum (1). 2º Natura *rationalis* ad malum

(1) Pulchre ab Aquinate declaratur qui malum esse possit vel in *substantia* ipsa vel in eius actione: « Malum quidem in substantia aliqua est ex eo quod deficit ei aliquid, quod *natum est* et debet habere; si enim homo non habet alas, *non* est ei *malum*, quia *non est natus* eas habere... Est tamen *malum* si manus non habeat, quas *natus est* et debet habere, si sit perfectus; quod tamen non est malum avi... In *privatione* igitur sic accepta est ratio mali » (3º c. G., c. 6).

et bonum *specialiter* se habet, ut reliqua non se habent (S. Th.); hinc malum, prout creaturae rationalis, in malum dividitur *culpae* et *poenae*. In hac enim creatura malum aut *morale* est aut *physicum*. Iam: Quod 1) omne malum *morale* sit *culpa*, ex ipsa eius ratione fluit. Quod 2) omne iam *physicum* malum de facto proque tali creatura rationem induat *poenae* (punitionis), id quidem neque ex definitione habetur mali physici, neque ex lumine rationis, sed ex « traditione fidei » (S. Th.). De singulis pauca.

568. — 1) Malum *morale* est carentia debitae conformitatis ad legem in operatione *libera* aut in eius omissione; voluntas tunc, ex dominio in actum vere *responsabilis* eiusdem, in culpam incurrit poenaeque reatum contrahit. *Poena* est punitio (privatio boni physici) voluntati displicens, *inflicta* ob *culpam*. Igitur omne malum *morale* est malum *culpae;* malum autem *culpae* est causa moralis seu *origo* mali *poenae*, ut meritum est causa praemii. 2) Malum *physicum* est carentia formae aut perfectionis integritati entis *debitae*, ut caecitas, morbus... Si hoc malum quasi *punitio* infligatur culpae sive personalis sive naturae (in Adamo), tunc rationem induit *poenae*. Iam in actuali providentia divinaque iustitia, quibus omnia subduntur, mala hominis physica rationem habent *poenae* non late solum, in quantum producunt dolorem aut mere *nocent*, « quod autem *nocet*, *poenale* est » (Aug.), sed immo *stricte* in quantum ad *punitionem culpae* infliguntur. Deus benigne (indebite) integritatem decreverat absentiamque doloris de facto patrimonium hominis esse; si igitur nunc (Adamo peccatore) dolores undequaque nos affligunt defectusve integritatis, punitio sunt. « Habet autem hoc traditio fidei, quod *nullum nocumentum* creatura rationalis potuisset incurrere neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato praecedente vel in persona vel saltem in natura; et sic sequitur quod omnis talis boni privatio, quo uti quis potest ad bene operandum, poena dicatur, et pari ratione in angelis » (De Malo, q. 1, a. 4, c.). Ergo « *omne malum* rationalis creaturae vel sub *culpa* vel sub *poena* continetur » (ib.). — « Sic igitur omne malum, in rebus voluntariis consideratum, est vel poena vel culpa » (1 p., q. 48, a. 5, c.).

569. — *Observa.* « Quia creatura rationalis habet per *liberum* arbitrium *dominium* sui actus... », fit « ut ei imputetur aliquid ad *culpam* vel ad meritum; et reddatur ei aliquid ut *poena* vel praemium » (1 p., q. 22, a. 2, ad 3). Igitur *gradus* culpae in operatione mala a maiori pendet minorive *voluntarietate*, a pleniori scilicet minusve plena prohibitionis notitia, magisque expedita tunc libertate. Hinc: *a*) Si voluntarietas ob absolutum alterutrius defectum fuerat *nulla*, operatio iam fuit « peccatum tantum », i. e. peccatum materiale, non verum peccatum *punibile*, *non culpa*. *b*) Si voluntarietas fuerat plena, tunc « dicitur non solum peccatum sed culpa », i. e. peccatum sive materiale sive *formale* cum reatu ad poenam. *c*) Si quid denique involuntarii voluntario miscebatur, eo iam minus erit culpae, quo minus fuerat voluntarietatis (1).

---

(1) Cfr. Macksey, S. I., Ethic. nn. 21, 27, 43...

Articulus IV.

DE OBIECTIONIBUS BAYLE

570. — *St. q.* De Manichaeismo vix iam occuparemur, ni staret Dictionarium (1), in quo ad voces « Manichaeus », « Origenes », « Pyrrhon » aliasque, Baylius placita Manis gustibus aptavit sectarismi, aversione potius Providentiae, *exsistentiae* Dei (2). Deus enim, si *bonus* non est (bonus autem nonnisi *providus*), simpliciter non est. Iam minus apparet bonus, naturas nobiles tot crucians modis aut cruciari sinens. Ergo Deus non exsistit. Qui quidem discursus plures semper habuit auditores (3). Meritum Baylii in novitate fere consistit apparatus, in simulata mitigatione; ideae enim ipsae, a Patribus iam saepius confutatae, ab Aquinate rursum fuerant collectae atque etiam dissipatae (v. g. 1 p., q. 22, a. 2. — Comp. Theol., c. 142, etc.). Iuxta eas:

571. — *Obicitur in genere.* Deus bonus, *infinite* bonus praedicatur, infinite sanctus, potens. Atqui hominem condere potens felicem beneque inclinatum vix capitur curnam *physice* miserum, *moraliter* ad vitia proclivem fecerit. Ergo datur principium malum.

Resp. D. M. In se, *C.* In operibus, i. e. manifestans *infinitas* in eis perfectiones, *N. M.* — *Ctr. m. Directe* deque prima *intentione* mala physica, moralia autem utcumque *intendens*, *C.* Physica (particularia) indirecte intendens, *moralia* autem mere permittens, *N. m.* — *N. c.*

572. — *In concreto. Obi. I.* Provisor sapiens ab his, quorum gerit curam, mala defectusque, quantum potest, avertit. Atqui Deus, mala vitare potens, non vitat. Ergo aut non bonus, aut non sapiens.

R. D. M. Id facit provisor particularis, in ens particulare invigilans, *C.* Provisor universalis multorum, *Sd.* Etiam ipse directe malum qua singulis malum non vult, *C.* Positive impedire tenetur malum physicum *particulare*, utcumque universali bono, aliis etiam finibus, inserviens, *N. M.* — *Ctr. m.* i. e. Malum eis directe vult aut qua singulis malum, *N.*, i. e. Mala physica *indirecte* eis vult, moralia autem permittit, qua bono universali aliisque finibus inservientia, *C. m.* — *N. c.*

Explicat Aquinas: « Si enim omnia mala (particularia) impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset *occisio* animalium, nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum » (q. 2, a. 2, ad 2). Necnon Augustinus: « Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et *bonus, ut bene faceret etiam de malo* » (Enchir., c. 11).

573. — *Nota* 1. Persecutiones et tyrannides, quia ad malum *culpae* pertinent, nec per se nec per accidens *velle* Deus potest; permittit tamen; licet enim severa poenarum sanctione *moraliter* easdem impediat, *physice* tamen sine ruina libertatis impedire non potest.

Nota 2. Ratio cur vel physica mala (particularia) *solum per accidens* velit Deus,

---

(1) « Dictionnaire historique et critique » 1695 et 1694.¶

(2) Bayle (1647-1706) initio protestans, deinde Iesuitarum aulis catholicus, protestans denique, atheus immo, scepticus, sceptice scripsit; modernae impietatis magister, ipsius quoque Volterianismi.

(3) Sit exemplo iuvenis animum aperiens de Dei exsistentia anxium ex duplici capite: 1° Ex eo, quod principium causalitatis sive scientifice sive metaphysice sumptum ad Deum conducere sibi non videatur. 2° Ex eo, quod tot exstantibus in mundo malis, « trinomium Dei sapientis, boni, potentis; maxime binomium omnipotentis et boni » consistere nequeat (Cfr. « Rivista di Filosofia Neo-Scolastica » n. 20, Febbraio 1912, p. 126; ubi litterae recitantur integrae).

haec est: 1) Malum, in quantum huiusmodi, cum indoli opponatur appetitus, appetibile nullum est aut Deo aut creaturae (Cfr. Psych.); igitur directe ac *per se* (ratione sui) amari a Deo nullum potest. 2) *Indirecte* autem et per *accidens* id amari dicitur, quod alteri per se amato unitur. Iam bono *universi* (bono hominis...), quod a Deo per se amatur, plura uniuntur particularia mala, privationes scilicet boni physici minoris, v. g. destructio animalis. Quae mala, quia solum ut ducentia ad bonum maius amantur directe amatum, *indirecte solum* amari dicuntur; amantur tamen. Unde effatum « non sunt facienda mala ut eveniant bona » non de physicis sed de *moralibus* malis agit.

Nota 3. Apparet curnam mala moralia ne per *accidens* quidem velle Deus possit. Cum enim Deus plus quam se suumve bonum amare nihil possit, malum *culpae*, destructivum ordinis ad *bonum divinum*, velle nullatenus potest; nec *per se*, quia est malum; nec *per accidens*, quia bonum physicum (directe amatum), cui malum culpae unitur, *amabilius* nunquam erit *bono Dei*, quod per culpam destruitur; seu sic: quia tunc privatio boni, quae directe volito unitur, non est privatio *minoris*, sed *maioris* boni (Cfr. 1 p., q. 19, a. 9).

Nota 4. Deus non vult mala; neque vult *mala fieri*. Quidam negarunt alterum, quia mala semel facta (aiebant) ordinantur ad bonum, sunt occasio boni. At immerito. Deus nec vult iniustitiam in se, nec vult a tyranno iniustitiam in martyres fieri, etsi martyrium occasio sit gloriae Dei. Malum enim fieri per se ordinatur ad malum, seu ordo mali est privatio boni; ergo in se nunquam amari potest; seu mala esse aut mala fieri non est amabile, non est bonum. Quod deinde per accidens sequi potest: mala esse *occasiones bonorum*, id quidem bonum et amabile est; quia tamen extra ordinationem mali sistit, in *nova* velut serie collocatur, ut quid omnino novum, per accidens ortum, per accidens etiam cum *effectione mali* coniunctum. Ergo quod « mala esse aut fieri est bonum » ordinem *mali ad bonum* importet, non est admittendum; aliquid enim alicubi non importatur secundum quod ibidem *solum per accidens* reperitur, sed secundum quod reperitur *per se*. Sed ordo *mali ad bonum* effectioni malorum solum per accidens competit, *non per se* (ut iam declaravimus). Ergo phrasis *simpliciter falsa* est, nec ordinationem importat aut significat mali ad bonum, licet ordinatio supervenire tandem effectioni malorum possit, puta in martyrio (Cfr. S. Th. 1 p., q. 19, a. 9, ad 1...).

574. — *Obi. II.* Deus bonus et potens mala saltem *moralia* (peccata) in creaturis suis impedire deberet. Atqui non impedit. Ergo factor rerum non est Deus.

R. 1º *N. M.* — *R.* 2º *D. M.* modo naturae conformi, *C.* Contra naturam creaturae, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. Deus, quantum *libertas* patitur, per praecepta iam aliasque morales sanctiones mala repressit *moralia;* etiam *physice* eadem impedire nullo tenetur titulo. *a*) Non ex *iustitia;* cum *ius* creaturis non insit a Deo reclamandi plus, quam quod Deus dedit, minus adhuc reclamandi suppressionem doni libertatis meritoriae. Si enim ius ad *esse* non habemus, quis praesumat ius ad *modum* huius esse? *b*) Non ex *bonitate;* quae quidem hoc solo iam commendatur satis, quod creaturam praesidiis armat, praeceptis impellit, minis frenat atque ab abusu avertit libertatis; ceterum bonitas eo perducta, ut electiones mali etiam physice impediret, non bonitas sed *contradictio* esset. *c*) Non ex *omnipotentia;* haec enim decretum sapientiae destruere nequit, e libero creaturae servitio determinatum gloriae gradum sibi procurandi. Unde et *relative* ad finem mundi actualis ordo praesens omnium optimus est, in quo ipse libertatis abusus occasio est novae gloriae; peccatum tyranni occasio gloriae in confessione martyris, in fulgore iustitiae tyrannum punientis, in nobilitate reparationis...

Nota. Immo, etiam in hypothesi quod Deus maximam sibi procuret gloriam ex *optimo* mundo (nulla necessitas), disputatur, minime ostenditur, *maiorem* obtenturum gloriam *impediendo per vim* peccata, quam libertati eadem *permittendo*.

575. — *Obi. III* (Inst.). Homo, aliena peccata impedire potens nec impediens, iure criminatur, licet aliunde neque intendat positive peccata neque velit. Ergo a pari Deus omnia peccata impedire potens, si non impediat, male se gerit.

R. Tr. Ant. — *N.* cons. et parit. *a*) *Homo* non est arbiter neque dominus divinae gloriae aut mensurarum; ligatur (praeceptis) ut haec faciat, alia omittat, haec alia impediat (ut paterfamilias respectu filiorum...). *b*) *Deus* autem, omnium dominus, suae modos gloriae gradusque ad placitum mensurat; peccata ipsa impedire absolute non tenetur, tenetur potius naturam non destruere ab ipso conditam, efficacibus simul eamdem praesidiis muniens ut abusus evitet. Atque in his Deus non defecit. *c*) *Antecedens* transmissum est; licet enim quisque *propria* teneatur semper vitare peccata, sed aliena non semper, maxime si superior communitatis non sit. Quandonam obligatio urgeat et quousque, Moralistae decernunt; lex cum gravi incommodo non obligat; indiscretus corrigendi zelus occasio forsan novi peccati est, blasphemiae, contemptus Decalogi, Ecclesiae, etc.; tunc autem negative se habere proficiet.

576. — *Obi. IV.* Saltem *bonitas* Dei talia permittentis non est summa. — Si enim Deus infinite bonus est, non apparet cur 1) hominem a tot aerumnis, anxietatibus, morbis, deformationibus, etc. non praeservet; praesertim cur 2) hominem fecerit ad *scelera pronum;* aut saltem 3) cur illum sic constitutum a peccati allicientiis non separet. Ergo Deus non est bonus.

R. ad 1) rationes non desunt: *a*) Qui *gratis* hominem fecit, etsi non *omnia* eidem largiatur bona, bonus esse non desinit. *b*) Bonitas et amor Dei *subiective* quidem (entitative) infinitus, *obiective* seu manifestative *finitus* est, cum creatio *infiniti* repugnet. *c*) Mala physica individualia bono serviunt *universi;* plurium corruptione maior gignitur *pulchritudo*, excellentior vita (ut supra de leone...); unde et *subordinationem* proclamant inferiorum ad superiora, particularis ad universale; homo autem ipse universi pars est. *d*) Mala physica nos ad bonum superius stimulant, ad exercitium patientiae, ad amorem virtutis, ad *coronam. e*) In Adamo iam peccatores, in capite ipso societatis immunitatem a passione cum aliis amisimus privilegiis, condicionate solum et per gratiam homini concessis; tempus advenit *puniendi.*

R. ad 2) Deus hominem condens *liberum* bonus fuit, ad malum non inclinat, sed a peccando eum per omnes avertit aptas vias; et quamvis iam lapsum a certamine non praeservat, ad pugnam confortat, et (ut supra) ne in statu quidem lapso et tempore punitionis *vult* mala moralia, sed permittit.

R. ad 3) His tanguntur *mysteria* praedestinationis nobis occulta. Alios quidem ordines decernere Deus potuit, in quibus nunc peccantes non peccassent et nunc non peccantes peccassent; at praesentem prae ceteris elegit, cuius nulli rationem reddere tenetur; praesens autem ordo beneficium exsistendi nobis concessit, aliis hominibus inter mera possibilia relictis; nec praesidia nobis desunt ad vincendum obices honestae praxis; omni nos industria ad luctam ipse parat, confirmat, ad victoriam ducit. Libertas impeccabilitatis elevatissima solius est Dei, qui mereri nec debet nec potest, non creaturae, quae per luctam ad praemium accedit. Secreta de his divina scire velle aut velleitas aut ignoratio est praesentis condicionis.

Articulus V.

de veritate dei in se

Propositio XXXI. **Deus est in se summa veritas ontologica, logica et moralis.**

577. — *Praenotanda. St. q. Unitas, veritas, bonitas* attributa dicuntur *transcendentalia*, eo quod proprietates sint (late tales) cuiusvis entis, entis ut sic, seu entis omnia transcendentis; proin et Deo competunt, *summe* quidem, i. e. prout enti summo, prout essentiae summae. Id de unitate Dei *transcendentali* clare apparuit (prop. XXIX).

Iam ut de unitate necessario fusius erat dicendum ob sensus varios clas-

sesque unitatis, ob singularem viarum unicitatis intricationem, ob ipsum momentum *unicitatis* vere exceptionale; de veritate et bonitate Dei, per se iam manifestioribus, brevius agemus.

578. — *Notiones.* Veritas, adaequatio rei et intellectus, etsi per prius et valde proprie in intellectu, at in rebus ipsis et vocibus etiam reperitur; unde triplex est: *ontologica, logica, moralis;* omnes tres in Deo tam summe insunt tamque perfecte, ut Deus iisdem essentialiter constituatur, ut Deus sit ipsa veritas.

579. — *Pars* 1ª. *Summa veritas ontologica. Prob. Veritas ontologica* est conformabilitas rei cum intellectu. Ergo *summa* veritas ontologica erit perfecta summi entis conformabilitas. Atqui Deus est ens maximum, summe alicui intellectui conformabile. Ergo est summum verum, seu (ex simplicitate) summa *veritas ontologica.*

Min. Conformabile est in proportione ad ens, seu: quo plus entis, plus conformabilitatis, stante intellectu perfecto. Atqui Deus est plenitudo entis, et intellectus infinitus. Ergo est summe conformabilis intellectui.

580. — *Coroll.* 1. Ergo Deus est etiam veritas ontologica *prima*, duplici titulo: *a*) quia reliquae ontologicae veritates, ut et entia, derivantur a Deo; *b*) quia creaturae ideo dicuntur *primo et essentialiter* verae (ontologice), quia speculativo Dei intellectui conformabiles. Ergo Deus, ut *fons* primus entium, est etiam prima veritas ontologica, et prima *norma* conformationis.

581. — *Coroll.* 2. Ergo veritas rerum ontologica primario consistit in adaequatione (strictius in adaequabilitate) non cum intellectu *practico* Dei, i. e. non cum ideis exemplaribus (ordinatis ad praxim creationis), sed cum *speculativo.* Id respectu veritatis ontologicae *Dei* per se patet; sed et respectu aliarum; singula enim possibilia *per prius* ad omne creandi decretum sunt ontologice vera, cognoscibilia, immo cognita ab intellectu *speculativo.* Deinde et velut in 2ª etapa sub decretis creandi possibilia fiunt rursus vera (non iam omnia) in ordine ad intellectum *practicum.*

Pars 2ª. *Deus est summa veritas logica.*

582. — *Prob.* Veritas logica (seu formalis) est adaequatio intellectus cum re i. e. cognitio obiecto conformis. Ergo quo intellectus et cognitio in se extensivo-intensive maior et quo plenior eiusdem cum obiecto conformatio, et quo in se nobilius cognoscibile maiusque, eo maior *veritas* logica. Atqui intellectus et cognitio (una res in Deo) extensivo-intensive sunt in se infinita; *conformatio* cognitis omnibus est pariter infinite perfecta, quia per comprehensionem; et cognoscibile *primarium* (Deus) est in se infinitum, secundaria sunt infinita extensive (exsistentia et possibilia). Ergo in Deo est *summa veritas* logica; proin (ex simplicitate) Deus est *summa veritas* logica; ergo Deus est cognitio in se summa; obiecto suo summe conformata extensivo-intensive, i. e. omnibus et singulis perfecte; et quidem obiecto summo, i. e. et *intensive* infinito (Deo), et *extensive* infinito (possibilibus).

583. — *Coroll.* Ergo Deus est etiam *prima* veritas logica, varie: *a*) quasi *historice* et prioritate durationis in se, in Deo; exsistit enim *ab aeterno*, reliquae autem *in tempore; b*) prioritate *naturae;* i. e. etsi ab aeterno creatus Deum angelus contemplaretur, angeli intellectio ab aeterno actuata eiusque logica

veritas esset *participata* a logica veritate divina, proin *natura* posterior. *c*) *Creata* veritas logica *efficienter* a divina oritur, quae et *facultatem* produxit et actum cognitivum creaturae comproducit. *d*) Quod insuper non sit *prima* historice etiam *pro nobis*, seu etiam *obiective* (ut Ontologi vellent) ex nostra solum *incapacitate* pendet, quae nonnisi discursive illam attingit ex creaturis.

Pars 3ª. Deus est summa veritas moralis seu veracitas.

584. — *Declaratur.* Deus sese hominibus per aliquam locutionem manifestavit seu conceptus suos homini communicavit. In locutione ipsa (in sermone) veritas dupliciter est: *a*) Ut in mero *signo* conceptus, quasi esset conceptus ipse, est enim conceptus externatus; et tunc in sermone ut in signo attenditur solum conformatio vel non conformatio sermonis cum *re ipsa in se*, ad quam significandam adhibent homines; talis veritas (aut falsitas) sermonis est evidenter *logica*, quae proprie in *cognitione* exsistens, solum metaphorice ad signum externum, *vocabulum*, transfertur; proin non est veritas, de qua fit nunc quaestio. *b*) Ut in *re*, quae menti conformetur; sub hoc respectu sermo tunc verus seu verax dicitur, cum *mentale* iudicium reproducit etsi forsan *rei in se* difforme; falsus autem et *mendax*, quoties iudicium *aliter* ac est *in mente* reproducit, etsi sermo rei in se conformetur; et quia in primo casu supponitur rectitudo *voluntatis* et *honestas* in debito sermonis usu, in secundo autem ex opposita ratione inhonestas voluntatis, id genus veritatis veritas *moralis* dicitur seu *veracitas*, quae proin non *logicae* falsitati sed *mendacio* opponitur; hanc solam in sermone veritatem 3ª pars considerat, alia ad 2ªm partem pertinebat.

Immo, cum veracitas rectitudinem *voluntatis* plus quam intellectus dicat, in rigore attributum Bonitatis afficit; adhuc et *veritatem* Dei suo modo complet.

585. — *Prob.* Enti omniperfecto omnis perfectio simpliciter simplex vere et summe, i. e. iuxta propriam perfectionis formam, formaliter eminenter adest cum absentia imperfectionis (prop. XV). *Atqui* sicut esse *in se* absolute *infallibile* in perfecta scientia (summa veritate logica), sic esse *absolute verax* in loquendo est perfectio simpliciter simplex, esse autem *mendax* imperfectio. *Ergo* Deus est summe verax, proin est *summa veracitas*, seu summa veritas *moralis*.

Min. Ethica demonstrat intrinsecam mendacii inhonestatem, cum sit usus loquelae contra naturalem eius destinationem, proin simpliciter *abusus*.

586. — *Coroll.* 1. Ergo Deus summe verax est ut in *dicendo* sic in promissa servando; fidelitas enim perfectio est, infidelitas *imperfectio*.

587. — *Coroll.* 2. Ergo Deus est quoque verax in non causando habitum, immo *actum*, quo quis necessario erret; seu: ergo Deus errorem infundere nequit. Etsi enim id facere, proprie et formaliter mendacium non esset, quia non esset locutio, qua Deus propriam de aliqua re mentem alteri infideliter manifestare vellet (1), esset tamen virtualiter et *effective* mendacium, quatenus ille actus infusus, vocem velut a longe loquentis reproducens, ut ei

(1) Sic Lugo (« De fide », d. 4, 1, 3) et consideranti patet.

credatur, falsam de re cognitionem in homine poneret; quod ipsum iam veracitati Dei et sanctitati aliquid indigne detrahere videtur (1).

588. — *Coroll.* 3. Ergo quidquid Deus dicit seu revelat, est omnino *verum* seu re us conforme. Deus enim, qua est summa veritas logica, omnia *verissime* penetrat prout in se sunt, proin *non fallitur* ipse; qua vero est summa *veracitas*, omnia secundum suam cognitionem refert; i. e. *non fallit alios*. Tota nostra *theologica fides* his duobus fundamentis innititur.

Articulus VI.

DE VERITATE DEI PRO NOBIS

Propositio XXXII. **Deus est pro nobis naturaliter invisibilis, incomprehensibilis, ineffabilis.**

589. — *Praenotanda. St. q.* I. *Nexus cum praecedentibus.* Deus summa et prima veritas logica nuper demonstratus (art. V), talis erat de se *in se* et quasi *pro se;* intellectui enim infinito ens ontologice infinitum bene proportionatur. Nunc consideratio instituitur de eodem illo ontologice infinito per ordinem ad creatum intellectum, non utcumque et subiective [sic enim ut *producens* physice intellectum cum suo actu erat et pro nobis prima *ontologica* veritas], sed *obiective*, qua prius terminans nostras cognitiones, ut fons *logicus* ceterarum cognitionum. Sic autem praesens articulus completio erit praecedentis; in illo studium erat de magna veritate potius absolute et pro Deo; hic vero animo penitius et undequaque rem explorandi, velut e Deo egredimur, ut veritatem Dei magis *relative* perpendamus; quo etiam fiet ut *eminens* illius veritatis excellentia ex antithesi cum nostra infirmitate limitibusque fulgidior in propria inaccessibilitate eniteat, nec enim aliud significant invisibile, incomprehensibile, ineffabile, nec aliud est officium trium attributorum vere et pure *negativorum*, quae compendiosius in philosophia, latius in theologia tractari exigunt. Unde et aliter sic: quae tot modis summa in se veritas apparebat, nunc non tam omnimode summa denuntiatur ex defectu non sui sed alieno; qui defectus, a philosopho iam notatus « Intellectus (noster) ad manifestissima naturae se habet ut oculus noctuae ad lucem solis » (2), ab Angelico clare proponitur: « Intellectus creatus non impeditur ad hoc, quod naturaliter possit Deum per essentiam videre, ex defectu *divinae* essentiae, quod de se non sit intellegibilis in actu; sed ex parte *ipsius intellectus* creati... Tertio propter *excessum claritatis* divinae essentiae supra formam, qua intellectus creatus naturaliter intellegit... » (3).

590. — II. *Proxime. St. q. Invisibilitas* in praesenti est sive *corporea* sive praesertim *spiritualis*. 1. Visibilitatem Dei (spiritus) *corpoream* i. e. per *or-*

---

(1) Ita circa errorem etiam *pure speculativum* Suarez cum communi thomistarum, ita Kilber, etc., contra Vazquez, Lugo aliosque. Hi *practicum* errorem infundi non posse concedunt v. g. hunc: « mendacium licet » aut « Mahumetismus est verus »; quia id esset in malum *morale*, in ruinam animae; sed mere *speculativum* aiunt esse malum mere *physicum*, ideoque infundi posse (Cfr. Urráb. 7, n. 119, ubi de *restrictionibus:* Deus *non pure* mentales potest, *pure* mentales non potest usurpare. Sed haec ad Theologos spectant et ad Ethicos).

(2) II Metaph., text. comm. 1.

(3) 4° Dis. 49, q. 2, a. 6, ad 4.

gana corporea seclusam prorsus reliquimus in Psychologia *naturaliter*, immo et supernaturaliter sub lumine etiam gloriae et in corpore glorioso, et pro *oculo* glorioso; impossibilitas enim erat *essentialis;* proin nisi essentiae destruantur invincibilis, tunc autem (notat Billuart) exitur e quaestione. Theologis certe incumbit talia in Scriptura et Patribus, in Augustino... examinare, interpretari, solvere (1).

2. *Visibilitas spiritualis* intellegitur rigorose, i. e. cognoscibilitas Dei per *intuitionem* seu per conceptum *proprium* rei praesentis ut praesentis. Cuius characterem cognitionis, *naturalem* eiusdem impossibilitatem, in Psychologia contra Ontologos exposuimus, nec necesse nunc repetere. Unde propositio in 1ª saltem parte nullam prae se fert difficultatem, philosopho inquam; affert tamen plenitudinem ordinis aliaque commoda nuper exposita. Attendimus ad intellectum humanum; angelicus, licet creatus, pertinet ad theologos.

591-2. — *Pars* 1ª. *Prob.* 1. Deus naturaliter videri a nobis nequit nec proprie, i. e. oculis *corporeis*, nec metaphorice, i. e. *per intellectum. Ergo* pro nobis simpliciter invisibilis est.

Ant. 1ª *pars.* In ordine ad cognitionem *improportio* inter organum vivum cum virtute perceptiva et rem *spiritualem* percipiendam est *absoluta.* Ergo...

Ad ant. 1) Impressionem sibi necessariam (speciem), etsi transeunter in eo producenda sit, adhuc saltem naturaliter a corporeo solum, ab extenso et resistente recipere potest, et absolute nonnisi ad percipiendum corporeum. Hinc 2) operatio subsequens, immanenter elicita (cognitio), superare nequit naturam *organicam* (effectus superaret causam); unde et ipsa organica erit ac extensa. Ergo ad spirituale *terminari* non poterit; operatio enim specificatur ab obiecto, ad quod terminatur (Cfr. Psych.).

Ant. 2ª *pars.* Intellectus noster, quidquam sine speciebus cognoscendi incapax, *a*) in *praesenti* statu unionis species *proprias* (proin et cognitiones in *propria* cogniti forma) nonnisi de quidditate *sensibilium* habere potest; *b*) in statu *separationis naturali*, nonnisi de iisdem et de se et de similibus in essentia (ostensa sunt singula in Psychol.). Atqui Dei essentia in ordine prorsus *novo*, dissimili et improportionato sistit sicut entitative sic et consequenter pro adaptabilitate ad cognitionem. Ergo nec spiritualiter a nobis unquam videri potest.

Minor. In suo actu purissimo in infinitum separatur entitative ac supra creatos intellectus *elevatur*, qui potentiales creaturae sunt. *Atqui* cognitioni nostrae adaptantur ea solum, quae in *media* entitatis suae elevatione ad *mediam* intellectus elevationem conformantur (ut in Psych.), et haec sunt quidditates sensibilium (pro nunc) et formarum spiritualium (in separatione). *Ergo...*

593. — *Prob.* 2. *Invisibilitas intellectualis.* Videretur Deus aut *intuitione* stricte tali aut late tali i. e. conceptu *proprio* etsi abstracto sed quidditativo. *Atqui* neutro modo. *Ergo* est intellectualiter invisibilis.

Min. 1ª *p.* Intuitio Dei stricte talis, humano intellectui naturalis, reiecta est (contra Ontol.); quia nec conscientia illam refert, nec necessaria redditur ad genesim idearum universalium aeternarum, nec in se possibilis sed impossi-

---

(1) S. Augustinus tandem aliquando ac definitive visionem *corpoream* reiecisse videtur, quin tamen *certus* de re esset, ob contraria in *Iob*, etc. « *Oculi mei* conspecturi sunt »....

bilis ostenditur ex improportione ut supra (prob. 1), quae improportio etiam pro statu separationis remanet. Ergo non 1º modo.

Min. 2ª *p.* Conceptus ille *proprius* obtineri nequit nisi per *intuitionem;* pro casu enim *intuitivus* et *proprius* reipsa confunduntur (ut Suarez ostendit contra Scotum, tenentem dari posse *proprium* non intuitivum). Ergo nec 2º modo. *Antec.* Quia abstractivus efformaretur vi cognitionis effectuum Dei. Atqui effectus sive praesentes sive alii possibiles infinite semper ab hoc distabunt, quod essentiam Dei exhaurientes, illam undequaque nobis in propria forma referant. Ergo conceptum de Deo nunquam dabunt *proprium;* proin nisi intuitivus sit, proprius esse non poterit. *Ad min.* Cum nemo det quod non habet, praedicti effectus dabunt speciem sui propriam seu *naturaliter* destinatam ad cognitionem sui in propria sui forma, quae *analogice* se habet respectu divinae. Ergo speciem propriam pro Deo, i. e. naturaliter destinatam ad *propriam* Dei cognitionem in nobis causandam, dare non possunt, etsi in infinitum multiplicentur. Ergo nec unquam dabunt conceptum proprium sed *analogicum* Dei.

Pars 2ª. Deus nobis incomprehensibilis est (1).

594. — *Praenotanda.* 1. *Notiones.* Comprehensio est perfecta et adaequata rei cognitio, seu cognitio, per quam *tota* rei cognoscibilitas exhauritur, seu per quam « tantum cognoscitur quantum est cognoscibile » (2).

« Comprehendere, comprehensio » proprie de corporeis capacitatibus dicuntur, ubi vas, manus... comprehendere aquam, monetam, tunc dicitur, quando nihil inclusi remanet extra includens; *translative* idem de cognitione significant.

Sed cognoscibilitas, quae « exhauriri dicitur » seu esse tota quanta, adhuc distinguitur: 1) *Extrinseca*, seu ex parte *facultatis* cognitivae; et tunc comprehendi dicit cognosci a *facultate quamperfectissima* esse possit absolute, a *substantiali* nempe ac *infinita* (solius Dei); id quidem *extra* obiectum ipsum cadere liquet. 2) *Intrinseca*, seu ex parte *obiecti*, et tunc comprehendi dicit cognosci rem cum tota illa perfectione, quam *ex se res* postulat aut provocare potest, attenta natura rei adaequata in quantum cognoscibili; haec sane *intra* obiectum cadit.

Intrinseca (quae facit omnino ad rem) rursum et extensive et intensive sumitur. *a*) *Extensive*, i. e. iuxta numerum notarum in re contentarum, ita ut *nulla* extra cognitionem maneat; *b*) *Intensive*, i. e. iuxta quantitatem *claritatis et certitudinis* cognitivae, quam ex propriis meritis entitativis *res* ipsa permittit ac postulat. — *NB.* Intrinseca intensive talis cum *extrinseca* seu subiectiva ne confundatur; *intensiva* enim vel *in facultate minus perfecta* haberi potest, v. g. si de leone, de marmore, etc. comprehensive cognoscendo agatur; *extrinseca* vero (subiectiva) semper ac circa *omne* obiectum facultatem petit *infinitam.*

---

(1) Pro tota hac quaestione notamus, nos iuxta ea loqui dictamina ac idioma, quae magis acceptata et classica sunt. — Ceterum de singulis fere ideis controversiae exstiterunt, quas videre est in operibus theologicis. Cfr. praecipue: *Ioa. a S. Thoma*, « Cursus theol. », T. 2, q. 12, d. 15; *Suarez*, « De Incarn. », d. 26, a. 2; *Losada*, « De An. », d. 8, c. 5; inter hodiernos v. g. *Franzelin*, « De Deo Uno », th. 18; Urráb. 7, n. 198-207.

(2) « Illud comprehenditur quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur quod tantum cognoscitur quantum est cognoscibile » (p. 1, q. 12, a. 7, c.). Sumitur ex Aug. « Totum autem *comprehenditur* videndo quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem... » (Ep. 147, n. 21).

595. — 2. *St. q.* Iam 1) Nulla nos via nec statu comprehensive *extrinsece* (subiective) Deum capere, evidens est; caremus potentia *infinita*. Hinc de sensu solum *intrinseco* quaeritur; intra quem 2) Deum a nulla creatura nec *naturaliter* (abstractive) nec supernaturaliter (intuitive in *visione* beatifica) saltem extensivo-intensive comprehendi posse, non minus liquet; id enim esset *totam* Dei exhausisse intrinsecam cognoscibilitatem, quod quia infinitam petit facultatis intensitatem, solus potest Deus (1). 3) Nobis res *naturaliter* est sumenda; naturaliter autem plene constat nullo Deum vero sensu a creatura comprehendi, i. e. nec extrinsece, nec intrinsece, nec intensive.

596. — *Prob.* 1. Comprehensio est intellectio perfecta totam rei cognoscibilitatem exhauriens, seu per quam tantum de re cognoscitur, quantum in ea cognoscibile est. *Atqui* id de Deo naturaliter (saltem) nostro interdicitur intellectui. *Ergo* Deus nobis incomprehensibilis est.

Mai. Id exigit ut cognoscatur quidquid in re continetur *a*) *formaliter* ad essentiam, proprietates, attributa spectans; *b*) *virtualiter* et eminenter, i. e. omnia quae sunt in potentia rei *activa-passiva naturali* (non pure oboedientiali). Tunc *totaliter* res vere cognoscitur, tantum quantum, etc. i. e. vere comprehensive. « Comprehendere omnia, quae Deus potest facere, esset comprehendere divinam *virtutem* et per consequens divinam *essentiam*. Virtus enim quaelibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quae potest » (3 p., q. 10, a. 2).

Min. Ex prima parte caremus cognitione Dei *propria* et quidditativa. Atqui comprehensiva *quidditativam* supponit et transgreditur; nisi enim quidditativa est, aliquid erit intra *essentiam* ipsam, etiam ex formaliter in ea dictis, quod cognitionem praeterit, a fortiori ex his quae *virtualiter* in ea dicuntur; si enim essentia Dei, fundamentum eorumdem, perfecte non cognoscitur, nec fundata cognoscentur *omnia* et *distincte*. Ergo comprehensio Dei nobis naturaliter saltem impossibilis est.

597. — *Prob.* 2. Comprehendere aliquid est totam huius intellegibilitatem exhaurire. *Atqui* respectu Dei infiniti id nobis impossibile est. *Ergo.*

Min. Quia infinitum infinite cognoscibile est extensivo-intensive; quia ens est cognoscibile secundum totum entis; proin ens infinitum secundum totam eius infinitatem. Atqui intellectus *finitus* incapax est infinitum infinite in sua cognitione recipiendi, quia cognitio ad modum et gradum recipientis recipitur. Ergo exhaurire totam Dei infiniti naturalem scibilitatem pro nobis impossibile est.

598. — *Nota* 1. *Oboedientialis* potentiae cognitio non exigitur ad comprehensionem: *a*) quia cum intrinseca non sit reique *propria*, huius non aperit *naturam*, sed *extrinseca* eidem iacet; igitur *res ipsa* sine hoc iam fuerat penetrata *tota*. *b*) Cognitio illius potentiae perfectam *omnipotentiae* Dei cognitionem

---

(1) Ita communis theologorum de omni creato et creabili intellectu sive *viatoris*, sive *videntis*. Contrarie loqui *temerarium* habent vel ii, quibus displicet dicere esse definitum in Later. IV, in sensu nempe *absoluto* (v. g. *Vazquez*, in 1 p., disp. 52, c. 1, n. 3; *Arriaga*, d. 13, nn. 14, 16; *Mendive*, n. 119). Immo de sensu extensivo-intensivo Vazquez: « Quod si incomprehensibilis *hoc modo* usurpetur, *de fide* plane esset Deum a beatis non posse comprehendi ». Intellegunt rem de potentia Dei *ordinaria;* sed *plerique* cum Suarez etiam de potentia *absoluta* habent ut de fide; *omnes* ut tam *certum*, ut dicere contrarium audeat nemo (Cfr. Suarez, « De Deo », L. 2, c. 5, nn. 3, 6). — Definitum est *esse incomprehensibilem*, sed nihil de modo intellegendi *comprehensionem;* nec utrum *viatoribus* solum, an *etiam beatis*.

involveret; ideoque, nisi Deus, nemo rem *ullam* comprehendere posset; atqui tamen angelo conceditur quod *seipsum* et alia inferiora comprehendat.

Nota 2. Exigitur exacta cognitio *habitudinum* et *conexionum* rei, quae vi essentiae cognosci queant, seu quas ex sua natura res habet, habere potest; quia id ad penetrationem *essentiae* confert; attamen haec cognitio nihil *novum* addit cognitioni essentiae, nec esse tenetur *comprehensiva* habitudinum, id enim importaret *perfectam* causae (Dei) cognitionem; quia *habitudines* similitudinis essent ad *infinita* possibilia a Deo producibilia. Rursus angelo clausa esset omnis comprehensio. Tandem *aliae* habitudines, quae *non vi essentiae* in re haberentur, licet eas cognosci contingeret, ad cognitionem *essentiae* non conferrent, ideoque illarum cognitio exigenda non est.

Nota 3. In praedictis vix nisi ad *extensivam* attendebatur comprehensionem quasi haec ad veri nominis comprehensionem *sufficeret;* plerique tamen (cum S. Thoma) etiam *intensivam* reclamant, non quidem iuxta aequalitatem *entitativam* inter esse rei entitativum et cognitionis entitatem (i. e. non in genere entis), sed solum *cognitivam*, i. e. inter rem in *esse cognoscibilis* ac *cognitionem* in esse cognitionis; nempe exigunt ut res tanta claritate, intensitate, perfectione cognitiva cognoscatur, quantam res proportionate ad suam naturam petit; v. g. si quod anguli in triangulo aequent duos rectos *demonstratione* clare capitur, veritas haec comprehensa est; si autem *probabiliter* vel ex auctoritate accipitur, non est comprehensa, ob defectum nempe *intensitatis*, cuius est capax (1).

Iam facilius praecipuae de comprehensione quaestiones insinuari poterunt, variarum discrimina solutionum. De quibus sit

599. — *Scholion I. Quaestiones circa comprehensionem.* 1) Utrum ad veri nominis comprehensionem *sufficiat* exhaurire *intrinsecam extensivo-intensive* rei cognoscibilitatem. Affirmative apud omnes; Arriaga reclamat adhuc ut cognitiva potentia *aequae* sit *entitativae* perfectionis cum esse cogniti (2). Tunc sane Deum a nulla in ullo statu creatura comprehendi posse nimis evidens esset.

2) Utrum *requiratur extensivo-intensiva.* Respondent: *a*) Plures cum S. Thoma (3) simpliciter *affirmative. b*) *Negative* Toledo, Vazquez, Petavius, pauci alii; censent sufficere *extensivam. c*) Suarez (4) negat *suppositum* separationis, quia *extensiva* non erit, quin *simul intensiva* sit; adhuc utramque cum S. Thoma exigit; omni modo distinctio (ait) inter extensivam et intensivam utilis est ac retinenda. Ita etiam Struggl (5). Similiter plerique prioris sententiae auctores ab intensiva extensivam afferri opinantur (6).

3) Posita *necessitate extensivae* et *intensivae,* utra magis *de formali* comprehensionem constituat, ita ut alia *quasi corollarie* se habeat. *Resp. a*) Suarez, insistens in *metaphora* comprehensionis, videtur praeferentiam hoc sensu concedere *extensivae. b*) S. Thomas potius *intensivae* ex exemplo trianguli (Cfr. notam 3) necnon *ex metaphora* aliter explicata.

4) Posita *necessitate extensivae* sive ut *de formali* constituentis sive saltem ut comitantis corollarie, quid ipsa seu quotnam notas *amplecti* teneatur ex his, quae in obiecto comprehenso adsunt. Respondent *omnes : a*) Non decreta seu *liberas* volitiones, cum talia *contingentia* sint nec proin ab essentia dicantur; secus enim angelus, qui haec ignorare tenetur, naturam hominis non comprehenderet. *b*) Non ea, quae

---

(1) Est exemplum S. Th. 1 p., q. 12, a. 2, c. — De Verit., q. 8, a. 2, etc.
(2) Arriaga, d. 13, n. 3 et 5; fusius d. 6, de Anima, n. 12.
(3) Explicabatur in *Nota* 3.
(4) « De Incarn. », d. 26, s. 1, n. 13; et n. 6 « Utraque condicio est necessaria ad comprehensionem simpliciter et absolute ».
(5) 1 p., Tr. 1, d. 3, a. 4.
(6) Cfr. Franzelin, thes. 18, 11, 3°.

ad potentiam *oboedientialem* pertinent; patet ex nota 1, et ex nuper dictis sub *a*). *Plerique: c*) Certe quaecumque in obiecti natura sive formaliter, sive virtualiter, sive eminenter continentur (1); *Toledo* cum Scotistis et Nominalibus: sufficit si amplectatur quae *formaliter* in eo continentur (2). *d*) Vazquez, restricta quaestione ad visionem Dei, addit: omnia, ut sub *c*), ita quidem ut singula cognoscantur *vi visionis* ipsius, non ex *nova* aliqua extrinsecus addita revelatione (3). Nemo contradicit.

600. — *Scholion II. Mere theologicum.* Quid significet « videbimus eum *sicuti est* », nec tamen comprehensive. Respondent omnes: Deum *totum* sed non *totaliter*. Quid sit hoc in concreto. *a*) *Toledo:* Beatus visione *una* cognoscit clare essentiam Dei sub ratione plurium perfectionum, quas viator *non uno* actu percipiebat; « et quo beatior est, eo plura distinguit et penetrat; nunquam tamen omnia », i. e. etiam ex *formaliter* ibi contentis (*l. c.*). Sed id parum videtur; tunc enim beatus Deum adeo non comprehendit, ut nec videat eum « *sicuti est* » (4). *b*) Suarez, Vazquez, Valentia alii: In quantum vi visionis percipiet sicut est quidquid in Deo *formaliter*, non tamen quidquid *virtualiter* continetur. *c*) Alii cum S. Thoma (apud Franzelin, *l. c.*): Non ex hoc praecise, sed in quantum videt sicut est quidquid in Deo *formaliter* continetur, *visione* tamen *finite intensa*, i. e. non tota illa infinita intensitate et claritate, qua Deus in se cognoscibilis est; etsi inde etiam sequatur *virtualiter* contenta non videri (5). *d*) *Victoria* sic: Beatus clare intuetur essentiam, Personas, attributa, sed quia non *omni intensitatis* gradu intuetur, aliquid Dei ipsum latet, seu numerare incapax est omnem perfectionis gradum (6). Sed explicatio haec destruit « videre *sicuti est* »; debet videri *quidquid* in ea est, sive modus sive gradus appelletur. « Modus eius est ipsa *essentia;* et sic totaliter vident Deum, quia vident *totum modum* Dei eodem modo, quo totam essentiam » (De Verit., q. 8, a. 2, ad 2).

Pars 3ª. Deus est pro nobis ineffabilis.

601. — *Declaratur. Ineffabilitas* est attributum negativum, puram Dei perfectionem externis sermonibus inenarrabilem enuntians. Est igitur *impossibilitas* Deum vocabulis exprimendi, qualis in se est, praesertim exhaurienter seu adaequate et comprehensive. Deum esse ineffabilem intellegi potest *absolute* et *relative*.

1. Ineffabilis *absolute* est Deus ut *a nemine externe* enarrabilis, i. e. nec *a*) ab homine sive viatore sive comprehensore (7) sive naturaliter sive supernaturaliter beato; nec *b*) ab angelis in eorum singulari idiomate in gloria; nec *c*) a Deo ipso, qui externa efformans vocabula de seipso ad creaturam per aeternitatem alloqui vellet.

2. Ineffabilis *relative*, in quantum *nobis* sive *viatoribus* sive etiam in termino *naturali* constitutis per vocabula inexprimibilis active, inintellegibilis passive. — *Magis relative* adhuc, si solum nobis *viatoribus*. Iam Deus comprehensive sumptus est quidem *ineffabilis absolute;* ad philosophum autem

---

(1) I. e. non essentiam solum formalem sed eamdem qua *virtutem;* consequenter *effectus* omnes huius rei; quamvis enim *esse virtuale*, quod in causa habent, sit *ipsum esse* causae, sed hoc esse non poterit plene cognosci, quin ipsi *effectus in se* cognoscantur.

(2) Toledo, in q. 12, a. 7; *Mastrius*, De An., d. 6, q. 12. — Secus: 1) deberent *omnes effectus* cognosci, etiam qui per potentiam *oboedientialem* produci a re possunt; quod impossibile. 2) Solum *species* aut etiam *individua* effectuum, tunc *infinita* multitudo... Resp. alii: ad 1) *N.* — Ad 2) *Dist.* In *perfecta comprehensione*, quam Deus solus habet, etiam omnes *in individuo;* in *imperfecta* sufficit ut omnes species. Cfr. Urráb. copiose haec evolventem; 7., n. 201; et Losada, De An., d. 8, c. 5, n. 118...

(3) Vazquez, d. 52, c. 4, n. 17.

(4) Observat Suarez, « De Deo », L. 2, c. 29, n. 3.

(5) S. Th. 1 p., q. 12, a. 8, c. — Sic intellegenda erunt quae alibi S. Doctor potius ad sensum *b*) scribit.

(6) Apud Vazquez, 1 p., d. 53, c. 1, n. 2.

(7) *Comprehensores* dicuntur beati sensu *extra-cognitivo;* nempe homo ut *viator* insequitur finem, ut beatus consequitur et in eo *capto* et possesso quiescit.

sola naturalis ineffabilitas directe spectat. Haec ipsa, ut innuebamus, ad Deum se referre potest *comprehensive* perceptum, et tunc thesis erit nimis evidens; referri adhuc potest vel ad solam quidditatem Dei *in propria forma*, vel ad Deum infra-comprehensive; etiam sic affirmamus Deum naturaliter pro nobis ineffabilem, et quidem activo-passive, i. e. ut nec nos voce exprimere, nec ab alio loquente expressum nos capere possimus.

602. — *Prob.* 1. *Active ineffabilis.* Deus a nobis naturaliter nec comprehendi nec videri i. e. nec sub propria forma percipi quidditative potest in ullo statu nobis naturali (1ª et 2ª *parte*). *Atqui* vocabula sunt signa conceptuum loquentis propriorum. *Ergo* Deus pro nobis naturaliter ineffabilis est.

Min. Vocabula, ut sint loquela nostra, debent esse signa conceptuum *nostrorum;* seu loqui est vocabulis conceptus nostros alteri manifestare (1); si autem Deus supponatur nobis immittens aut inspirans *vocem*, quam proferamus, quaeque ab aliquo vidente Deum audita, in eo excitet conceptum quidditativum Dei, tunc nos non *loquimur*, sed ad instar machinae producimus sonum syllabarum.

603. — 2. Si *active*, etiam *passive erit ineffabilis.* Ratio enim primi erat impossibilitas efformandi conceptum quidditativum, quae incapacitas a *natura* ipsa intellectus pendet. *Atqui* haec *natura* per vocabula a quocumque pronuntiata mutari nequit, nec proin ab illis produci aut excitari quidditativus Dei conceptus, seu visio Dei. *Ergo* et passive est ineffabilis.

Min. Si Deus per unam vel plures voces nos *in visionem* Dei extaticam miraculose elevans ponitur 1) e quaestione exitur, ut patet. 2) Adhuc esset ineffabilis; nullo possemus vocabulo *aliis viatoribus* rem tam elevatam significare, non praecise ex improportione vocabuli creati cum re exprimenda increata; nam vocabulum cum *materiale* sit adhuc ad ideas *spirituales*, immo ad ens *a se* aliis manifestandum inservit praevio convenio, ex quo totum pendet; sed quia cum alii carerent conceptu quidditativo Dei, conventio partium ut determinata vox *Deum in se* significaret impossibilis esset; quaelibet vox esset quasi linguae penitus *ignoratae* et ignorandae.

604. — *Coroll.* Ergo Deus pro nobis *non omni* sensu *naturaliter* ineffabilis est; sub analogica potius cognitione perque voces *analogas*, quas de Deo abunde possidemus, effabilis. Inde solves quaedam de his sive in Bibliis sive in Patribus (in Augustino plura) apparenter pugnantia.

605. — *Scholion. Quid in patria.* Ad patriam confugimus: « id in patria: aliter in patria... ». De facto in visione Dei (« videbimus eum sicuti est ») res aliter continget, nec prorsus tamen aliter: in patria enim ipsa, quia *limes* creaturae non deletur, limes quoque in cognoscendo, limes in loquendo maneat necesse est. Unde: 1) Deus *quidditativus* angelo hominique *interne* effabilis erit; i. e. interna locutio quidditatem Dei fideliter cuique manifestabit. 2) Immo etiam *externe;* interno enim exstante verbo, externae vilitas vocis nec homini nec angelo (beatis) in respectivis idiomatibus impedimento esse poterit. Hinc sub *conventione* quod determinata vox Deum significet *sicuti est*, haec vox a beato percepta quidditativum in eo suscitabit conceptum, sicut in viatore vox « Deus » analogicum excitat. Huic doctrinae quidam opponuntur; at ratio affirmandi efficax apparuit, nec improportio *vocabuli* cum *divina* essentia ad rem facere videtur. 3) Deus *comprehensivus* profecto *ineffabilis* manet sive homini, sive angelo, sive Deo ipsi. *a*) *Homini* quidem atque angelo ex impotentia creaturae (etiam elevatae) pro *infinita* Dei penetratione; si enim non

(1) S Aug. « Vocabula propterea sunt instituta, per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat » (Enchirid., c. 22).

comprehendit, comprehensive effari aut active aut passive non poterit. *b*) *Deo autem;* quia licet Deus utique (solusque Deus) infinite seipsum extensivo-intensive comprehendat, possibili tamen cum creaturis consortio quoad haec carere tenetur; licet aliis nimirum aliisque sine fine vocibus aut una per aeternitatem iterata suimet Deus comprehensionem beatis irradiare aggrederetur, id obtinere nequiret, i. e. significationem vocis capere beatus nunquam posset in progressu etiam visionis maiori ac maiori, qui sane possibilis est (1). Stella differt a stella in claritate; unus beatus de Deo plus quam alius videbit, totum totaliter nemo unquam nisi solus Deus. Ergo nec externa vox aut oratio apta referre beatis totum comprehensive Deum suppetet unquam, nec in patria ab ullo dicetur.

Unum exsistit *verbum*, totum exhauriens Deum, quod ab aeterno Pater ad intra dixit; est increata locutio sublimiter silentiosa, sine syllabarum strepitu pronuntiata. Plura in Theologia (2).

Articulus VII.

DE BONITATE DEI

Propositio XXXIII. **Deus est summa Bonitas physica, moralis, utrimque benefica, atque ab omni creata bonitate infinite distans.**

606. — *Praenotanda.* I. *Notiones. Bonum* est quod alicui convenit, seu ens qua ordinem ad appetitum dicens, ut *verum* est ens qua ordinem ad intellectum dicens; unde et bonum definit Aristoteles « quod est appetibile », « id quod omnia appetunt », nempe quasi *a posteriori ;* ontologice enim prior est convenientia huius mihi quam *appetitio* mea de hoc, immo quam *appetibilitas* huius pro me. Igitur: 1º sicut *verum* primo dicit *ens*, deinde conformabilitatem intellectui, intellegibilitatem, sic *bonum* primo dicit ens, deinde convenientiam appetitui, appetibilitatem; et sicut summum verum summam intellegibilitatem, sic summum bonum summam *amabilitatem.*

2º *Ens* (unum, verum, bonum) per tertiam sui proprietatem *bonum* constituitur formaliter ut *alicui conveniens* et appetibile, nempe *sibi* et *alteri;* Ens summum, ut summe appetibile sibi et alteri: *a*) *Sibi;* in quantum sua cuique quidditas ac esse *convenit;* quidlibet est *bonum sibi*, quidlibet amat suum esse; idque dicitur bonum *absolutum*, bonitas *absoluta. b*) *Alteri;* in quantum et alicui a se distincto convenientiam prae se fert; est bonum *relativum*, bonitas relativa. Utraque convenientia verificatur per idem bonum, cum ente uno convertitur (3).

3º Bonum, ut appeti queat, appetenti quadantenus convenire debet; aliter enim, cum appetitus sit inclinatio in bonum *sibi*, appeti non poterit. Quomodo id amorem *benevolentiae* non destruat eumque cum amore *concupiscentiae* non identificet, in Psychologia est declaratum (4).

---

(1) « Possent enim angeli sancti et homines beati, Deo ita disponente, crescere sine termino n *claritate visionis divinae* et amore beatifico » (Lessius, « De Perfect. div. », L. 7, c. 1).

(2) Interea cfr., si placet, Suarez, D. M. 30, s. 13.

(3) Cfr. Suar., « Disp. M. », 10, s. 3.

(4) Videlicet: amor concupiscentiae tendit in bonum *sui* i. e. appetentis ut *physice* ab aliis *condistincti*, seu qua appetens est *pure* distinctus tamque alius, ut ne moraliter quidem fiat unum cum reliquis personis; amor autem benevolentiae tendit quidem in bonum *alteri*, physice ab appetente distincto, sed quatenus illum facit *moraliter* unum cum appetente sub titulo *amicitiae*, sanguinis, similitudinis aut alterius proportionis. Hoc modo conciliat utramque legem: *a*) *benevolentiae* quae exigit ut bonum appetatur *alteri*, *b*) convenientiae *propriae;* quia *physice alter*, *moraliter ego* est.

Hinc convenientia voliti *ad volens* condicio est *sine qua non;* igitur nec Deus poterit nostrum velle bonum, si in Dei gloriam non redundet, neque nos gloriam Dei, quin *nobis* quoque bona sit. Adhuc per benevolentiam *formaliter* directeque alterius intendimus bonum; per concupiscentiam autem *formaliter* meum intendo bonum.

607. — II. *St. q.* Iam bonum, sive absolute sive relative sumptum, dividitur in *Physicum* et *Morale. a*) *Physicum* seu entitativum est quod convenit alicui v. g. homini, qua hic *natura physica* est seu ens physicum; hoc modo conveniunt homini vita, intellectus, memoria, etc.

b) *Morale* seu ethicum, quod convenit alicui qua *ens liberum* est, honestatis videlicet ordinisque moralis capax, v. g. sanctitas pro homine, actus voluntatis legi conformis, etc.

Beneficum. Quando ens, utraque bonitate bonum, aliis copiose elargitur bona ordinis praeferenter moralis, maxime si libere intensoque amore, dicitur bonum *beneficum.* Unde Deus, sic se habens, summa est bonitas benefica. Quia vero haec *benefici* formalitas in relativis *physica* moralique bonitate adeo substantialiter includitur, bonum *beneficum* minus apte ponetur ut membrum 3^{um} in divisione boni, cum non sit excludens alia membra. Thesis autem hanc seiunctim meminit formalitatem, ut quid non sane novum pleneque ab aliis distinctum, sed certe ut separato studio singularique gratitudine dignum.

608. — *Prob.* 1^{a} *pars.* (Est summa bonitas physica). Omne ens *physice* bonum sibi est, in quantum esse suum ei convenit (quidlibet amat suum esse); igitur bonum sibi eo maius, quo suum esse physice *nobilius. Atqui* esse Dei pura est nobilitas physica, actus purus. *Ergo* Deus summum sibi bonum physicum est. *Atqui* etiam aliis; his enim ut *causa efficiens* ac *exemplaris* totum elargitur, quo constant, physicum esse; ut autem *causa finalis* (ut *finis ultimus*) plenam dat singulis beatitudinem, summum cuique bonum, immo singulis sese ut cuiusque beatitudinem donat, quae est *nova* bonitas (Cfr. Ethic.). *Ergo* Deus est summa bonitas physica sive absolute sive relative, i. e. summum bonum seu « bonum Bonum » et « omnis boni bonum » (S. Aug.) (1).

609. — *Prob.* 2^{a} *pars.* (Est summa bonitas moralis). Deus enim essentialiter et a se ideoque infinite *sanctus* est; cum enim sanctitas in creatura reperiatur, in Deo etiam aderit (formaliter, eminenter, infinite, Cfr. prop. XIV, XV, XVI). Deinde per suas leges (saltem per *naturalem* pro philosopho) per sanctiones, providentiam, concursum, auctor est cuiusvis creatae sanctitatis atque promotor. Ergo summa quoque est bonitas moralis sive absolute sive relative.

610.—3^{a} *pars.* Summa est denique bonitas *benefica* in ordine sive physico sive morali: habetur ex 1^{a} et 2^{a} *parte.* Quae sane *benefica* bonitas in ordine supernaturali magis adhuc elucet; in Sacramentis enim, in gratia, in venia peccati, in praedestinatione, diffusivitatem boni Boni Deus certo modo exhaustam voluisse videtur (2).

---

(1) « Bonum omnis boni... Quid hoc, nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus angelus, aut bonum caelum, sed bonum *Bonum* » (De Trin., L. 8, c. 3, n. 4). Recordatur Ideam Boni, quae supra omnia bona a Platone est collocata, ut *ipsum* Bonum imparticipatum.

(2) Videlicet: ab infinita peccati malitia nos absolvit; infinitum pro nostra salute pretium solvit; se infinitum vere nobis dat: *incarnatum, eucharisticum,* hospitem (in anima iusti), *visum* in caelo. Sed de his theologi (Cfr. Hontheim, n. 763).

611. — 4ª *pars.* Infinite a creata bonitate distans. Divina enim bonitas est a se et *imparticipata*, hinc essentialiter infinita, immo plenitudo realissimae bonitatis atque *purissimae;* creata vero semper *participatio* est, analogia, umbra, hinc limitata, apparens magis quam realis, defectibus *immixta*, vices alternas habens parumque firmitatis, augmenti demum ac decrementi capax. Atque haec de physica valent, magis autem de morali bonitate. Ergo divina a creatis bonitatibus infinite distat.

NB. Obiectiones vide in art. IV.

PARS QUARTA

DE ATTRIBUTIS ABSOLUTIS ACTUOSIS

(seu: DE INTELLECTU ET VOLUNTATE DEI)

612. — Attributa *actuosa* divinam proferunt activitatem, *determinatis* lineis operantem invicem separatis, intellectionis, volitionis, creationis, exactiusque quam quiescentia notionem verificant attributi. Quiescentia enim licet sub *una* nota, totam tamen pervadunt essentiam, indolem potius *essentiae* delineant (Cfr. n. **428**); actuosa autem ut quid essentiae *additum* produntur eamdemque per modum accidentis energetici clare in motu ponunt. Tria recensentur: Intellectus, Voluntas, Potentia; quorum duo priora hic, tertium (relativum) in parte quinta absolvuntur.

613. — Ordo. Quartam partem in duas subdividemus sectiones: *a*) De intellectu Dei; *b*) De voluntate Dei. Atque voluntatis tractatum suo loco distribuemus. Nunc de Intellectu venit ordo:

Caput VII *generaliora* de divina scientia evolvit; haec erunt: 1) Intellectualitas Dei; 2) divina actualis intellectio, defectusque in ea vitati; 3) obiectum divinae intellectionis sed in genere; 4) determinatio obiecti primarii et secundarii rursum in genere; 5) medium in quo adhuc universaliter; per totidem articulos.

Caput VIII *de secundariis* aget divinae scientiae obiectis iam singillatim; in specie *a*) de *possibilibus* per varia quaesita de eorumdem conexione cum essentia Dei, distincta cognitione, multitudine; *b*) de *futuris* similiter.

Caput IX integrum datur *futuribilibus;* solvetque de his: *a*) *factum* cognitionis certae determinataeque singulorum; *b*) modum quo sine libertatis iactura ab aeterno cognosci queant.

Caput X (complementarium) scientiarum classes in Deo describet, necnon totius invariabilitatem scientiae, causalitatem scientiae, hisque similia.

TRACTATUS DE DIVINO INTELLECTU

CAPUT VII.

Generaliora circa intellectum et scientiam Dei.

Articulus I.

DE INTELLECTUALITATE DEI, SEU DE EXSISTENTIA INTELLECTUS IN DEO

Propositio XXXIV. Deus est ens naturae intellectivae.

614. — *St. q.* Ens naturae *intellectualis* hoc loco significat ens spirituale *cognoscitivum*, substantiam nempe completam immaterialem, intellectu praeditam, seu subsistens immateriale completum, intellegendi capax. Quaeritur utrum tale Deus sit.

615. — *Ratio difficultatis.* Quod ens intellectivum esse teneatur stricte immateriale, a materia scilicet in suo esse et operari intrinsece independens e Psychologia novimus; igitur « omne ens intellectivum est immateriale ». At haec propositio de se seu *ratione formae simpliciter* converti nequit; poteritne ratione *materiae* seu terminorum « intellectivi » et « immaterialis » in hanc converti « omne ens immateriale est intellectivum » ?

Cum nec in se evidens, nec ab omnibus habeatur concessum, quaestionem crisi submittimus; pro cuius sive perspicuitate sive theologica progressivitate: *a*) Deus substantia *completa* (quia ens primum et a se) *simplex* quidem est, obque suam omniperfectionem entitate gaudens supra *materiam* infinite *elevata*, spirituale enim corporeo perfectius est; nec de his dubitare licet. *b*) Sed sub *aprioristico* studio Deus forsan subsistit (ad instar subtilissimae sine oculis statuae) τό *esse purum*, nullius tamen rei cognoscitivum. Videlicet *c*) *De facto* quidem Deus intellectivus est; licetne idipsum a priori ex eius *immaterialitate* derivare? *d*) Cum S. Thoma Suarez aliique Scholae principes *affirmant;* Nominales cum paucis (Struggl, Arriaga) *negant. e*) Quaestio generalis, psychologica potius, theologo quoque inservit, licet in historia attributorum *essentiale* hoc unum est, ut una alterave via Deus iam ens intellectivum demonstretur.

616. — *Prob.* 1. *A priori ex immaterialitate Dei.* Deus est subsistens immateriale. *Atqui* tale ens tenetur esse intellectivum. *Ergo* Deus est ens naturae intellectualis.

Mai. Deus, ut ens *primum*, est substantia seu subsistens; aliunde ob suam *simplicitatem*, quae partes integrales excludit, est materia carens. Atqui ens subsistens materia carens, immateriale est. Ergo Deus est subsistens immateriale. — *Ad min.* 1) Solum substantia *incompleta non subsistens*, v. g. anima bruti, potest quin sit materia esse materialis, i. e. a materia intrinsece

dependens; non autem substantia *subsistens*, minus substantia *a se subsistens*. 2) Secus enim materiam, sibi ad esse et operari necessariam, necessario haberet (contra ultimam maiorem). Ergo ens subsistens materiaque carens, immateriale est.

Min. 1º *Positive.* Quaevis substantia esse debet capax operandi operationem sibi propriam. Atqui operatio, substantiae immaterialis propria, est intellectio et volitio, volitio autem praeviam intellectionem supponit. Ergo subsistens immateriale debet esse intellectivum. — *Ad mai.* Entia sunt *propter operationes* (Arist.). Ratio est, quia ens tendit in suam perfectionem; ultima autem perfectio, in qua quiescit, est actus seu *operatio* specifica; nec nisi sic operando ad bonum universi finemque confert. Ergo...

Min. 2º *Negative.* Ens intellectivum sonat capax formas rerum omnium spiritualiter in se recipiendi. Atqui sola materia aut materialitas recipientis huic opponitur capacitati. Ergo subsistens immateriale est intellectivum.

617. — *Nota.* Quod intellectivitas *exigat* immaterialitatem facile suademur ex principiis psychologicis; operatio enim petit esse operativum operatione non inferius. Per hoc autem adhuc non habetur quod immaterialitas *sufficiat* ad intellectivitatem; res enim externae per seipsas ens immateriale non intrant ex se, ut intra illud proprias depingant formas maxime immanenter; ideoque *ostendi debet* exsistentia *vis* activae in ente immateriali, prout ostendebamus. Idipsum rursus ut thesis tota

618. — *Probatur* 2. Ex tendentia rerum in fines cum S. Thoma (1º Dist. 35, q. 1, a. 1). Omnes res ordine constanti in determinatos sibi praestitutos moventur fines. *Ergo* aliquis, fines *cognoscens* eosque praestituens, exsistit, a rebus motis distinctus. *Atqui* hic est auctor naturae, Deus. *Ergo* Deus est intellegens.

Cons. Mai. (ut in 5ª via). Res enim horum incapaces sunt, nec homo aut illis aut sibi qua *naturaliter* vegetanti, sentienti, fines defixit; igitur *alius* exsistit, fines formaliter *cognoscens*, omnibus illos imponens.

Min. Eiusdem est dare *naturam* cum principiis naturae, et dare ea, quae naturam necessario *consequuntur;* secus enim non *plene* naturam daret.

619. — *Prob.* 3. *a*) Deus, ut prima causa, continet perfectiones omnes creaturarum, simpliciter simplices *formaliter*. *Atqui homo* est intellectivus. *Ergo* et Deus. *b*) Continet omnes perfectiones simpliciter simplices in sua infinitate formaliter. *Atqui* melior est intellectio quam non ipsa in latitudine entis. *Ergo*...

620. — *Scholion I.* In aliqua substantia immaterialitas est *re idem* cum intellectivitate; adhuc immaterialitas *radix* intellectivitatis nuncupatur; ad hoc enim sufficit ut unum quasi ontologica alterius ratio mente concipiatur; in casu autem immateriale est *esse entitativum* et condicio sine qua non pro intellectualitate, quae est operari; et quia prius est esse quam operari, sicut in anima sic in Deo prius ontologice est esse immateriale quam esse intellectivum, ut spirituale prius ontologice est quam immortale.

621. — *Scholion II.* Qui titulus (radicis) immaterialitati non competit ratione *negativi* seu qua importat *negationem* materiae, sed ratione *positivi* seu qua est dicens esse *positivum* τῷ esse materiali oppositum; ideoque et *gradus* in esse intellectivo dantur. Nempe sicut de certitudine explicatur (in Criteriologia), similiter in casu *negatio* quidem materialitatis in indivisibili formaliter sistit, at perfectio *positiva* ex maiori ad purissimum *immaterialitatis* actum accessu maior et maior esse pot-

est; unde et angelus intellectualior est quam anima, eo quod anima, plus quam angelus, *subiectum* potentiale sit specierum receptivum et actuum, quasi plus materiam imitans; solus Deus *intellectio pura*. Quo aliquid a materia remotius, eo intellectualius.

622. — *Scholion III. Discussio apriorismi*. Rem in se scimus certissimam esse, nec de hoc disputari, sed solum de demonstratione *a priori:* in ea caput erat « substantiam esse propter operationem »; seu *inutilitas* substantiae inoperosae. Circa quam: 1° Haec inutilitas in *spiritu* clarius quam in *corpore* deprehenditur; de hoc enim *cogitare* liceret ad ornatum, sensuum oblectationem, etc. *inservire* tandem; sed de spiritu nihil simile. 2° Inutilitas utriusque et in genere affirmatur *a*) quia ens ordinatur ad perfectionem sive propriam sive alienam; haec autem solum *operando* obtinetur; unde et occasionalistae, operationem in mundo evadere incapaces, ad Deum confugiunt. *b*) Quia rerum perfectio in accessu consistit ad *beatitudinem* (finem) reddendo gloriam Deo, utrumque *operando* obtinetur; igitur substantia est propter operationem. 3° Haec tamen (ut diximus) non omnibus probantur; ob has forsan in contrarium rationes: *a*) Cum *accidentia* dicantur esse propter substantiam, potius operatio erit propter substantiam, quam e converso. *Resp.* α) In *diverso* causae genere utrumque esse verum: in ordine *finali* substantia sine operatione *inutilis* ideoque supprimenda esset; substantia igitur est *propter* operari; in ordine *efficientiae* operatio sine substantia impossibilis est, seu operatio datur *quia* datur substantia, sic operatio est propter substantiam, i. e. *propterea quod* et substantia (per prius) datur. Sed id ad rem non facit; est illud « operatio sequitur esse » seu « prius est esse quam operari »; hinc *Resp.* β) (intra quaestionem; agitur enim de ratione et praeferentia *finali*). Accidentia et operationes sunt propter substantiam mere qua talem, *N.* qua *naturam*, qua principium operandi, *C.* Immo substantia ipsa est propter naturam, propter *radicem* operationis; i. e. substantia non fieret nisi esset *natura*, nisi operaretur. In his habes responsum obiectioni: quod tunc superius (substantia) esset propter inferius (accidens); profecto substantia esset propter *se* ut *naturam*. Videlicet; auctor ordinis et procurator, si volitas operationes a, b, c, per unam obtineat substantiam, de novis iam substantiis non praeoccupatur; secus autem in alia et alia cogitat substantia, quaerens semper *operationes*, quasi indifferenter se habens respectu substantiae mere *qua talis*. *b*) Beatitudo est propter beatum, qui est substantia. Ergo operatio est propter substantiam, non e converso. *Resp.* Est propter beatum qua *substantiam*, *N.* qua *naturam*, *C.* — Nempe si beatus esset substantia *inoperosa*, beatitudo operatio non esset ob illum, immo simpliciter non esset nec intenderetur (inutilis esset); nunc autem intenditur, quia et qua explens inclinationem *operosam* illius naturae. Beatitudo entis *non intellectivi* sensu caret, unde et ens spirituale sine cognitione, carens fine, nihil est.

623. — *Nota*. Ob idipsum anima, quae in Nirvana Buddico absorta suam amisit personalitatem ac conscietatem (omnem sui cognitionem), perperam dicitur exsistere adhuc *personaliter* ut *suam* servans *entitatem*. Entitas illa nihil esse potest; desiit esse. Spiritus enim, in finali statu *beatifico* cognitionis incapax, frui non potest; est chimaera.

Articulus II.

DE NATURA DIVINI INTELLECTUS SEU DE EIUS SEPARATIONE AB ALIIS IN GENERE

Propositio XXXV. Compositiones et potentialitates, quas in creatura esse intellectivum involvit, a Deo removendae sunt; in eo suppositum intellegens, intellectus, species impressa, ipsum intellegere, et intellectum subiective sumptum, realiter identificantur.

624. — Termini in Psychologia; separatim quaedam dubia explicantur, sensus definiuntur, ad probationem innecessaria; hinc

Prob. thesis. Si praedicta in Deo unum non essent, Deus substantia constaret et accidentibus, e potentia in actum transiret. *Atqui* divina natura neutrum consentit. *Ergo* in Deo unum sunt. *Mai.* In creatura enim, sive facultas, sive species impressa, sive species expressa ac operatio, sunt *accidentia*, quae *realiter cum anima* componunt. Ergo... *Si ais* similia in Deo *substantias* esse, compositionem pones ex *substantiis*, quae non melius cum puritate τοῦ esse consociatur.

625. — *Observa* 1º. « Ipsum intellegere » confunditur cum *intellectione* seu *operatione intellectiva*. Quae quidem sumi potest: *a*) *adaequate;* tunc est *qualitas cum* modalitate *actionis*, atque haec *qualitas* cum verbo identificata est (in Psychol.); *b*) *inadaequate;* sive pro sola *actione* praedicamentali, et tunc est *fieri* qualitatis dependenter ab activitate intellectus; sive pro sola *qualitate* seu specie expressa; prout tale 4ᵘᵐ confunditur cum 5º (« intellectum... subiective sumptum ») seu cum *conceptu subiectivo;* hic penitus ab obiectivo differt seu a re cognita, est enim accidens, species expressa, imago informans facultatem, eamque reddens *formaliter* actu cognitivam *rei* v. g. hominis, lapidis, *substantiae*, cuius est solum imago species expressa, *accidens* (Cfr. Log., Psychol.). In thesi termini ponuntur *generales*, nec enim de differentiis logico-psychologicis circa veram horum intellegentiam rursum hic disputare fas est.

626. — *Observa* 2º. Quinque mox numerata: *a*) in ipso homine *unum quodammodo* sunt, unitate scilicet *coniunctionis* in ente uno, simpliciter tamen plura, nec enim una *realitas* sed plures sunt; *b*) in Deo *utroque* sensu unum.

627. — *Observa* 3º. Si in phrasi « intellectum est Deus » « intellectum » obiective sumatur, cavendus sensus pantheisticus. Deus enim non se solum intellegit sed et *creaturas* (thes. seqq.); unde *creaturae* quoque intellectum sunt *seu res intellecta*. Iam etsi Deus, *obiectum* primarium, evidenter *idem* cum intellegente Deo sit, non ita *mundus* nec physicus nec possibilis; attamen intellectus Dei et species expressa Dei vere ad utrumque licet secundario terminatur ut ad *obiectum*. Ergo phrasis de conceptu *obiectivo* totali vera non est, sed de partiali; de *subiectivo* autem totali vera simpliciter est; tunc enim « intellectum », quasi « intus lectum », est verbum, quo Deus *seipsum* aliaque actu cognoscens formaliter constituitur; est Deus. Quomodo per unicam hanc imaginem, quae respectu quidem Dei *propria* est (Deus), sed *aequivoca*

respectu *aliorum*, omnia tamen *distincte* cognoscat Deus, infra dicetur. Ceterum humanus quoque intellectus secum *subiective* unit res *corporeas* verbo perceptas seu conceptu *subiectivo*, qui est accidens, cum anima in unitate *coniunctionis* unitum, licet non in una *realitate* cum ea *identificatum*. In Deo *utroque* modo.

628. — *Corollarium.* Ergo in Deo intellectio omnisque scientia *in actu* est, non aut *in potentia* (ut in philosopho notitia Trinitatis), aut *in habitu*, ut in philosopho singulae solutiones totius Philosophiae; simplicitas enim et *immutabilitas novitatem* prohibent omnem, successiones, gradationes, discursus aliosve *transitus*.

629. — *Clavis solutionum.* Quod *creatae* cognitioni essentiale est, non hoc ipso cognitioni *ut sic* atque ideo *increatae* essentiale est. Transitus, potentialitates distinctionesque variae de ratione quidem scientiae *humanae* sunt, minime vero de ratione scientiae *ut sic*.

630. — *Obi.* Intellectio est immanens cognoscentis ad cognitum assimilatio. Atqui Deus *similis fieri* nec sibi nec aliis potest. Ergo intellectio in Deo non adest.

R. D. M. Est assimilatio *aliqua*, aut stricta (i. e. producta), aut minus stricta (etiam non producta), intentionalis scilicet cum cognito *conformitas* utcumque habita, *C.* Praecise stricta, i. e. passivum *fieri* simile per receptiones impressionum, *N.* vel *Sd.* Pro *humano* intellectu, *C.* Pro quovis, *N. M.* — *Ctr. m.* Similis *fieri* nequit nova ab ipsoque distincta operatione, *C.* Ne increate quidem creaturis similis *esse* potest, *Sd.* Intentionaliter *obiective*, *N.* Intentionaliter *subiective*, *Sd.* Imagine ipsarum *formali* ac *univoca*, *C.* Ne per *analogicam* quidem cum ipsis similitudinem, *N. m.* — *N. c.*

Deus videlicet creaturis etiam *univoce* assimilatur *obiective*, in quantum easdem iuxta formale cuiusque esse cognoscit; minime vero *subiective*, eo quod species expressa quid *divinum* sit (divina essentia) rerumque *eminentialis* solum (non formalis) similitudo. Singula suis evolventur locis.

631. — *Scholion.* Cum Deus sine ulla aut compositione aut divisione *perfecte* omnia *certoque* cognoscat, phrasis Aristotelica quod in solo componente aut dividente iudicio *perfecta* reperiatur *veritas* logica, de *humana* perfecta, minime de perfecta *ut sic* loquitur. Duo nimirum enuntiat: *a*) *certitudinem* in perfecta veritate, *b*) *modum* seu processum obtinendi. Primum est perfectio consistens in eo quod res affirmata exsistens, de facto exsistat in se, et affirmata non exsistens, de facto non exsistat; atque haec *perfectio* in divina exsistit cognitione. Alterum est *processus* obtinendi seu indoles operationis, qua ad perfectum eatur; quod quidem per accidens se habet, proque natura cognoscentis varie. Philosophus *nostram* describit viam (imperfectam), qua Deus couti nequit. Videlicet: 1º Intellectus *noster*, aliquid simpliciter apprehendens, apprehenso essentialiter conformatur, ideoque essentialiter, gradu utique infimo, logice verus est; forsan et *rei in se* conformatur, id tamen nec novit adhuc, nec pronuntiat; progrediens comparat notam apprehensam cum *re in se;* si obtinet videre apprehensum cum *re in se* convenire aut disconvenire, tunc primo notam apprehensam cum *re in se componit* affirmans, a *re in se dividit* negans; tunc primo explicite cognoscit se verum logice esse; possidet veritatem perfecte et specifice. Qui processus, quia imperfectionem supponit, i. e. facultatem, quae non uno simplici motu in terminum ducitur scitae conformationis, in Deum transferendus non est. 2º Porro in Deo intuitus simplex tam perfecte in terminum ducitur, ut comparatio, compositio, divisio, redundent; intuitus tamen non est simplex ad instar humani; est enim *iudicativus*, pronuntiativus perfectae sui cum *re in se* conformationis. 3º Liquet quonam sensu in Deo adsit, quonam non adsit, *scientia;* adest quoad *certitudinem*, non adest quoad modum *discursus* (1);

(1) Cfr. S. Th., «De Verit.», q. 2, a. 1, 4.

necnon curnam respectu *nostri* dicatur aliud magis, aliud minus cognitum sive *ex parte cognoscentis* (principia magis nota quam conclusiones), sive *ex parte rei cognitae* (sensibilia magis nota quam insensibilia); respectu autem *Dei*, « *quia eodem intuitu* omnia videt » (S. Th.), solum ex parte *rei cognitae*, iuxta maiorem huius vel minorem *entitatem;* sic « *maxime* est cognoscibilis (Deo) *sua essentia*, per quam quidem omnia cognoscit, non aliquo discursu, cum *simul* videndo essentiam suam omnia videat. Unde et *quantum ad* istum ordinem, qui potest attendi in divina cognitione *ex parte cognitorum*, etiam salvatur in Deo *ratio scientiae;* ipse enim praecipue omnia *per* causam cognoscit » (1).

Articulus III.

DE OBIECTO MATERIALI ADAEQUATO DIVINI INTELLECTUS

§ I. — *De cognitione sui.*

Propositio XXXVI. **Deus seipsum intellegit ac comprehendit.**

632. — *St. q.* Deus, e se intellectivus actualisque intellectio, *aliquid* intellegit; omnis enim cognitio, *essentialiter* notitia, ad aliquid terminatur, aliquid manifestat. Quaeritur quid illud pro Deo sit.

Atque in genere, cum Deus non infinitus solum in perfectione, sed fons quoque sit totius esse et veritatis, omnem ipsimet inesse veritatem, *quidquid in se cognoscibile est* eidem innotescere constat, nisi singularis rem aliquam comitetur difficultas mentive divinae incohaerentia. Id iam in specie proponimus. Duas autem nunc in eo obiecto separantes *partes*, Deum (§ I) et *alia* (§ II), characteribus adhuc primarii secundariique easdem non insignimus, mere potius extensionem quaerimus obiecti adaequati. Termini ipsi (sufficienter ex Psychologia noti) in tractatu de obiecto *formali* ad casum applicabuntur.

633. — *Pars* 1ª. *Deus seipsum intellegit.* Obstant Pantheistae Schopenhauer, Hartmann, Bahnsen, in universum *pessimistae*, pro quibus Deus initio et quousque in hominem non se evolverit, *inconscius sui* esse tenetur.

634. — *Prob.* 1. *A priori.* Duo requiruntur et sufficiunt, ut quid actu intellegatur: *a*) ut sit intellegibile in actu, i. e. vel in se immateriale, vel immateriale iam redditum; *b*) ut actu intellectui unitum sit, non utcumque, v. g. mere *physice*, sed *obiective*, in ratione scilicet obiecti *intellegibilis*, quatenus constituit intellectum *in actu* pro ea intellectione, seu *actu* capacem intellegendi illud. *Atqui* pro divino intellectu Deus utrumque verificat. *Ergo* Deus seipsum actu intellegit.

Maior in Psychologia. — *Min.* 1ª *p.* Deus enim summe in seipso *immaterialis* est. *Min.* 2ª *p.* Intellectui *obiective* unitum id dicitur, ad cuius perceptionem intellectus actu determinatur, sive ope speciei ab ipso productae, sive aliter; seu id, respectu cuius facultas est *in actu* intellectus, non solum *in potentia* intellectus (Cfr. Psych.). *Atqui* 1) divinus intellectus respectu sui est intellectus *in actu*, cum extrinsecis non egeat complementis pleneque sibi proportionetur; 2) unica velut species fecundans est pro eo essentia sua actu praesens inque pura determinatione *actus*. *Ergo* divinus intellectus

(1) *l. c.* ad 5.

respectu divinae essentiae intellectus *in actu* est; seu: Ergo Deus suo intellectui non *realiter* solum (identice), sed etiam *obiective* unitus reperitur.

635. — *Observa.* 1° Nos directe speciem ideo non percipimus, quia *solum* physice nostro unitur intellectui; hic scilicet a specie fecundatur (redditur intellectus *in actu*) pro perceptione non *speciei*, sed *obiecti* per speciem repraesentati; unde non speciem sed rem novimus, de re loquimur, non de specie, quae diu ignorata manet. Atque talem esse debere speciei *destinationem* ut sese celando detegat solum res, utque tota in rerum servitium directe (in directis suis servitiis) consummatur, a priori etiam derivamus. Profecto nostra refert *obiectum* novisse, ponderasse; momenti fere nullius habetur *speciem* novisse; hinc speciem inter *formalia* signa, non inter instrumentalia, classificamus. Nec aliud significat *sensibilia* obiectum esse nobis in praesenti statu proportionatum, intellectum vero, *realiter* quidem sibi identicum, adhuc *obiective* sibimet non uniri, unde neque *directe* semetipsum cognoscere, sed indirecte tantum per *obiecta operationum* (De singulis Psychologia egit). Quod si noster intellectus ex seipso (sine specie) intellectus *in actu* constitueretur, tunc sane quidquid eidem *physice* uniretur, ab eodem perciperetur. 2° *Divinus* autem intellectus, quia intellectus *in actu* (probatum est), essentiam sibi realiter praesentem actu intellegit; pro eo videlicet *physica* cum obiecto unio sine alio est quoque *obiectiva;* seu pro illo quidquid realiter praesens est *obiective* quoque praesens est.

636. — *Prob.* 2. Seipsum cognoscere seu esse *conscium sui*, magna est in homine perfectio, cui imperfectio *de se* non admiscetur; aliqua de *facto*, non quia se *cognoscit*, sed quia nonnisi *reflexe* se cognoscit. *Ergo* Deus se cognoscit.

637. — *Pars* 2ª. « Deus seipsum perfectissime seu comprehensive intellegit ». *Praenotanda* repetantur ex prop. XXXII, p. 2ª (n. **594**). *Comprehensio* est perfecta et adaequata rei cognitio; seu cognitio, per quam tota rei exhauritur cognoscibilitas. Unde *comprehendere* est « exhaurire totam rei cognoscibilitatem ».

Hanc comprehensionem in toto possibili rigore ac amplitudine Deus habet de se, sive *intrinsecam* (obiectivam) sive *extrinsecam* ex parte *potentiae*. Attendimus ad *intrinsecam* praesertim *extensivam;* quia extrinseca necnon intensiva intrinseca nullam prae se ferunt difficultatem.

638. — *Probatur.* Comprehensive cognoscitur res, quando tantum cognoscitur, quantum cognoscibilis est, seu quando tota eius cognoscibilitas exhauritur. *Atqui* Deus ita se cognoscit. *Ergo* se comprehendit.

Min. Virtus cognitiva Dei est tanta, « quanta est actualitas eius (Dei) in exsistendo » (S. Th.), i. e. *infinita.* Atqui virtus cognitiva et cognitio in Deo idem realiter sunt. Ergo cognitio ipsa *infinita* est, hinc infinite perfecta, totam exhauriens obiecti prae primis proprii proportionatique cognoscibilitatem.

639. — *Obi. I.* Omnis sciens dicit *relationem* ad scitum. Atqui Deus relationem ad seipsum dicere non potest. Ergo Deus seipsum minime cognoscit (De Verit., q. 2, a. 2).

R. D. M. — Sive realem sive rationis, *C.* Praecise realem necessario, *N. M.* — *Ctr. m.* Realem, *C.* Ne rationis quidem, *N. m.* — *N. c.* Realis relatio praedicamentalis duo petit extrema actu *realiter* distincta; logica vero esse potest eiusdem ad idem. — Nec impliceris cum *notionalibus* Trinitatis, cum de *naturaliter* cognitis agamus.

640. — *Obi. II.* « Omnis sciens essentiam suam, est *rediens* ad essentiam suam reditione completa » (Libro de Causis, prop. XV). Atqui Deus non *redit* ad essentiam suam. Ergo Deus non cognoscit se. *Min.* Nequit esse *reditus* ubi non praecessit *exitus*. Atqui Deus a se non *exivit*. Ergo nec ad se *redire* potest.

R. D. M... *physice* et proprie, *N. Metaphorice* et logice, *Sd.* Sciens essentiam suam *secundo* et per *discursum*, *C.* Sciens *essentiam primo* et sine *discursu*, *N. M.* vel *Sd.* Redit a se in se, seu in se vere *reflectit*, si in essentiam per actum cadit ab essentia distinctum, *C.* Si directe perque actum essentiae identicum, *N. M.* — *Ctr. m. Physice*, *C. Logice*, *Sd.* Vere reflexe perque discursum, *C.* Directe et sine discursu, *N. m.* — *N. cons.* — *Prob. Min. C. M.* — *D. m.* Physice, *C. Logice*, *Sd.* Per actum novum, *C.* Per eumdem, *N. m.* — *D. par. c.* Non physice, *C.* Non logice, *Sd.* per actum *novum* reflexum, *C.* ne per directum quidem, *N. cons.*

Explico. Physicum in se reditum nullus facit intellectus. *Metaphoricus* autem bifariam exercetur: *a*) cum ex perpensa sive operatione sive effectu intellectus *discursive* seipsum cognoscit; quae via, nobis necessaria, Deo *immediate* omnia penetranti inutilis est. *b*) Cum mens sine *discursu* in seipsam cadit; qui sane intimior reditus a creatura (ab angelo) per actum exercetur ab intellectu *distinctum*, a Deo per actum *indistinctum. c*) *Quidam* tamen pro Deo ipso exsistit reditus post exitum a se; cognoscens enim sui essentiam, in ea Deus creaturas cognoscit, in iisque quasi secundo se rursum cognoscit ut in similitudine sui deficiente, unico licet actu. « Deus cognoscens essentiam suam *alias res* intuetur, *in quibus* suae essentiae similitudinem videt » (*l. c.* ad 2). Hinc

641. — *Obi. III.* Deus (ut conceditur) in mundo se cognoscit, i. e. quia mundum fecit ac *hominem*, exinde conscius devenit sui. Atqui positio Pantheismi haec eadem est. Ergo Deus in se nullatenus redit.

R. D. M. Primo et directe *N.;* secundo et indirecte, *Sd.* Ita ut productio mundi hominisque Deum *praesupponat* sui iam *conscium*, *C.* Ita ut mundi hominisve intuitu Deus se *primo* cognoscat, *N. M.* — *Ctr. m.* Positio Pantheismi est tunc *primo* Deum se cognoscere personamque fieri, *C.* Se utcumque in mundo cognoscere, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Causa prima finem mundi (Deum, gloriam Dei) ante mundi creationem formaliter noverat; igitur seipsum Deus *praecognoverat*, sicut etiam rerum *exemplar*, quod rursum Deus erat. Deinde suppositio (obicientis) quod intellectus, si ab obiecto ad se redeat, secum iam realiter identificet obiectum, falsa est.

642. — *Obi. IV.* Scientia est similitudo scientis et sciti. Atqui similitudo est distinctorum; nihil *sibi* simile. Ergo Deus se non cognoscit.

R. D. M. Scientia est similitudo *aliqua* (i. e. aut realis aut rationis), *C.* Praecise realis, *N.* vel *Sd.* Quoties cognoscens a cognito, vel saltem cognitio a cognito realiter distinguitur, *C.* Secus, *N. M.* — *Ctr. m.* Similitudo realis, *C.* Rationis, *N. m.* — Rat. *pariter D.* Nihil sibi realiter simile, *C.* Ne ratione quidem, *N.*

Explico. 1º Cum noster intellectus cognoscit plantam, solem..., cognoscens et cognitum *realiter* distinguuntur, ideoque similitudo, respectum dicens, *realis* est. 2º Cum cognoscit *seipsum*, adhuc quia seipsum per actum percepit *realiter* ab intellectu distinctum, cognoscens et cognitum *inadaequate realiter* distinguuntur; cognoscens enim est intellectus cum operatione seu cum imagine *addita*, cognitum autem est intellectus solus; unde similitudo et habitudo cognoscentis ad cognitum est adhuc suo modo *realis*. 3º Cum divinus intellectus cognoscit Deum, Deus *cognoscens* et Deus *cognitus* idem realiter sunt; immo operatio ipsa cognitiva cum cognito et cognoscente identificatur; ideoque duo tunc realia realem fundantia relationem desunt; solum a nostro fingitur intellectu cognoscentis cognitique dualitas.

643. — *Obi. V.* Deus seipsum intellegens comprehenderet se. Atqui id fieri nequit; quod enim se comprehendit, finitum est sibi (S. Aug.). Ergo Deus seipsum non intellegit.

R. C. M. — *N. m.* — Rat. *D.* i. e. sibi non est ulterius in sui cognitione procedendum, *C.*, i. e. se videt limitibus clausum, *N.* vel *Sd.* Si quod se comprehendit finitum est, *C.* secus, *N.* rat.

Explico. Aliud est se comprehendere, aliud se videre limitatum; videbit se quale est, ne cognitio sit *falsa* (1).

644. — *Obi. VI.* Nequit se comprehendere. — Infinitum pertransire nec finito licet nec infinito; quod enim pertransitur finitum est. Atqui quod ab aliquo comprehenditur, ab illo pertransitur. Ergo Deus se comprehendere nequit (2).

R. D. M. Infinitum in potentia seu successivum, *C.* Infinitum in actu et simul, *Sd.* Proprie, i. e. per partes et successive, *C.* Ne improprie quidem et simul, i. e. totaliter apprehendi nequit, *Sd.* a virtute finita, *Tr.* ab infinita, *N. M.* — *Ctr. m.* Improprie, *C.* Proprie, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Ratio infiniti, ob quam infinitum « dicitur *intransibile*, est ratio infiniti privative accepti (numeri...), de quo nihil ad propositum » (ad 7). Igitur si Deus proprie non est sibi finitus, minus dici potest sibi transibile.

645. — *Scholion.* Deus, ut Deus, semetipsum intellegens, nihil causat; intellectio enim, cum ipsa sit *essentia, incausata* est. Nec nisi id naturali novimus ratione. *Fides* Trinitatem docens, his obstare videtur, cum iuxta processiones ad intra, *intellectio* Patris ratio sit processionis Verbi a Patre. At nulla in his pugna. Pater enim generat Verbum, non simpliciter intellegens *ut Deus*, sed *ut Persona Patris*, cui competit intellectio cum relatione principii *non de principio.* Inde fit ut licet Filius quoque ac Spiritus Sanctus intellegant qua sunt Deus, neuter tamen intellegendo generet Verbum, quia intellectio eisdem competit cum relatione *oppositа* relationi Patris. Sed praescindendo ab his, ad nos non pertinentibus, Deus ut Deus seipsum sensu theseos mere naturali intellegens, nihil causat aut generat; adhuc verbum *ordinarium* (cuivis proprium intellectioni) ibidem reperiri non negamus, quod tamen cum divino identificari intellectu scimus, secus ac in nobis. De hoc sane verbo tota erat quaestio; de alio tacemus.

§ II. — *De cognitione aliorum universim.*

Propositio XXXVII. **Deus cognoscit alia a se determinate singula distincteque iuxta formales omnium entitates.**

646. — *Praenotanda. St. q.* Quaeritur *de facto* cognitionis, adhuc non *de modo* aut medio determinato in quo; quaeritur utrum *adaequatum* divini intellectus obiectum integretur Deo et aliis a Deo *realiter distinctis*, quales sunt creaturae omnes, sive actuales sive possibiles in *formali* cuiusque entitate; in *formali* inquam, in *virtuali* enim ac eminentiali realiter *Deus* ipse sunt, ideoque ut talia, Deo cognito, et ipsa cognita manent.

647. — *Ratio difficultatis.* « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius » (Hebr. 4, 13); facile nempe suademur Deum ad singularia externa caecum non esse. Deum singularia distincte intellegere (notat Vazquez) omnium animis fixum est, non minus quam Deum exsistere; secus enim nec punitio timeretur, nec praemium speraretur, nec in adversis casibus auxilium peteretur. Adhuc S. Thomas non minus quam tres articulos in hoc impendit (In quaestione 2ª de Veritate); quorum primo « Utrum Deus alia a se cognoscat » praemittit *viginti* difficultates; novem alteri « Utrum Deus de rebus propriam et determinatam cognitionem habeat »; tertio tandem « Utrum Deus sin-

(1) « Sua cognitio est tantum efficax quanta est eius essentia: et ideo pervenit ad perfectam sui cognitionem; et secundum hoc comprehendere dicitur, *non quia* per comprehensionem talem ipsi cognito *finis* aliquis statuatur; sed *propter* perfectionem cognitionis, cui *nihil deest* » (S. Th. de Verit. 2, a. 2, ad 5, in fine).

(2) S. Th. *l. c.*, ad 7 ex Arist.

gularia cognoscat », septendecim; quasi notare vellet philosophicam rei gravitatem; capita vero difficultatis ipsis articulorum titulis insinuantur: Utrum singularia determinata cognoscat (Deus) *distincte qua talia*, an solum *ut sunt ens*, *ut essentiae* genericae, specificae, ut *universalia*.

648. — *Adversarii*. 1) Pro *Commentatore* (Averroe) Deus alia a se cognoscit non in speciali et distincte, sed in confuso solum, i. e. qua sunt *entia* (1). 2) *Aureolus* negat scientiam Dei terminari ad *creaturas* ipsas *formales;* concedit solum terminari ad esse *virtuale* et eminentiale ipsarum. Unde: Deus et creatura, ait, non sunt *duo* intuita, sed unum; et in hoc sistens cognitio non progreditur ad *aliud* distinctum, sed attingit eminenter omnes creaturas (2). 3) Iuxta Nominales *distincta* Dei de talibus cognitio ratione certo non *evincitur* sed *probabiliter* solum (Ockam, Gabriel). 4) Mens *Philosophi* de his obscura manet; textum capitis noni (XI Metaph.) in se simpliciter negativum, benignius D. Thomas et Suarez interpretati sunt (Infra de hoc in *Obi. VIII*).

Pro nunc « alia a Deo » in genere sumimus; eorum classes: possibilia, actualia, futura libera sive absoluta sive condicionata, divisim inferius examinamus, cum nec eaedem pro singulis urgeant difficultates.

649. — *Prob.* 1. *A priori*. Cognoscere res distincte ac *determinate* in suo quamque creato vel creabili esse *formali* perfectionem dicit, cui nec imperfectio nec impossibilitas miscetur. *Ergo* Deus singula ita cognoscit.

Antec. Verum est perfectio intellectus; unde in universum quo plus intellectui insit veritatis, eo erit ille perfectior, nulla autem deficiente veritate, summe perfectus erit. Atqui aliunde talis distincta scientia ex nullo ostenditur capite disconvenire Deo. Ergo exsistit in Deo.

Ad min. Ideo disconveniret, quia divinus tunc intellectus aut *pluralitate* egeret actuum, aut *influxu* ab extrinseco determinante. Atqui neutro eget. Nam *a*) Omnia ille per *unicum* obtinet subiectivum actum, plures ceteroquin distinctasque habentem *terminationes* obiectivas. *b*) Essentia ipsa ut *causa* rerum intellectum intrinsecus determinat ad individualem cuiusque distinctam cognitionem. Ergo talis cognitio nec multitudinem actuum implicat nec determinationem ab extrinseco.

650. — *Prob.* 2. *A posteriori* (ut prop. XXXIII). Res mundanae in fines sive universalem sive particulares motibus tendunt variis cuique propriis. *Ergo* exsistit intellectus, inclinationes immittens motusque et pro motibus instrumenta idonea. *Atqui* nonnisi distincte singula noverit. *Ergo* Deus distincte singula novit.

Min. Daretur effectus sine causa proportionata. « Qui oculum fecit sic proportionatum ad suum finem, qui est eius actus, scilicet visio; nonne considerat eius naturam (distincte) »? (S. Th., De Verit., 2, 3); discursum Rabbi Moysi tribuit supra illud « Qui finxit oculum, non considerat? » (Ps. 93, 9). Oculum vero non *specifice* solum sed *individue* quoque talem finxit, sub dimensione hac, conformatione alia atque alia iuxta medium ambiens aëris, aquae, etc.

---

(1) Averroes (in XII Metaph., commento 51) censebat res, quia in causa prima *continentur* indistincte solum et confuse, non aliter in ea *cognosci* posse. Si ignis (sic ille) cognosceret seipsum et in eo calorem causam calidorum, omnia calida cognosceret *qua calida*, sed non ut invicem *distincta;* similiter Deus, seipsum cognoscens... reliqua *ut entia*, sed non qua huius *generis*, *speciei*, *individui*.

(2) Aureolus in 1° Dist. 35, p. 2, a. 2.

651. — *Obi. I.* Cognitum perfectio est cognoscentis. Atqui Deum ab extrinseco perfici pugnat. Ergo Deus alia a se non novit.

R. D. M. Ratione sui immediate et formaliter, *N.* Ratione imaginis, hinc causative, *Sd.* Pro intellectu, in quo illam *causat*, *C.* Pro intellectu, in quo illam non causat, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Ab ipsis aliquid accipiens, *C.* Ne alio quidem pacto, *N. c.*

Explico. Intellectus, qui pro sui supra obiectum actuatione, specie egeret ab hoc obiecto producta, ab aliquo extrinseco perficeretur (proxime formaliterque a specie, remote ab obiecto). Divinus autem sibi sufficiens nullam ab extrinseco causativam determinationem patitur; seu qui per essentiam suam omnia cognoscit, a rebus non perficitur, cum ab his nihil accipiat (De Ver., 2, 3, 1).

652. — *Obi. II.* Obiectum et facultas constituunt causam efficientem *adaequatam* cognitionis iuxta illud « ex obiecto et potentia paritur notitia », vel « ex cognoscente et cognito paritur cognitio ». Atqui *efficere* cognitionem in Deo nulla potest creatura. Ergo Deus alia a se non cognoscit.

R. D. M. Et haec tenent de cognitione *humana*, *C.* De quavis, etiam de divina, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Sicut homo, *determinatus* ab illis, *C.* Ne aliter quidem, seu mere *terminatus* ad ea, *N. c.*

Explicatio ut in praecedenti. Intellectus Dei e se adaequata potentia est pro cognitione omnium; intellectus creatus non sic.

653. — *Obi. III.* Perfecta cognitio est perfecta cognoscentis cum cognito similitudo. Atqui Dei cum creaturis similitudo minima, dissimilitudo maxima est. Ergo Deus alia a se perfecte non cognoscit.

R. D. M. Est similitudo *entitativa*, *N. Intentionalis* (in repraesentando), *Sd.* per speciem aut univocam aut eminentialem, *C.* Praecise univocam, *Sd.* in cognitione creata, *Tr.* in increata, *N. M.* — *Ctr. m.* Entitativa, *C.* Intentionalis, *Sd.* non est similitudo subiectiva *formalis*, *C.* Ne eminentialis quidem, capax tamen cognitionem terminandi ad rem ut in se formaliter est, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Similitudo intentionalis (adaequatio cuiusvis logicae veritatis propria) dari debet inter conceptum *subiectivum* et rem; seu inter *imaginem*, quae rem repraesentat, et *rem* ipsam repraesentatam, *quae intellegitur.* Imago in casu *unica* est essentia Dei, haec autem non formaliter sed *eminenter* solum constituitur imago mundi; adhuc per eam (quamvis nonnisi *analoga* subiective sit) Deus *formalem* obtinet *terminationem;* illa scilicet mediante cognitio, in se eminentior, ad res terminatur quales in seipsis formaliter sunt.

654. — *Obi. IV* (Inst.). Assimilatio etiam mere *intentionalis* imperfectionem arguit. Atqui nulla in Deo imperfectio. Ergo nec aliorum cognitio.

R. D. M. Assimilatio passiva seu ex accepta nascens imagine, *C.* Assimilatio *activa* improducta, *Sd.* Si etiam subiective *formalis* sit, *Tr.* Si subiective *eminentialis* sit, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Cognitio habita per imaginem passive receptam, *C.* Per increatam, *Sd.* quae in seipsa rebus *formaliter* similis sit, *C.* quae eminentialiter solum similis sit, *N. c.*

655. — *Obi. V.* Divina cognitio, prout essentiam Dei cognoscens, actu iam *infinita* est nec augibilis. Atqui alia a se cognoscens *augeretur.* Ergo ea non cognoscit.

R. D. M. Qua essentiam inadaequate seu absolute solum cognoscens, *N.* Qua adaequate seu etiam relative cognoscens, *Sd.* Est *extensive* infinita, *N. Intensive*, *C. M.* — *Ctr. m.* Extensive, *C.* Intensive, *Sd.* Aliorum formale esse per essentiam suam cognoscens, *N.* Aliter, *C. m.* — *N. c.*

Explico. a) Essentia fecunda i. e. cum activis suis *imitabilitatibus* est *Deus* adaequate i. e. et *absolute* et *relative* sumptus; est autem ut talis *unum* obiectum, *primarium. b*) *Imitationes* ipsae formales (actuales, possibiles) sunt *creaturae* a Deo realiter adaequate distinctae *numerumque* facientes; sunt obiecta *secundaria.* Evidenter Deus, *se totum* formalesque creaturas cognoscens, *plura* numero cognoscit, quam se solum et totum cognoscens. *Nota* 1) In hoc toto ingrediuntur *imitabilitates*, quae a nobis in *plurali* expressae, *in se una singularis* sunt; realiter enim cum essentia

simplici identificantur. 2) Tota quaestio est de cognitione *terminorum* seu *imitationum*, quae sunt *extrinsecae* Deo, realiterque ab eodem distinctae. Quasi diceremus: non agitur de anima praecise architecti cognoscenda cum sua creativa fecunditate typisque subiectivis; quae quidem omnia *unum* obiectum sunt, architectus adaequate sumptus; sed de aedificiis iam in se constitutis cognoscendis (actualibus, possibilibus); haec utique numerum faciunt ab ipsoque architecto *realiter* adaequate distinguuntur; licet aliunde vix fieri poterit ut qui *architectum adaequate* noverit, consequenter etiam aedificia ut obiectum *novum* non cognoscat. Qui inter haec non distinguunt, maxime qui possibilia ipsa formalia extra Deum collocare non didicerunt, solutiones praesentem ac similes, totam nunc rem sub magna tractant confusione.

656. — *Obi. VI.* Plenitudo *entis formalem* aliorum continentiam non secum fert. Ergo a pari plenitudo *intellectionis* intellectionem rerum, ut in se *formaliter* sunt, non infert, sed rerum, ut in Deo *eminenter* sunt (sententia Aureoli), *R. C. Ant.* — *N. c. et par.* Deus continens *formaliter* res fieret ipsae res, minime autem intellegens res *ut in se sunt;* seu deformatio essentiae, quae ex primo sequeretur (patet), ex altero non sequitur; sequeretur, si formales rerum imagines in *subiectiva* intellectione divina non secus ac in humana *formaliter* adesse deberent. Enimvero Deus per unicam imaginem, quae est Deus, quae est *formalis* imago Dei, *eminens* reliquorum, seipsum in imagine cognoscit *univoca*, reliqua autem in eadem imagine pro ceteris *aequivoca*. Inferes (contra Aureolum) unam Dei infinitam intellectionem ad finita quoque terminari *formaliter* talia, quin horum velut mosaicum constituatur. Hinc ad

657. — *Obi. VII.* Cognitio Dei unica est. Atqui unitas cognitionis ab unitate venit *obiecti cogniti*. Ergo Deus se *solum* cognoscit.

R. D. M. Subiective (entitative), *C. Obiective* (*terminative*), *Sd.* quoad obiectum *primarium* et specificans, *C.* Quoad *adaequatum*, *N. M.* — *Ctr. m.* Ab unitate obiecti *primarii* ac specifici, *C. Adaequati* ac terminativi, *N. m.* — *N. c.*

Explicatio ut ad *VI.* Duo notanda: 1º Prae oculis habita distinctione conceptus *subiectivi* ab *obiectivo*, seu *cognitionis* ab *obiecto* (termino cognitionis), *unitas* cognitionis perfecte subsistit sub pluralitate obiectorum materialium seu terminorum (Cfr. Psych. necnon S. Th. 1º c. G., 53). 2º Quoties Dei essentia ab Aquinate *similitudo* rerum pronuntiatur, *eminentialis* solum similitudo, non formalis est audienda, prout alias iam declaraverat; idipsum de divinis valeat intellectu et intellectione *subiectivis*.

658. — *Obi. VIII.* Aristoteles hanc a Deo tollit cognitionem, ut vile quid Deoque indignum; « Quaedam (vilia) *melius* est non videre quam videre ». Obiectum enim intellectum *nobilius* semper est intellectione. Igitur si divina intellectio (quae Deus est) circa alia versaretur, illa alia perfectiora essent Deo.

R. 1º Stagirita de divinis non semper accurate scripsit. *R.* 2º Verba et contextum in unam partem difficile est determinare, etiam cum aliis comparando: *a*) Sensu obvio fuisse a Philosopho conscripta tradiderunt PP. Graeci, Averroes, Nominales, Vazquez, Petavius..., Zeller, Hontheim, Schaaf, etc.; tunc autem in his, sicut et in suis de providentia amphibologiis, a Philosopho erit recedendum. *b*) Phrasis cum Aquinate et Suarezio, cum Ruiz, De San, etc., benignius accipiatur, ut de *formali* solum agens obiecto. Pro qua ἐπικέια eruditas protulit rationes *Ruiz de Montoya* (« De Scientia Dei », disp. 5, sect. 3, in fine, nn. 12, 13); necnon *De San* (« De Deo Uno », n. 148, « Multo verius... »). Textum ipsum rigorosius sonare dices (1).

---

(1) Ἔπειτα δῆλον ὅτι ἄλλο τὶ ἂν εἴη (τὸ) τιμιώτερον ἢ (ὁ) νοῦς, τὸ νοούμενον.

Καὶ γὰρ τὸ νοεῖν καὶ ἡ νόησις ὑπάρξει καὶ τὸ χείριστον νοοῦντι.

Ὥστ' [εἰ] φευκτὸν τοῦτο [καὶ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια, κρεῖττον ἢ ὁρᾶν], οὐκ ἂν εἴη τὸ ἄριστον ἡ νόησις.

Αὐτὸν ἄρα νοεῖ, ἔιπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον. Καὶ ἔστιν ἡ νόησις, νοήσεως νόησις.

Deinde manifestum (est) quod aliquid *aliud* esset honorabilius quam Mens, (nempe) cogitatum.

Revera cogitare et cogitatio inerit etiam pessimum cogitanti.

Igitur (si) fugiendum est hoc [Quia non videre quaedam, melius (est) quam videre] nec esset optimum cogitatio.

Seipsum ergo cogitat, siquidem est optimum. Et (sic) est cogitatio, cogitationis cogitatio.

659. — Omni modo: 1° Obiectum vile, maxime si sine eiusdem videatur influxu, videntem non inhonorat; divina igitur « Mens », *eminenter* illud continens, ignobilior cognito non redditur ob meram ad illud terminationem (1). 2° Hinc philosophus de solo forsan cogitavit *determinante* obiecto. 3° Negari tamen nequit pro Aristotele Deum etiam alias intra se nimis *claudi;* iuxta eum scilicet res omnes quaerunt quidem Deum *ut finem*, quin tamen ad extra *efficienter* Deus a se prius exierit, nec per creationem, nec per providentiam singularium, nec movendo caelos (quae officia per spiritus exsequens apparet; creans ne sic quidem). 4° Tandem quomodo Deus mundanas cognoscat res, dicere nullibi aggreditur (Obscure de his in Libris de Caelo, in VIII Physic. etc.).

660. — *Obi. IX* (Inst.). Deus per speciem essentiae suae *alia a se* proprie *distincteque* cognoscere nequit. Intellectus enim, sicut non per *deficientem* sic nec per *excedentem* speciem obtinere potest propriam rei cognitionem. Ergo. *Ant.* Per speciem *albi*, color viridis in albo *excedenter* contentus cognosci distincte nequit, ut nec per *deficientem* speciem nigri. Ergo a pari (De Verit., 2, 4, 4).

R. D. Ant. Per *mere* excedentem, i. e. quae *mere maius* exprimat, *C.* Per excedentem, quae *maius* quid exprimat simul *causam* rei, simul *rem eminenter*-virtualiter contentam, *Sd.* intellectus imperfectus, *Tr.* Perfectus comprehensivus, *N. Ant. — N. c.* — Ad Prob. *Dist. Ant.* Ab imperfecto intellectu, *Tr.* A perfecto, *Sd.* Si albus supponatur reliquos adaequate colores nec formaliter nec eminenter continere, *C.* Si alterutro modo eosdem adaequate contineat, *N. Ant. — N. c.*

Explico 1° Minus non dat maius; sed maius aliquando dat aliud minus. Iam essentia Dei, in unica intellectionis specie actuque relucens, est forma infinite ceteras *excedens* res, non utcumque et in *absoluta* quadam egoistica separatione, sed ut simul *causa* dans singulis esse, quo constant. Id sufficit ut perfectus intellectus, causam perfecte penetrare potens, singulas in individuo derivationes effectivas (actuales ac possibiles) iuxta cuiusque *formale esse* distincte percipiat.

2° Color albus solutionem potius illustrat; licet enim in Physica veterum, quia color supponebatur duplici constitutus elemento (luce ut *formali* et terminatione diaphani ut *materiali*) color albus non erat causa adaequata viridis, sed formae illius, nunc iam ipsimet *adaequata* tribuitur continentia. Igitur paritas pro nobis stat.

661. — *Obi. X.* Uno perque unum distincte percipitur unum. Atqui Deus ad cognoscendum sola utitur essentia sua. Ergo se solum distincte cognoscit.

R. D. M. Si unumquodque aliorum adaequet unum, *C.* Secus, *N. M. — Ctr. m.* Et alia sunt *deficientia* ab uno, *C.* Et alia sunt *adaequantia* unum, *N. m. — N. c.*

Explico. Ratio, cur *plurificatio* divinae scientiae *ex parte cognitorum* (etsi non *ex parte cognoscentis*) haberi queat, praecise est *deficientia cognitorum*, supposita utique fecunditate essentiae. 1) Si enim unum ex illis formam essentiae *plene* imitaretur, Deus illud cognoscens *aliud diversum* praeterea cognoscere non posset, quod similiter *totam* plene imitaretur essentiam; cognitio enim secundi esset cognitio primi. 2) Sed quia unum *deficienter* solum ac velut partialiter eamdem imitatur, locum diversitati relinquit imitationum semper deficientium, ideoque Deus sui penetrans formam, quae reliquarum ratio est, etiam omnes distincte novit creaturas. « Et sic *propriam* cognitionem divina essentia facit de *unaquaque* re, in quantum est *propria ratio* uniuscuiusque » (De Verit., 2, 4, 2). 3) Qui mentem architecti comprehensive penetraret, sub una illa forma, quae est *mens*, *diversas* quoque aedificiorum formas *distincte* caperet; si vero unum aedificium totam mentis exhauriret fecunditatem, hoc solum aedificium perciperet.

662. — *Obi. XI.* Medium *universale* distinctam singularis notitiam dare nequit (animal non manifestat *hunc* leonem). Atqui essentia Dei medium est universale. Ergo per eam Deus singularia in vago quidem qua entia, non autem distincte percipit.

---

(1) « Nec vilitas alicuius rei intellectae derogat dignitati eius... nisi in quantum intellectus in eo sistit, et dum illud actu intellegit, retrahitur a dignioribus intellegendis » (S. Th., ib., lect. 11).

R. D. M. Universale per modum formae abstractae, *C.* Per modum *causae* adaequatae, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Paulo aliter: *R. D. M.* Universale in *praedicando* (et in essendo), *C.* In causando, *Sd.* Si esse totum non produxit illius singularis, *C.* (v. g. *sol* calefaciens, generans...); Si produxit, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. 1. Ad *finem* difficultatis per dicta non *plene* adhuc esse perventum, innuit Toledo. Ultima ratio sic danda: quia essentia, entitative unum, *exemplariter* plura est; quia vivum est exemplar et perenne, in quo Deus universa contemplatur; seu quia plures sub hoc exemplari perspiciens *imitabilitatis* suae modos, distincte singulas videt creaturas (1). Haec sane lucem adaugent, dum tamen caveas in essentia configurare dictas *subiectivas imitabilitates*, quasi totidem essent reales formae. Porro essentia ipsa *non formale*, sed *eminentiale* exemplar est; formale sunt *imitationes* (a Deo distinctae) i. e. *creaturae* possibiles, seu possibilia formalia.

2. Universale (v. g. genus) de individuis dicit nihil; at causa de suo effectu individuo dicit totum. Licet enim universale particulari magis asssimiletur (quia univocum), quam aequivoca causa (exemplar *eminentiale*) suo effectui, atque ideo causa minus videatur inservire quam universale ad cognitionem singularis, sed quoties de *medio* agitur cognoscendi, pro hoc fine non tam similitudo, quam perfectus inservit medii cum *cognito* nexus. Nosmet, si quamdam perfecte intraremus substantiam, *accidentia* huic anexa distincte in ea caperemus utcumque eidem dissimilia (2).

663. — *Obi. XII.* « Quidquid Deus cognoscit, *ab aeterno* cognoscit, eo quod scientia sua non variatur. Sed quidquid cognoscit, est *ens;* quia cognitio eius non est *nisi entis.* Ergo quidquid cognoscit Deus, *ab aeterno* fuit. Sed nulla creatura fuit *ab aeterno.* Ergo nullam creaturam cognoscit » (De Verit., q. 2, a. 3, 12°).

R. « Ad XII dicendum quod quamvis cognitio non sit nisi entis, non tamen oportet quod illud, quod cognoscitur, sit *tunc ens in sui natura, quando* cognoscitur; sicut enim cognoscimus distantia loco, ita cognoscimus *distantia tempore;* et ita non est inconveniens, si cognitio ponatur de rebus non aeternis ». Haec sane theoriae Caietani de *physica* rerum aeterna praesentialitate clare opponuntur; sed de his alibi.

Articulus IV.

DE OBIECTO FORMALI ET MATERIALI DIVINI INTELLECTUS

Propositio XXXVIII. **Deus per essentiam suam ut per unicam intellegibilem speciem intellegit omnia. Unde pro divino intellectu obiectum stricte formale ac specificum divina essentia est; materiale autem Deus primarium, alia a Deo secundarium.**

Praenotanda. Notiones et status quaestionis.

664. — I. *Obiectum* facultatis in genere illud dicitur, circa quod facultas versatur, quod a facultate attingitur; obiectum igitur intellectus est quidquid ab intellectu intellegitur; duplex distinguitur: materiale et formale. *Materiale*, obiectum prout in se est; *formale* autem ratio, *sub qua* obiectum materiale attingitur. Pro intellectu *obiectum materiale* sunt *omnia entia* seu ens in tota sua latitudine; *formale* est ratio *entis* ut veri, seu ens ut *adaequabile* intellectui.

---

(1) Cfr. Toledo, Vol. 1, q. 14, a. 6, « Ad 4, dico cum Durando... ».
(2) Cfr. Ruiz « De Scientia Dei », d. 10, s. 2, n. 9.

Quam sane rationem in singulis obiectis materialibus includi debere, ut singula attingi ab intellectu queant, Psychologia docet; nulla videlicet facultas *extra* suum *formale* obiectum vagatur.

665. — II. *Separatio intellectuum. a*) Pro *omni* intellectu obiectum materiale sunt omnia entia, formale autem ratio entis seu veri in his entibus. In *hoc* igitur *formali* obiecto *omnes* conveniunt *intellectus*, pro quibus tum materiale tum formale *genericum* idem est, aeque extensum; adhuc formale dicitur *unum*, quia *ratio* entis abstracta *una* est.

Aliunde obiecti *formalis* munus in eo est, ut facultates *specificet* ac scientias. Iam ens verum intellectus *in vago* specificat quidem, eosdem a non intellectibus separans, v. g. a voluntate, a sensu; sed non magis; ideoque pro fine specificat *insufficienter; divinum* enim vellemus ab aliis quoque separare *intellectibus*.

b) Igitur progrediendum est. *Obiectum stricte formale*, i. e. hunc determinate specificans intellectum, illud est (intra genericum, ens sub ratione veri), quod ex *speciali* sua cum hoc intellectu *proportione* eumdem primo ac per se determinat, ab aliis distinguit, atque *primo* et ratione sui ab illo percipitur intellectu sub *propria* obiecti specie, sub specie nempe primitus huic destinata obiecto, ut cetera deinde per illud cognoscat. Aliis nominibus: *proportionatum*, *determinativum*, *motivum*, etc. *Formale* autem *genericum* (et magis proprie obiectum *materiale*) appellatur *adaequatum*, *extensivum*, *terminativum*. Materiale dividitur in *primarium* et *secundarium*. *Primarium*, in quo reperitur formale specificum, ideoque primo ab intellectu percipitur; *secundarium* reliqua.

Propositionis scopus hic est, ut *formale stricte specificum* divinae mentis obiectum determinet, praevio fundamento *unicitatis speciei*.

666. — *Prob.* 1ª *pars*. Species impressa est forma, intellectum complens et ad cognitionem determinans. *Atqui* divinum intellectum aut compleri aut ab extrinseco determinari pugnat. *Ergo* praeter essentiam nulla pro Deo species. *Aliunde* essentia est pro reliquis fecundans. *Ergo* haec sola species datur.

Min. 1) Intellectus est ipsa *essentia* Dei. Ergo a seipso est in actu perfecto determinationis; ad nihil indeterminatus. 2) Si alia species complens possibilis esset, relate ad illam intellectus in *potentia* esset, cum tamen actus sit purus. Sufficientia autem essentiae pro cognitione reliquorum nuper est ostensa (prop. XXXVII).

667. — *Observa*. Quae de *impressa* dicuntur specie, etiam de *expressa* valent; in Deo *idem* sunt; nec minus pugnat intellectionem Dei *formaliter* ab alio constitui, quam *efficienter* ab alio dependere.

668. — *Pars* 2ª. Ponitur contra Durandum, qui obiectum *formale* et *primarium* divinae scientiae vult esse *ens ut sic*, prout Deo aliisque analogice competens.

Prob. Obiectum *formale* remote quidem ac generice est ratio, sub qua materiale ab intellectu attingitur, proximius tamen est ratio determinata, quae ab intellectu primo et in se percipitur ut ipsimet peculiariter adaptata, ratione cuius reliqua ab eodem intellectu percipiuntur. *Atqui* haec in casu de *sola* tenent essentia Dei. *Ergo* obiectum formale ac specificum divini intellectus est sola essentia Dei.

Mai. in praenotandis.

Min. Primo et in se illud percipitur, cuius propria habetur species. Atqui (ex 1ª *parte*) unica species est essentia Dei. Ergo Deus solam essentiam *primo* et *in se* percipit; cum autem ipsa sola *divino* ita *proportionetur* intellectui, ut non aliis, hunc contra alios *specificare* poterit.

669. — *Pars* 3ª et 4ª. 1) Contra *Aureolum*, iuxta quem divina cognitio ad *solam* Dei essentiam terminatur; ad creaturas vero non in formali earumdem realitate sed in aequipollente *divina;* quia igitur potius *suppositum* negat, refutatus iam est (prop. XXXVII). 2) Magis directe adversatur *Greg. Ariminensis:* Deus aeque primario cognoscit se et alia, unde omnia aeque sunt obiectum *formale* ac primarium; non cognoscit creaturas in *essentia* Dei. 3) Similiter insignis thomista Deza (1) (cum paucis): Pro divino intellectu non datur obiectum primario et *secundario* cognitum; ea enim sola ita appellantur, quae per *primum* et *secundum* actum percipiuntur; in Deo autem *unicus* est actus. Ergo...

Nota. Non agitur de ordine *realis* successionis *actuum*, sed de ordine *principalitatis* ac *dependentiae obiectivae* (2).

670. — *Prob.* 1. Obiectum materiale *primarium* pro divino intellectu illud dici meretur, quod *primo* et *per se* ab eodem percipitur, seu per propriam eique commensuratam speciem. *Secundarium* autem, quod per primarii speciem alia utcumque continentem. *Atqui* Deus modo priori se *solum*, reliqua altero modo cognoscit. *Ergo primarium* Deus solus est, alia a Deo *secundarium.*

Mai. Est definitio obiecti primarii primatia *characteris specificativi* et determinativi; in casu datur simul primatia *excellentiae.*

Min. Unica enim species, ibi exsistens, essentia est; hinc specie propria et ratione sui unus Deus cognoscitur. Atqui essentia primario perfecteque cognosci nequit, quin hoc ipso intellectus ad reliquorum ducatur notitiam. Ergo se solum primo et per se, reliqua ob prioris cognitionem cognoscit.

Ad min. Nam *radix* perfecte comprehendi nequit, quin *radicata* formalia perfecte cognoscantur; nec *exemplar*, nisi exemplata *formalia* intellegantur. Ergo perfecta essentiae intellectio Deum ad reliquorum intellectionem ducit.

671. — *Coroll.* Ergo sive materiale *primarium* sive *formale* essentia est *tota totaliter*, i. e. velut *absolute* et velut *relative* sumpta, seu ut ipsum esse ac ut *radix* aliorum; utrumque enim *divinum* est, ipsa Dei essentia est *formaliter* divina, ideoque *realiter* distinctum a radicatis, quae *formales creaturae* sunt.

672. — *Observa.* Obiectum materiale primarium dicitur sive *Deus*, sive *essentia* Dei; sed Deus, exactius quam essentia, licet utrumque contingat *idem* esse. Pro nostro utique intellectu aliter se res habet: materiale primarium pro eo *res sensibiles* sunt; *formale* vero *quidditas* in rebus sensibilibus contenta, nec adaequate cum iisdem identificata. Sub qualibet tandem hypothesi materiale primarium illud erit, in quo formale primarium insit, sive deinde identificentur, sive secus.

---

(1) 1° Sent., d. 35, a. 3, notabili 1.

(2) Bene Montoya: « Levi de causa recessit hic auctor (Deza) a communi modo loquendi Scholasticorum et ipsius S. Thomae... Nam *primum* et secundum in praesenti non significant realem ordinem in cognitionibus distinctis, sed significant unum esse *principalius* cognitum et per se..., et ratione sui, aliud dependenter a primo » (Op. cit. Disp. 5, sect. 4, n. 16).

673. — *Prob.* 2 (2ª, 3ª et 4ª *pars*). Obiectum *primarium* (sive formale sive materiale) per id a *secundario* differt, quod primarium seipso motivum est seu *determinativum*, hinc per sui speciem attactum; secundarium vero non motivum sed mere *terminativum* est, ideoque nec per speciem sui cognitum. *Atqui tota solaque* Dei essentia primo modo, cetera altero modo divino obiciuntur intellectui. Ergo *sola* essentia primarium; reliqua secundarium sunt.

Min. in prob. 1.

Maior declaratur. Esse mere *terminativum* significat esse obiectum cognitum sine sui specie facultatis determinativa, per speciem alienam; seu *mere terminare* est sine sui specie cognosci. Hinc 1º Pro mente *viatoris* Deus est obiectum *mere terminativum;* quia nonnisi per motivas *creaturarum* species cognitionem in eo terminat, unde et *secundarium* est; sensibilia autem pro eodem *ex se motiva* sunt ideoque primarium et formale. 2º Pro intellectu *angelico*, qui cognoscat causam per huius speciem, nempe seipsum vel alium angelum, haec causa erit obiectum motivum et formale: effectus autem a causa producti, v. g. motio corporum, obiectum erunt mere terminativum; effectus enim ipsos secundum formale cuiusque esse nonnisi per speciem noverat *causae*. 3º Si marmor non passivum mere, sed activum esset statuarum, essentia marmoris, sub propria innotescens specie, motivum esset pro nobis atque primarium, essentia inquam tota (et absoluta et relativa) seu essentia cum *virtutibus* suis; statuae autem nonnisi terminativum ac secundarium, si sub sola innotuere marmoris specie. Sic pro Deo essentia sua tota (rerum causa) *motivum*, formales autem creaturae *terminativum* sunt.

674. — *Coroll.* Ergo essentia Dei *relative* sumpta (ut fons scilicet ac *radix*) confundi non debet cum creaturis seu *radicatis;* hinc neque vere dices essentiam qua absolutam primarium esse, qua relativam autem secundarium divinae mentis obiectum; vere quidem dices relative sumptam *ducere Deum in cognitionem* obiecti secundarii, creaturarum scilicet formalium (1).

675. — *Scholion. De varietate loquendi.* Quaestio ipsa vere una *a*) proponebatur olim (ante saec. XVI) sub formula non tam « obiecti materialis et formalis », quam « obiecti principalis et secundarii » vel etiam « primo et per se percepti, secundario et per aliud »; ita v. g. apud Dur. et Scot. « *primum* scientiae divinae (obiectum) essentia in ratione sui ». Obiectum quoque *motivum* (determinativum) a mere *terminativo* distinguebant. *b*) Sub expressione magis nunc in usu « obiecti formalis et materialis » (Capreolo et Henrico non ignota) *formale* sonat primarium seu motivum; *materiale* vero (quoties formali opponitur) secundarium pureque terminativum. *c*) Aliis distinguere placet formale determinativum et formale terminativum; tunc autem postremum cum *materiali* secundario coincidit. *d*) Caput denique pro omnibus hoc unum esse debet, solet: clara separatio obiecti primarii, ratione scilicet sui perque propriam speciem percepti, a secundario seu per alienam percepto speciem. Profecto: « Deus primo et per se solum seipsum cognoscit. Illa enim solum res est primo et per se ab intellectu cognita, *cuius specie* intellegit. Operatio enim, formae quae est operationis principium, proportionatur. Sed id, quo Deus intellegit, nihil est aliud, quam sua *essentia*, ut probatum est cap. 46. Igitur intellectum ab ipso primo et per se nihil est aliud quam *ipsemet* » (1º c. G., c. 48). Aliis pluribus hanc subnectit rationem: si enim *primo* ac *per se* aliud cognosceret, quid a Deo distinctum divini intellectus *specificativum* esset contra eiusdem nobilitatem.

---

(1) « Quia (Deus) non cognoscit in rebus *solum esse*, quod habent *in ipso* secundum quod sunt *unum* cum eo, sed etiam esse quod habent *extra* ipsum, secundum quod diversificantur ab eo » (De Verit., q. 2, a. 3, ad 2).

676. — *Obi. I.* Humanae menti formale obiectum (primarium) assignatur *ens ut sic.* Atqui divinae aliud minus elevtum non competet. Ergo assignetur *ens ut sic,* prout analogice Deo identicum et creaturae ab utroque praescindit (Durandus).

R. D. M. Ens ut sic, in quidditate tamen rei *sensibilis relucens* cumque classe elevationis, quae *abstractioni* debeatur, *C.* quae sublimiori debeatur entitati, *N. M.* — *Ctr. m.* Minus elevatum *abstractive, N.* Minus elevatum entitative, *C. m.* — *N. c.*

Explicatur in Psych. — Unde ens ut sic ratio est nobis cognoscendi reliqua, confuse tamen qua entia sunt; pro maiori determinatione cognitiva maiori egemus specierum determinatione per rationes substantiae, corporis, viventis..., quas ipsas in quidditate sensibilium gradatim deprehendimus. Deus autem per *unicam* essentiae *speciem* omnia distincte cognoscit, nec ulla utitur abstractione.

677. — *Obi. II* (Inst.). Aliqua potentia, quo in se elevatior, eo universalius obiectum formale habet. Constat ex inductione in potentiis hominis. Atqui ens ut sic universalissimum est. Ergo formale intellectus elevatissimi obiectum.

R. D. M. i. e. eo excellentius ac universalius in ratione *causalis* reliquorum continentiae, *C.* Eo universalius in ratione *abstractionis* notae confusae, omnibus applicabilis, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explicatio eadem. Pro nobili intellectu obiectum formale tale sit oportet, ut in eo reliqua distincte percipi possint; id autem non praestituit ens *vagum,* sed ens *determinatum,* vere eminenterque realitates omnium continens.

678. — *Obi. III.* Imitabilitates, quas essentia dicit, cum *divina* identificantur *essentia.* Atqui ipsaemet obiectum *secundarium* sunt. Ergo primarium et secundarium identificantur.

R. C. M. — *N. m.* Ut dictum est, creaturae non sunt *imitabilitates;* hae enim essentia Dei sunt, quid tandem *divinum;* illae vero, extrinseci imitabilitatum *termini, imitationes* sunt, aliquid scilicet *creatum* vel *creabile,* hinc a Deo cum suis imitabilitatibus realiter distinctum; porro effectus a sua causa realiter distinguitur.

Articulus V.

De medio obiectivo generaliter

Propositio XXXIX. Deus alia a se nonnisi dependenter a cognitione sui et quasi trans essentiam cognitam cognoscit; ut pro diversitate cognoscendorum essentia sit medium obiectivum in quo, vel rigorose, vel late tale.

679. — *Praenotanda.* I. *St. q. a*) Si species impressa *una* est (prop. XXXVIII, p. 1ª) i. e. essentia, etiam expressa impressae respondens *una* erit, essentia rursus; hinc divina cognitio actus *unus,* Deus ipse. At sive impressa sive expressa species signa *formalia* sunt, ordinis nempe *subiectivi,* ordinata ad operationem, respectu cuius impressa sistit in linea activae *determinationis,* expressa autem in linea *formalis constitutionis.* Nec de his dubitare licet.

b) In linea *obiectiva* (ex 2ª, 3ª et 4ª *parte,* prop. XXXVIII) Deus habetur ut primo et per se, alia ut secundo et per aliud cognita. *c*) Iam novus progressus, in ordine *obiectivo* nunc institutus, conexionem perpendit secundarii cum primario pro utriusque possibili perfecta cognitione; seu:

Quaeritur utrum radicalis illa essentiae fecunditas tam necessaria, tam prior, immo unica in *subiectivo* (efficientiae) ordine, ubi prius ac posterius non est, sed *unica* species, in *obiectivo* quoque *cognitionum* ordine, tanta praeeat necessitate, ut quin per distinctam eiusdem cognitionem prius trans-

ierit, ad cetera terminari intellectus nullatenus possit. Huius necessitatem praecedentiae, nec absolutam tamen eiusdem pro omnium *determinatione* sufficientiam, enuntiat thesis.

680. — II. *Notiones. Media* cognitionis pro cognitione sive in genere, sive divina, varie dicuntur. *Medium* cognitionis est quidquid utcumque ad cognitionem facultati inservit (subaudi proxime); potestque esse *subiectivum* et *obiectivum. Subiectivum* est *forma* informans, quae (quin cognoscatur) ad directam ducit cognitionem obiecti ab ipsa aut repraesentati aut dispositi. *Obiectivum* vero, quod in se cognitum ratio est cur facultas aliud vel alia cognoscat.

1. *Media subiectiva* tria recensentur: *a*) *Sub quo;* est lumen obiecta reddens facultati proportionata, v. g. intellectus agens sensibilia immaterializans. *b*) *Quo efficienter;* est species *impressa* facultatem informans, determinans, cum ea cognitionem operans. *c*) *Quo formaliter;* est species *expressa* facultatem in formali cognitione constituens; cum eo identificatur *d*) *Cognitio* ipsa seu operatio cognitiva in facto esse, qualitas immanens (1).

681. — *Observa.* 1) Dicuntur *subiectiva*, quia per illorum inhaerentiam facultas ad directam ducitur *obiecti* notitiam in eis repraesentati; quia vero ignota manent, *obiecti* cognitionem reddunt penitus *immediatam.* 2) Medium *sub quo* in Deo est idem ac *quo;* ipsa enim *essentia* sibimet obiecta adaptat ut causae illorum. « Essentia autem divina in cognitione divina, qua cognoscit res, tenet locum utriusque » (De Verit., 2, 5, 10).

682. — 2. *Medium obiectivum* duplex distinguitur: *ex quo* et *in quo. Ex quo* (etiam *per quod*), si ipsum uno actu cognoscitur, et ex illo cognito intellectus *novo* actu ad cognitionem alterius transit; ex antecedenti cognito ad consequens. — *In quo*, si ipsum et aliud, ad quod ducit, uno *eodemque actu* cognoscuntur, tempore simul sed pro priori medium, cum sit causa cognoscendi alterum; ut si in speculo videas Petrum, viso per prius speculo (2). Dicuntur autem *obiectiva*, quia solum qua *cognita* suum exercent medii munus (*cognitum* vero est *obiectum* cognitionis). Unde et *externae* rerum imagines (statuae, picturae), quia nonnisi prius cognitae nos ad cognitionem ducunt obiectorum in ipsis repraesentatorum, media *obiectiva* nuncupantur. Essentiam Dei pro Deo affirmamus esse medium *obiectivum in quo* respectu cognitionis aliorum a Deo. Id autem nunc *generice* tantum ac velut provisorie tractamus intuituque ordinis. Quomodo in concreto pro cognitione cuiusque secundarii obiecti res componi possit, infra per partes.

683. — *Observa.* Res cognita *in medio* et medium ipsum evidenter connectuntur; nec quaelibet tamen sufficit conexio, v. g. mera simultas duorum dum duos simul conspicio homines; nec quaelibet *obiectiva* conexio, v. g. mutuae dependentiae in relativis, dum patrem et filium simul immediate cognosco; sed obiectivus nexus requiritur talis, ut medium *pro priori* notum

---

(1) Alii paulo aliter: tria absolute enumerant media: duo subiectiva, unum obiectivum. Cfr. v. g. Ioa. a S. Thoma, « Cursus Philos. », p. 295, col. 2 (Lugduni, 1663).

(2) « Duplex est medium. *Quoddam, in quo simul* videtur, quod per medium videri dicitur: sicut cum homo videtur per speculum et simul videtur cum ipso speculo. *Aliud* medium est, per cuius notitiam in aliquid ignotum devenimus: sicut est medium demonstrationis » (1 p., q. 94, a. 1, ad 3). Cum idioma iam usuale hoc sit, *in quo* et *ex quo* perpetuo sic intellegemus, licet in vi verborum aliter quoque sonare possent, ut notaverat Ioa. a S. Thoma.

ratio sit cognoscendi aliud, quod per posterius trans medium cognitum cognoscatur (1); hinc cognitio erit quadantenus, i. e. *obiective* mediata.

684. — III. *Sententiae.* 1ª *Nominalium* cum Aureolo: Cognoscit ea *in ipsis solum;* quia in forma aliena (aequivoca, divina) nulla res proprie seu iuxta suam specificam naturam cognosci potest.

His accedit *Vazquez* (cum paucis, Becano, Amico...): Illa cognoscit Deus in *seipso* sed *ut in verbo* et *speculo*, non *ut in obiecto* prius viso; hinc cognoscit ea *reflexe* seu per reflexionem in *actum* directum, quo *se noverat* (2). Sed quod Deus quasi reflexe ea cognoscat, nec Nominales negabant (advertit Suarez); de *directa* dicebant velut extensive *aeque primo* sese et ad Deum et ad alia ferre; logice et Vazquez idipsum fateri teneretur; si enim Deus in speciem expressam actus *directi* reflectens alia a se ibi contemplatur, signum est per actum *directum* eadem fuisse nota; cum in *verbo* quid incognitum adesse non possit. Igitur quod ad punctum spectat capitale Deum nempe alia a se non in *seipso* ut *in obiecto*, sed in ipsis *directe* cognoscere, hi auctores a 1ª sententia vix distant. Quae cum iam obsoleta sit, de vera explicatione 2ª et 3ª decertant.

2ª Deus alia a se directe obiective cognoscit sive in seipso sive in seipsis, *cuncta bis:* in seipso ut *in* causa omnium supereminenti (saltem possibilia) et in seipsis i. e. immediate in obiectiva cuiusque *veritate* velut independenti et personali.

Ita cum *Toledo* plures coaevi, deinde Wirceburgenses, plerique nunc Societatis doctores, necnon Scotistae cum Scoto, clarus Struggl, aliique (3).

3ª In enuntiato exhibita: Alia a se cognoscit Deus *solum in seipso* ut in obiecto per prius cognito, tanquam in causa virtualiter omnia continente, omnia fundante, radicante; vel etiam: tanquam in *unico* obiecto formali et primario, specificativo; et similiter. Adhuc Deus *trans* se visum, hoc sensu *in se viso*, singula *distincte* videt individua etiam materialia iuxta *formale cuiusque esse* et naturam; hoc sensu *in seipsis* (Suarez, Ruiz) seu *in propriis* eorumdem naturis (S. Th.).

685. — *St. q.* Formula 3ªe huius sententiae « in seipso solum » variis diversissimis sensibus rigoribusve accipi absolute posset, de facto accipitur; quisque enim subaudire sub ea solet aliud et aliud, discrimina quidem capitalia, secundum ulteriores cuiusque doctrinas de ultimo et adaequato determinativo logico terminationis cognitivae Dei ad possibilia, ad futura, ad futuribilia.

Quod si formula sub hoc toto complexivo pondere atque praeiudiciorum arrhis esset hic sumenda, aptius nunc sub silentio iaceret, in fine tractatus variis varie adaptanda solutionibus pro diversitate obiectorum secundariorum.

---

(1) « Quomodo dicuntur Angeli videre simplici intuitu..... *proprietates* in essentia » (Suar., « De Deo », Libr. 2, c. 25, n. 5 in fine).

(2) « Ego quidem arbitror, Deum... in seipso eas cognoscere, non ex eo quod seipsum tamquam causam et primarium obiectum prius intellegat, sed in seipso tamquam *in verbo* et *specie expressa*... quod est eas videre in seipso, tamquam in speculo » (Vazq. T. 1, d. 60, c. 2 et 3, initio).

(3) *Toledo* (in 1 p., c. 14, a. 5): « 2ª Conclusio: Deus in sua essentia tamquam in obiecto videt cuncta perfectissime... 3ª Conclusio: Deus videt cuncta in seipsis per essentiam tamen... Hanc recipio cum Scoto... Itaque cognoscit unica cognitione *cuncta bis*... ».

Scotum trahunt plures ad 1am sententiam « in ipsis solum » (v. g. Suarez, Vazquez, Vulpes); opponitur De San, critice resolvens iuxta Scotum immo « Deum alia a se *non cognoscere* in ipsismet, sed in seipso *tantummodo* tamquam in obiecto prius cognito » (De San, « De Deo Uno », n. 153). Id quoque de Scoto Molina sensit (in 1am p., q. 14, aa. 5, et 6 post medium).

Immo, ne formula aut de inefficacia solutiva aut etiam de *fatalismo* statim accusetur (merito quidem, si *se solam* avare aspiciens, nec ab extra quid accedere permittens, omnia per seipsam *determinare* praesumat), a nobis acceptatur ut solum dicens quae explicite enuntiat. Videlicet: cum formula « cognoscere omnia in seipso » accipi de se possit *a*) in sensu *mere directivo; b*) in sensu etiam *omnium determinativo* terminationum, nos accipimus sensu *a*), seu: nihil solvere nunc intendentes circa capitalia de adaequato modo ratioque cognoscendi futura, futuribilia libera, i. e. de ultimo terminationum ad haec determinativo, attendentes ad lineam mere directivam processus cognitivi Dei, quasi *primum* fixamus gressum, quo non facto, nullus a Deo fieri possit versus alia obiecta, utcumque deinde terminatio ad haec alia, seu determinatio huius prae alia terminationis, explicari debeat.

Hoc *solo* sensu formulam usurpent necesse est, si usurpare ament, quotquot scientiam mediam profitentur; sic et nos probabiliorem habemus; minime sensibus aliis subque aliis subauditis. Infra enim tenemus eamdem praecise, quae in futuro et futuribili reperitur, veritatem *determinare* terminationem scientiae ad hoc prae alio, nihilque aliud.

Unde: 1º Formula sic sumpta viam *nullatenus occludit* nostris capitalioribus infra dandis solutionibus. 2º Nec solutionem aliquam aut determinat aut praeoccupat in magna quaestione de futuris et futuribilibus; sed passum quendam defigit pro magnis solutionibus *accidentalem*. 3º Ne a longe quidem excludit *a*) quod veritas insit futuro ipsi et futuribili; *b*) quod ipsa sit *ratio logica* terminationis ad tale futurum; *c*) quod hoc sensu et ex hac ratione dici queat Deum talia *in ipsismet* cognoscere (Cfr. *Schol.* de 4º quodam sensu). 4º Nostra conceptio in sua totalitate infinite magis distat a mente plurium formulam acceptantium, quam ab oppugnatoribus eiusdem Molinistis. Nunc tamen contendimus cum his ultimis. Tandem

Auctores. — Duae sunt distinguendae auctorum classes, qui nostra utuntur formula: I. eorum, qui in capitalibus deinde a nobis recedunt; II. eorum, qui in totali systematis conceptione nobis consentiunt.

I. In classe 1ª. *a*) *Praedeterministae:* « in Deo cum decretis determinantibus »; et hic modus omnino improbandus est, quia creatae libertatis clare destructivus; *b*) *alii thomistae:* « in essentia Dei nuda sed *determinante* omnia »; et hic modus falsus est ob clarum fatalismum; *c*) *alii thomistae:* « in essentia sola, ut fonte omnis possibilitatis », scimus (aiunt) sic esse debere; D. Thomas dixit Deum omnia in seipso videre; quomodo futurum et futuribile liberum, in et ab essentia determinentur non satis apparet; mysterium adest, nec ultra progredi intendamus. Est systema *negativum ;* est retrocessus ad aevum medium, quasi vis mentalis in eo consumpta fuerit.

II. In classe 2ª collocantur: 1) *Molina* duce, *veteres Molinistae* plerique a medio saeculo XVI ad medium saeculum XVII; nec omnes tamen in hoc *immorantur*, eo quod ad *substantiam* systematis nullatenus id pertinere aut dicant aut supponant; iure quidem. Quos inter praecipui fuere: *a*) *Suarez*, qui non semel aut expresse sententiam exponit aut eamdem ut fere tunc communem accipit (1).

---

(1) Etiam pro sententia « immediate in seipsis » citatum videre est Suarezium, v. g. apud Gonet; immerito tamen sensu *praesentis* quaestionis, quam ceteroquin levioris esse momenti non semel ipse Suarez insinuat.

Profecto: Quatuor praesertim operibus de medio huius scientiae aliorum a Deo Eximius doctor scripsit: 1º « De Deo », Libr. 3º, c. 2, et 3; in c. 2 agens de possibilibus, excludit cognosci in ipsis immediate; quia haec scientia nec *necessaria* nec *conveniens* Deo (n. 16). — Meminit ab An-

b) *Molina*, postquam dilucide eamdem proposuerat sententiam, a probationibus abstinuit: « communis est doctorum, neque maiori indiget probatione » (1).

c) *Valentia* quoque, re paucis conclusa, vix de ea praeoccupatur (2).

d) Idem tenent *Tanner*, *Granado*, *Raynaudus*...

e) Praesertim et magis ex professo, quasi in periodo luctae circa hoc iam exortae, *Ruiz de Montoya*, quo melius pleniusve de tota Dei scientia vix alius adhuc scripsit (3).

2) *Hodierni Molinistae* non pauci: Card. *Franzelin* perfunctorie (4); deinde plenius ex professo *De San* (5); necnon *Pesch* (Chr.), *Hontheim*, *Schaaf*... (6).

Pars 1ª. Cognoscit alia dependenter a cognitione sui, seu *trans se cognitum.*

686. — *Prob.* 1. Deus se ut obiectum formale et primarium, alia ut mere materiale et secundarium uno actu cognoscens, omnia novit in vi solius essentiae tamquam speciei (impressae) determinantis. *Atqui* tunc nihil a se

---

gelico *ubique* amoveri modum *immediatum*, maxime 1° c. G., c. 48; rationes non sat efficaces esse fatetur. Duo ibidem notat, quae nostra facimus: « Haec sententia (immediate in ipsis) non caret probabilitate nec habet inconveniens, propter quod oporteat *multum* cum auctoribus eius contendere » (n. 16); i. e. id in *capitalem* solutionem de ratione determinante scientiam liberorum nihil influit. 2° In opusculo « De Scientia Dei futurorum contingentium ». 3° In Prolegomeno II ad Gratiam. Utrobique totus est in explicando ubinam *determinetur* futurum eiusve veritas; quomodo libertas non ruat; i. e. unice praeoccupatur (merito quidem) de quaestione et solutione *capitali*, totusque rursum est in probanda veritate futuri et futuribilis *in ipsis* formaliter sumptis.

Attendens solum ad hoc *determinativum* scientiae *determinatae* de hoc futuribili et futuro, ait in opusculo (c. 7, n. 15) Deum penetrare « *immediate* veritatem, quae in ipsis est... neque indigere alio medio ut illa cognoscat » (subaudi: « determinativo veritatis illorum »). Quasi: non *determinatur* veritas eius *in causa*, in voluntate creata, aut in essentia Dei pura, aut cum decreto creandi, concurrendi aut similiter; verbo « immediate » sub sensu et difficultate *capitali*, praescindendo a sensu *praesentis* secundariae quaestionis, qui valde diversus est, ut manifesto patet ex tota nostra thesi. 4° *In Metaphysicis Disputationibus*. Explicat curnam ex eo, quod res alias Deus distincte singulas noverit, *hoc uno sensu* in seipsis, scientia Dei ex illis non specificetur nec transcendentalem ad illas habitudinem dicat; « quia per se non ordinatur ad illa (obiecta), neque est instituta (ut sic dicam) propter illa, sed ex se et propter se tantum est; illa vero omnia, quae sunt extra se, *solum quasi consequenter* et ex eminentia perfectionis *attingit* » (Disp. Met., 30, s. 15, n. 26).

Ergo de mente Suarezii in praesenti quaestione dubium esse non debet.

(1) In 1 p., q. 14, a. 5 et 6 (Conchae, 1592), p. 451, B — p. 45, 2ª conclusio: « Deus cognoscit alia a se, non in rebus ipsis, sed in seipso; hoc est: intuitus divini intellectus non fertur *aeque* primo in suam essentiam ut in rem cognitam, et in naturas, quas aliae res in seipsis habent, sed *primo* fertur in suam essentiam, ut in obiectum primarium, in quo virtute continentur naturae aliarum rerum, et *mediante* essentia ita *cognita* illo eodem intuitu cognoscit ac intuetur ulterius, ut obiectum secundarium, naturam cuiusque aliarum rerum propriam ».

(2) « Commentariorum... » Disp. 1ª, q. 14, punct. 3: « D. Thomas duo vere asserit: 1° Deum *aliter* cognoscere res a se distinctas quam suam essentiam. Cognoscit enim essentiam suam in se ipsa; res autem alias *non in seipsis*, sed in divina essentia... Et haec quidem assertio D. Thomae vera est, modo recte intellegatur ».

(3) Ruiz, « De Scientia Dei », disp. 10, 29, 73, 75... et passim. At inter diversa distinguens obiecta, pro futuris et futuribilibus peculiarem adesse rationem concedit cur *in seipsis* ab aeterno praesciri dicantur, licet *stricte* nunquam. « Simpliciter et absolute loquendo, Deus non intellegit futura contingentia in seipsis nec in proprio genere sed in essentia divina ». Nam proprie « in » denotat obiectum formale propter se cognitum per speciem sibi propriam... (d. 29, s. 1, et d. 75, s. 1).

(4) « De Deo Uno », th. 43 initio id innuit; th. 38 in fine clarius: « obiectum secundarium... cognoscitur *in alio* et per aliud, per *obiectum* videlicet princeps et formale ». Nullibi tamen nisi transeunter rem tractat.

(5) De Deo, n. 159. « Prop. 3. Deus alia a se cognoscit non in ipsismet sed solummodo in seipso ». Cui, stricte in sensu praesenti acceptae et probatae non obstat quae de futuris et futuribilibus ponitur (n. 200): « Deus non cognoscit futura contingentia in decretis ea praedeterminantibus, sed in *ipsismet* ».

(6) Hi tamen postremi multo plus quam classici nuper citati et quam quod quaestio intendit obtinere volunt per formulam « omnia in seipso », i. e. etiam *determinationem* terminationis ad tale prae alio futuro et futuribili in ipsa Dei essentia prout decreto concurrendi ad talem actum velut aucta. — In quo addito penitus ab iis dissentimus; etenim per essentiam cum concursu nihil potest de re capitali resolvi, nisi praesupposita *alia* solutione ex *factis* ipsis.

distinctum novisse potuit nisi prius se cognito, dependenter a se cognito, transeundo a se in alia. *Ergo* haec alia secundo solum et dependenter a se cognito cognoscit.

Mai. in prop. XXXVIII, et conceditur.

Min. « Operatio enim formae, quae est operationis principium, proportionatur » (1° c. G., c. 48). Unde: cognitio totaliter sumpta talis taliterque ordinata (in suis terminationibus) esse dicenda est, qualis ab eius determinativa specie praescribitur. *Atqui* species in casu permittit, imponit, directam et immediatam *solius* essentiae formaliter divinae cognitionem, proin et directam aliorum radicaliter et eminenter talium, seu solum qua sunt ipsa « creatrix essentia ». *Ergo* alia a se formaliter qua talia, qua creaturas, *directe* et *primo* cognoscere non potest. *Atqui* aliunde se adaequate perfecteque ut omnium *causam* directe penetrans, ex resultantia et consequenter effectus ipsos (possibiles) formaliter tales, creaturas, cognoscere potest secundum proprium cuiusque formale esse. *Ergo* qui per solam sui essentiam intellegit, se quidem directe, sed alia a se formaliter qua alia, *nonnisi prius se percipiendo* ideoque *trans se cognitum* cognoscere poterit.

Ad min. 1am. Potentia quaevis cognitiva, eousque dum obiectum suum proprium et formale, a specie eiusdem obiecti propria repraesentatum, cognoverit, caeca manet ad reliqua, etsi haec virtualiter adsint in specie; haec enim alia per *comparationes solum*, et approximationes ad *proprium* in propria forma cognitum cognoscit (Cfr. Psych.). Atqui species in casu repraesentat *solum Deum*, quia est solius Dei propria species; est enim ipse Deus, ipsa creatrix essentia, non est creaturae ipsae, proin respectu harum est species *aequivoca*. Ergo nullam permittit cognitionem, quae prior cognitione essentiae aut huic simultanea sit in ordine aprioritatis aut simultatis obiectivae, sed *solam se* dat primo cognoscendam, reliqua autem consequenter et secundo, proin dependenter seu transeundo trans se cognitam. Habens speciem *sani propriam*, quin prius sanum proprie talem noverit, analogice sana iuxta horum formale esse et naturam cognoscere non poterit.

687. — *Dicunt* virtualitatem et fecundationem speciei aliter esse concipiendam; essentiam nempe esse speciem tam plenam et efficacem, qua posita intellectus Dei determinetur ad *quamlibet veritatem* directe et immediate attingendam; ita nempe ut etiam pro priori ad cognitionem essentiae (independenter a tali cognitione) inque vi solius *speciei* Deus creaturas (in primis possibiles) directe singulas cognoscere possit.

Respondeo fecundationem hoc modo intellectam vix possibilem apparere. Profecto: *a*) De nulla scimus facultate eam sub specie aliqua quidpiam attigisse nisi per prius formale suum tetigerit obiectum. *b*) Humana mens: 1) Specie pollens substantiae inque huius vi speciei cognitionem proprietatis non acquirit nisi prius substantiam *noverit* (i. e. nisi dependenter a *cognitione* substantiae). 2) Speciem possidens rei *sensibilis* inque huius virtute speciei ad notitiam non erumpit *spiritualium*, nisi prius rem sensibilem *noverit*, etc. Videlicet etiam sub specie ipsimet aptata obiectumque formale formaliter repraesentante (*virtualiter* alia quoque obiecta), adhuc mens ad actualem aliorum notitiam non exit, quin prius *noverit* formale obiectum. Cuius ratio nonnisi dependentia est cognitionis secundarii a cognitione primarii, adeo stringens, ut pro priori ad hanc etiam sub actuali speciei efficacia, mens pro cognitione secundarii in suspenso manere teneatur ac velut caeca, habilitationem a cognitione primarii exspectans; aliter enim sub virtute speciei in *directam*

exiret secundariorum notitiam, cum tamen hoc factum nunquam evenisse constet. Ni scilicet potentia *specificum* posuerit actum, alios ponere incapacem se prodit; quia deest aptus excitator. Igitur de divino intellectu idem erit dicendum, nisi magna obstet disparitatis ratio.

688. — 3) *Disparitas* esse videtur; etenim speciei controversae efficacia est concedenda *infinita*. *Resp.* Sequetur ipsam pro infinitis quidem valere, at ordinate semper, i. e. sic *ordinem* servando, ut illius primo cognitionem afferat, quod formaliter in specie exhibetur intellectum specificans. Essentiae rerum immutabiles sunt.

689. — *Prob.* 2. Si Deus alia a se formaliter talia i. e. creaturas directe videret, non prius se percepto, ideoque independenter videret a perceptione sui, tunc et illa alia (creaturae) dicenda essent obiectum *formale* et *primarium*. Atqui non sunt. Ergo directe et primo alia a se non percipit.

Mai. Perciperentur enim primo i. e. aeque primo ac essentia sine dependentia a *cognitione* essentiae, simul distincte ac proprie iuxta cuiusque rationem seu specificam individualem formam; solum enim sic sunt *alia a Deo*, sunt creaturae. *Atqui* id *sufficit* ut dicantur obiectum *formale* et primarium. Ergo.

Ad min. Quod insuper fuerint cognita in vi speciei *impressae* ipsorum *propriae* non necesse est. Sane: *a*) Qui species non admittunt, id pro formali obiecto non exigunt. *b*) Requiritur quidem ut directe et in propria *forma* fuerint cognita, proin hoc sensu secundum *speciem propriam*, i. e. secundum configurationem stricte suam in specie expressa seu in verbo depictam, sed non insuper quod fuerint cognita praecise per speciem *impressam* sui; hoc ad rem praesentem indifferenter se habet. Videlicet: si sine *ulla* impressa specie cognitio directa et propria alicuius obiecti facultati proportionati habita est, nec ex alio prius cognito fuerat emendicata, id sufficit ut obiectum illud *formale* et primarium sit. *c*) Si noster intellectus spiritualia in propria eorumdem forma directe perciperet, quin materialium *cognitione* praevia et subsidiaria uti teneretur, statim concluderemus spiritualia esse obiectum formale intellectus nostri non minus quam materialia; nec attentionem ferremus ad hoc, utrum *propria* adfuerit species *impressa*, aut etiam *ulla*. A pari.

Sed ais: Possibilia (generatim alia a Deo) ex hoc solo quod *immediate* ponantur repraesentari, non coguntur esse et dici obiectum *primarium* nec primitate nobilitatis, nec primitate iuris aut exigentiae repraesentativae. — Essentia enim divina exigit repraesentare seipsam *primo* ac per se, ac *deinde* possibilia, ideoque *sola* essentia est obiectum formale et specificativum divinae cognitionis (1).

Resp. 1º Oporteret determinare utrum « repraesentari » se referat ad speciem *impressam* ante cognitionem, an ad *expressam*, i. e. ad repraesentationem formaliter cognitivam; an ad utrumque vel ad alterutrum sed et consequenter ad alterum.

Resp. 2º *N. Ant.* Probatio ostendit potius contrarium; si enim essentia exigit repraesentare (cognitive formaliter) *primo* se, *deinde* alia; ergo non omnia simul et *immediate;* « *deinde* » enim significat *mediate*, seu *post* primum.

---

(1) *Urráburu*, 8, n. 56, p. 175.

— *Ideoque*, i. e. quia reliqua facit cognoscere *deinde* i. e. mediate, *sola* essentia est obiectum formale... (1).

690. — *Pars* 2ª. Essentia est medium obiectivum *in quo*, diverse pro diversitate cognoscendorum.

Declaratur. Agitur de *efficacia* medii absolute adaequata vel secus iuxta tractionem plenam vel secus aliorum obiectorum.

Pro cuius intellectione: 1) *Medium in quo*, cum sit ratio obiectiva cur aliud (eodem actu) cognoscatur, aliquam tenetur dicere nexionem obiectivam cum hoc alio cognito. 2) Conexio autem duplex esse potest: *a*) *necessariae* ad aliud *ducentiae* ex intrinseca cum illo unione in subsistendi consequentia, ita ut alio deficiente et medium deficere sequatur; *b*) necessariae *basis* se ducendi in aliud i. e. necessarii *praesuppositi* obiectivi, *sine quo non* itur ad aliud obiectum; ita tamen ut hoc alio deficiente, medium deficere non sequatur.

Medium obiectivum priori modo est v. g. imago speculi pro cognitione personae, vel extensum pro corporeo; posteriori autem modo est v. g. corpus *cognitum* pro spiritualium cognitione.

3) Iam medium, modo *a*) se habens, seu tractivum alius, *medium* rigorose est, taleque esse dicimus essentiam Dei respectu aliquorum; tunc non solum est *determinativum actus* ut ad primarium obiectum terminati, sed etiam ut *ad secundarium* (v. g. ad possibilia). Modo autem *b*) se habens essentia Dei est medium in quo *late* respectu aliorum v. g. respectu futuri ac futuribilis; tunc medium non est *determinativum adaequatae terminationis*, quia actus sub eodem medio potuit absolute habuisse *aliam* terminationem partialem secundariam ad aliud sive futuribile, sive futurum, ad alias actuales creaturas, ad nullam creaturam productam.

4) Igitur medium obiectivum *late tale* est obiective quidem cognitioni alterius inserviens, non tamen qua alterum secum trahens sed qua alteri praesuppositum, basis necessaria; in quantum nempe facultas, ut ad alterum ducatur, eget per prius ad medium ductam fuisse, quo solo ad reliquas habilitatur ducentias.

Adversarii. Huic parti obstare potest praeoccupatio quaedam de praepotentia exaggerata medii in quo universim, quae impediat satis capere medium in quo vere tale esse posse, quin tamen *omnia determinet*, respectu quorum dicatur esse medium in quo, seu *trans quod*. Hinc ipsam negabunt in universum medii in quo partitionem classesve. Nec merito tamen. *a*) Color est ratio per prius visu percipienda, ut alia (figura.....) trans illam videantur, nec omnia tamen determinans pro visu. *b*) *Sensibile* primo est intellectui attingendum, ut trans illud spiritualia percipiat, nec ea tamen determinans. Igitur medium in quo *mere capacitans* nec ad omnia determinans non gratuito fingitur.

691. — *Prob.* 2ª *pars. a*) *Rigorosum pro quibusdam. Quaedam* enim recensentur secundaria, obiective cum primario (essentia Dei) tam intrinsecus conexa, ut posita primarii cognitione ad secundarii quoque illius praecise cogni-

---

(1) Ad rem *Suarez:* « Deus... *immediate* et formaliter est quasi species intellegibilis *sui ipsius* ducens *immediate* cognitionem *sui*, creaturarum vero *tantum mediate*, quatenus *cognoscendo* perfecte id, quod est formaliter in Deo, *consequenter* cognosci potest etiam id, quod est eminenter. Atque hoc modo recte respondet essentiae divinae, quatenus una species intellegibilis est, unus actus visionis respectu sui et creaturarum, qui tamen non aeque primo terminatur ad illas, quia neque ipsa *species aeque primo*, neque eodem modo repraesentat illas » (De Deo, Libr. 2, c. 25, n. 53).

tionem determinata maneat facultas; seu actus cognitivus determinatus a primario ad terminationem in ipsum, in vi obiectiva eiusdem primarii etiam determinetur ad terminationem in secundarium, et hoc praecise prae alio secundarium. *Atqui* in hoc consistit essentiam esse medium in quo *rigorose* tale pro secundariis. *Ergo* pro quibusdam essentia Dei est medium in quo rigorosum.

Min. Ex declaratione praevia.

Mai. Ex intrinseca possibilium cum essentia Dei conexione (infra, prop. XL).

b) *Late pro aliis.* Quaedam enim secundaria α) ex *propria* natura subque actuali *liberae* creationis hypothesi intrinsecam sui ab essentia tractionem prohibent omnino; β) adhuc praeviam essentiae cognitionem exigunt tam stricte, ut sine hac nec illorum consistat cognitio. *Atqui* essentiam medium esse in quo *late* tale, nihil aliud significat. *Ergo* pro quibusdam essentia est medium late tale.

Mai. α) Omnes actuales res ex altero titulo; actus vero creaturarum *libere* futuri et futuribiles ex utroque titulo. *Mai.* β) Probatum est in parte prima.

692. — *Coroll.* 1. Ergo divina cognitio de facto ad quaedam secundaria *necessario*, ad quaedam *contingenter* terminatur, cum absolute ad alia terminari potuerit. Sed haec terminationis *contingentia* tota se ab *extrinseco* tenet, i. e. a contingentia venit libertatis sive creatae sive increatae.

Coroll. 2. Ergo divina cognitio, licet ad quaedam actualia *contingenter* terminetur qua talia, minime tamen inde augeri dicenda est per novam *novi entis* repraesentationem defectibilem; singula enim contingentia (futura, futuribilia) in signo priori *possibilia* erant; in quantum autem *talia* necessario in essentia Dei distincteque singula cognoscebantur. Unde per accessum scientiae visionis et mediae *ens novum* cognitum non accedit quod mentem augeat, sed *status* solum rei et velut *signatio* realizationis extra essentiam determinatur; atque haec connotatio respectu divinae essentiae *extrinsecus* se habet.

Coroll. 3. Ergo iam in vago difficultas, si non dissipata, imminuta certe manet ad intellegendum (infra) quomodo, non obstante cognitione omnium *in sola Dei essentia*, et quidem ut in *stricto* medio *omnium determinativo qua entium*, adhuc quaedam ut *statu actualitatis* sistentia, futura sive absoluta sive condicionata, sint dicique (cum Divo Thoma) possint cognosci *in ipsis* (contingenter), quin inde quasi cumulus *entium* a Deo cognitorum accrescat (1).

693. — *Scholion.* Tripliciter accipi potest « cognoscere rem (creaturam) in seipsa »:

1º Cognoscere rem formaliter *ut in se est*, seu secundum rationem et esse *formale creaturae;* quia res creata secundum esse suum *virtuale* et *eminentiale* non est *creatura* sed Deus seu ipsa « creatrix essentia », ideoque cognoscere creaturam secundum tale esse, non est cognoscere *creaturam*, sed *Deum;* non imitationem, sed imitabilitatem.

2º Cognoscere rem sub *propria eius specie.*

3º Sub specie sive impressa sive expressa non *sua* sibique proportionata, sed

(1) Innuit Suarez: « Scientia enim visionis supponit in Deo scientiam earumdem rerum ut *possibilium*, et ideo mirum non est quod possit easdem repraesentare (ut) *futuras sine augmento reali suo* » (De Deo, L. 3, c. 2, n. 19 initio).

sub *aliena* et improportionata, adhuc cognoscere rem directe et immediate, *quin* per aliud *prius cognitum* transire debeat.

Iam quod *sensu* 1° Deus cognoscat res omnes *in ipsis* facile conceditur contra paucos nuper confutatos (prop. XXXVII); nec aliud intendit S. Thomas dicens Deum cognoscere res *in propria illarum natura* (1). — Si a tali nunc acceptione et usu abstineamus, confusiones facilius vitabimus. Deum 2° *modo* cognoscere alia a se in seipsis manifesto falsum est (prop. XXXVIII), nec ab ullo intentum. Utrum necne Deus *modo* 3° cognoscat res in seipsis erat punctum praesentis controversiae (inter Molinistas); adhaesimus parti neganti. Vel etiam sic: *Affirmare* phrasim 1° sensu est dicere: Deum alia a se proprie et distincte in specie et individuo cognoscere (prop. XXXVII). *Negare* phrasim in 2° sensu est dicere: in Deo *unica* datur species seu unum, *quo* subiectivum (prop. XXXVIII, p. 1ª); seu: nulla a Deo et in Deo accipitur scientia a creaturis *producta*. Indubium. At hoc sensu locutio propria haec esset: Deus alia a se seu creaturas cognoscit *ex* se, *per* se; minus proprie « *in* se », *in* seipso; quia « *in* » conotat medium obiectivum (2). — Negare phrasim tertio sensu, est dicere: Deus per unicam speciem (respectu essentiae propriam, respectu aliorum aequivocam) directe et primo *se solum*, reliqua (formaliter talia) nonnisi indirecte et secundo cognoscit, quasi *trans* essentiam obiective.

Observa. 1° Per haec: α) non dicitur cognitionem essentiae *determinare* reliquas cognitiones, sed eas *anteire;* β) Nec negatur veritatem *iisdem* inesse secundariis, immo ratione *huius* veritatis attingi poterunt; negatur hoc solum: secundaria directe a Deo attingi posse. Hinc 2° Recentes non pauci, quoties aiunt: Deus cognoscit alia (v. g. futuribilia) *in* seipsis, i. e. *in* propria cuiusque *veritate*, in quantum ratione veritatis cuique propriae, suam Deus cognitionem terminat ad illud aut similiter; hi inquam, phrasim sub nova potius usurpant directione, ad logicum attendentes *determinativum* terminationis ad hoc futuribile. Est novus sensus quasi *quartus;* nec resolvit tamen utrum *directe* an solum *indirecte* et « *trans* » terminatio ad illud (v. g. futuribile) habeatur; pro utraque enim terminatione veritas cuique (futuribili) propria exigi potest ab unoquoque determinata *logiceque* terminationem Dei determinans. Seu: licet quis dicat nonnisi *indirecte* (trans essentiam cognitam) illud cognosci, atque hoc sensu in essentia divina, non ideo negat illud cognosci *ob, propter*, veritatem *futuribilis in se*, per prius constitutam (Cfr. prop. XLVI), et hoc sensu *in ipsa* futuribilis *veritate*.

694. — *Obi. I.* Cognoscens rem in alio *ut in medio obiectivo*, rem non cognoscit *immediate*. Atqui Deus res omnes immediate cognoscit. Ergo eas in seipso non cognoscit, ut in *medio obiectivo*.

R. D. M. Cognoscens ut in medio *ex quo*, *C.* Ut in medio, *in quo*, *Sd.* Non cognoscit rem *aeque directe* et proxime ac aliud, in quo cognoscit rem, *C.* Non cognoscit rem eodem actu, *N. M.* — *Ctr. m.* Subiective, seu per *unicum actum* omnes, *C.* Etiam obiective seu aeque *directe* et proxime omnes, *N. m.* — *N. c.* Explicatio in statu quaestionis.

Inst. Sic non vitatur *prioritas* cognitionis essentiae respectu cognitionis aliorum. Atqui aliunde divinus intellectus omnia simul attingere debet. Ergo nihil in *alio* cognoscit.

R. D. M. Non vitatur prioritas *a quo*, *C. In quo*, *N. M.* — *Ctr. m.* i. e. sine prioritate *in quo*, *C.* Sine prioritate *a quo*, *N. m.* — *N. c.*

---

(1) *a*) « Deus non solum cognoscit res esse in se ipso; sed per id, quod in se ipso continet res cognoscit eas *in propria natura* » (1 p., q. 14, a. 6, ad 1).

b) « Licet creaturae ab aeterno non fuerint nisi in Deo, tamen... ab aeterno Deus cognovit *res in propriis naturis;* et eadem ratione amavit. Sicut et nos per similitudines rerum, quae in nobis sunt, cognoscimus *res in seipsis* exsistentes » (1 p., q. 20, a. 2, 2).

c) « Dicendum, quod Deus cognoscit res *in propria natura*, si ista determinatio refertur ad cognitionem ex parte *cogniti;* si autem loquamur de cognitione *cognoscentis*, sic cognoscit res in idea, id est *per ideam* quae est similitudo omnium quae sunt in re » (De Verit., q. 2, a. 4, ad 6).

Hoc eodem sensu passim ait Suarez Deum alia in seipsis videre (Cfr. Disp. Met. 30, s. 15, nn. 23, 24, 25). Similiter *Ruiz* explicans phraseos sic sumptae veritatem.

(2) Cfr. Suarez, Disp. Met., 30, s. 15, n. 25.

Explico. Scotus in his finxit prioritatem *in quo;* i. e. Deus attingit quidem (ait) se et alia per unum actum, in quo tamen actu *duo* exstant *momenta;* in primo attingit se, in secundo creaturas. Sed id nec necessarium nec possibile. Momentum est *unicum*, in quo simul utrumque attingit, at creaturam dependenter *a Deo*, ut Deus perceptus sit ratio perceptionis aliorum. Sic est prioritas naturae in perceptione Dei respectu aliorum; unde prioritas *a quo.*

695. — *Obi. II.* Deus, qua cognoscens res in *seipso*, cognoscit eas quoad illarum esse *virtuale* seu eminentiale, non quoad *formale.* Atqui cognoscit illas etiam *formaliter* ut in se constituuntur. Ergo eas non *in seipso* solum, sed et in *seipsis* cognoscit.

R. 1° Si phrases ita sumantur, *C.* totum. — Sed tunc non cognoscit *res bis*, sed *semel;* prior enim cognitio non est *rerum*, sed *essentiae* relative spectatae. — Objectio sistit in ambiguo « cognoscere rem in seipsa » tres sensus habente; in uno ex his cognoscit res *in ipsis*, i. e. in propriis et formalibus illarum naturis (Cfr. *Schol.*) (1).

R. 2° *N. M.* Nam cognoscere esse *virtuale* et *eminentiale* non est cognoscere possibilia, sed *essentiam Dei ;* hinc quoad tale esse non cognoscuntur *in alio*, quia sunt ipsa « creatrix essentia ». Possibilia formalia utique in alio, in essentia, cognoscuntur, a qua realiter distinguuntur.

Videlicet: *a*) possibilia quoad *virtuale* sui et *eminentiale* esse pertinent ad objectum *primarium*, sunt enim Deus; igitur ea qua talia *in alio* cognosci pugnat. *b*) Possibilia quoad formale ipsorum esse (possibilia formalia) pertinent ad objectum *secundarium*, sunt enim *creaturae* (potentiae obiectivae); igitur solum prout talia *in alio* cognosci poterunt, in essentia videri. Quaestio autem de *formalibus* est possibilibus.

696. — *Obi. III* (Inst.). Atqui tunc Deus creaturas *perfecte* non cognosceret. — Nam divina essentia ab essentia creaturae aeque infinite distat ac essentia creaturae a divina. Atqui per essentiam creaturae essentia divina perfecte cognosci nequit. Ergo nec per divinam creata.

R. N. m. s. — Ad prob. *D. M.* Distant mutuo infinite quoad *conexionem*, i. e. sunt mutuo infinite inconexae, *N.* Entitative, *Sd.* Ut actus perfectus ab imperfecto, *C.* Ut duo actus aeque perfecti et imparticipati, *N. M.* — *Ctr. m.* Ideo praecise quia a divina essentia infinite distat, *N.* Ideo quia ab eadem distat ut actus imperfectus a perfecto, *C. m.* — *N. c.*

Explico. 1° Essentia Dei et creaturae sunt actus non disparati, sed *conexi;* unde prima intellectum ad secundam ducit, sicut et 2ª ad 1ªm utcumque. 2° Quod divina essentia creatam non utcumque sed *perfecte* etiam manifestare queat, nec vicissim tamen, pendet non ex hoc praecise, quod creatura a Deo infinite distet (sicut et Deus a creatura), sed ex hoc, quod in mutua hac infinita distantia, creatura extremum est infimum, imperfectum, umbra Dei; Deus autem extremum *supremum*, perfectissimum, causa. Age vero perfectum cognitum suos perfecte manifestat effectus, cum tamen aequivocus effectus causam sic manifestare impotens sit. 3° Idem de *speciebus* valet: maior vel minor cognitionis perfectio non ex maiori praecise pendet vel minori speciei *entitativo* ad cognitum accessu; immo per speciem *entitative* dissitam obiectum cognosci perfecte poterit; v. g. corpus per *spiritualem*

---

(1) Dubitare sane licet an plus quam hoc sibi voluerint aut saltem ostendant auctores aliqui etiam ex gravioribus, v. g. Toledo, dum tenent quasi *bis* a Deo talia cognosci. *Primam* conclusionem « videt cuncta in essentia » putat esse *de fide*, oppositam dici ab Augustino sacrilegam. « Ratio est, quia cum omnium sit *causa* per intellectum, necessario in ipso *omnia expressa* sunt ». — Iam expressa, i. e. picta *formaliter* repugnat esse, sed *virtualiter* et eminenter solum prout omnia sunt *creatrix* essentia. Igitur ambigua ratio adhibetur, si de *formalibus* creaturis loqui velit, et quod Deus has *ut tales* in seipso cognoscat. *Secundam* conclusionem « Deus videt cuncta in seipsis » probat 1° sic: « Voluntas Dei fertur in res *ut in se sunt.* Ergo intellectus etiam ». Ut patet, probatur solum quod Deus cognoscat res omnes distincte singulas ut in se formaliter constituuntur. — Igitur: *a*) saltem non satis clare apparet *res ipsas* alias a Deo, formaliter tales, a Deo *bis* cognosci; *b*) ceterum utique intra quaestionem nostram enuntiat Deum per speciem, qua se videt, videre « cuncta *immediate* obiective in seipsis, antequam sint » (Toledo, *l. c.*).

eiusdem speciem perfectius cognoscitur quam per *sensibilem*, licet haec entitative minus quam illa a corpore distet. 4º Unde Aquinatis est idea: cognitionem rei finitae eo esse perfectiorem, quo perfectio speciei *plus excedit* perfectionem rei, cuius est similitudo; ideoque medium cognito proportionari debere proportione *aequalitatis entitativae* falsum est (Cfr. De Verit., 2, 3, 4).

697. — *Obi. IV.* Cognitio propria rei determinatae per *propriam* habetur eiusdem rationem, non per aliquam *communem*. Atqui essentia Dei non est ratio propria, sed *communis* reliquorum. Unum enim esse nequit *propria* multorum diversorum ratio. Ergo Deus in seipso alia cognoscere proprie nequit.

R. 1º Conclusio esse debuit: ergo Deus per speciem suae essentiae alia distincte cognoscere nequit. Hinc potius impetitur alia solutio superius data (prop. XXXVII). Sed *R.* 2º *D. M.* Solum per propriam rei speciem, *N.* Per aliquid capax ducendi intellectum ad propriam rei rationem, *C. M.* — *Ctr. m....* est tamen eminens et adaequata, *C.* Non est propria nec pro officiis intentionalibus aequivalens propriae, *N. m.* — *Rat. par. D.* Unum esse nequit formalis ratio *constitutiva* plurium diversorum, *C.* Unum ducere nequit ad formales rationes diversorum, *Sd.* Si sit imperfectum nec adaequata diversorum causa, *C.* Secus, *N. rat.* — *N. c.*

Explico. Aureolus censuit nisi per propriam cuiusque speciem res cognosci non posse; quia autem hae species a Deo absunt, res, ut in ipsis sunt, a Deo non cognosci. Sed haec non bene de specie Dei; immo vel nostrae *corporum* species, licet accidentia sint *spiritualia* ideoque a corporibus *entitative* dissita, adhuc inserviunt ut per ipsas corpora ut sunt proprie cognoscamus. Quod si *repraesentative* maior aliqua appareat hic proportio, adhuc merae *conducentiae* est ad corpus; entitative enim *imago* manet semper *accidens spirituale*. Igitur vel species in se ac in sua sublimitate a creatura distans, poterit *ducentiam* ad creaturam habere; praesertim cum *ratio* creaturae in Deo *proprie* contineatur, in quantum Deus vere proprieque *causa* creaturae est; de specie eminenti, quod et ipsa contineat species creaturarum, improprie solum dicitur. Ceterum nec in entitate Dei *esse formale* creaturae, nec in *specie* Dei pictura creaturam *formaliter* delineans, adesse potest, ut saepius notavimus.

698. — *Obi. V.* Una res non videtur in alia nisi secundum esse, quod habet in alia. Atqui creaturae habent in Deo esse eminentiale, non *formale*. Ergo in seipso Deus distincte et formaliter creaturas novisse nequit.

R. D. M. Directe et motive, *C.* Indirecte et terminative, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Directe et motive, primario nempe, *C.* Ne indirecte quidem et secundario, *N. c.*

Explico. Cognitione primaria certe Deus ea solum, quae sibi actu formaliterque adsunt, novisse dicendus est: esse suum totum absolute et relative, i. e. esse suum cum *imitabilitatibus*, quae sunt esse creaturae *virtuale* et *eminens*. Inde sed cognitione *secundaria* (velut consequenti) cognoscit *formales* creaturas ut *terminos* imitabilitatum. Haec est positio nostra, cuius ratio: quia Deus *perfecte* seipsum cognoscit. *A simili: a*) Qui essentiam passeris individui perfecte penetraret, in ea: primo directeque omnia perciperet, quae actu formaliter in ea reperiuntur, virtutes scilicet canoras, esse *virtuale* cantuum a, b, c,...; indirecte autem alia quoque, formaliter ibi non contenta, v. g. singulos cantus *formales*, *terminos* (imitationes) imitabilitatum primario cognitarum. *b*) Fingatur collectio sortium seipsam active movens. Potens mathematicus singulas poterit distincte percipere combinationes, quarum collectio capax est; quae tamen combinationes non formaliter, sed virtualiter solum in collectione adsunt. *c*) In statua, quin ulla insit persona viva, vivam tamen indirecte novimus personam, etc.

699. — *Obi. VI.* Deo *infinite* intellectuali aliquid ad rationem intellegendi pertinens deesse nequit. Atqui intellegere creaturas per proprias ipsarum species est una ratio intellegendi. Ergo Deus singulas sic intellegit.

R. D. M. Ex parte *obiecti* intellegibilis, ita nempe ut nihil ab ipso non intellegatur, *Tr.* Ex parte *cognitionis*, ita nempe ut modo cognoscendi Deus nullo non

utatur, *Sd.* Si imperfectionem non involvat, *C.* Si involvat, *N. M.* — *Ctr. m...* quae in Deo imperfectionem argueret, *C.* quae nullam argueret, *N. m.* — *N. c.* — Imperfectio in eo consisteret, quod Deus *plures* species atque hinc compositionem haberet, resque creatae divinum *specificarent* intellectum. — *NB.* Potius aliter obicies, in quantum cognitionem sub unica specie sive ad Deum sive ad alia *directe* terminare perfectio est, utrumque vitans scopulum. Tunc ex impossibilitate respondeo ac incommodis, probatione theseos nuper allatis.

700. — *Obi. VII.* Qui res *in seipso* cognoscit, eas modo cognoscet vel *superiori* vel *inferiori*, prout aut superior sit aut inferior rebus. Atqui Deus superior est creaturis. Ergo eas in seipso cognoscens, elevatas cognoscet, aliter ac in se sunt, falsificatas.

R. D. M. Superioritate et inferioritate se tenente *ex parte cognoscentis* et quasi subiectiva, *C.* Ex parte *cogniti* et obiectiva, ita ut cognitio terminetur ad aliquid superius aut inferius re cognoscenda, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Si eas quasi aequalis cum cognoscente perfectionis cognosceret, *C.* Si in propria quamque relinquit natura, *N. c.* — Singula in Psychologia de nostra intellectione declarantur.

701. — *Obi. VIII.* Liquet Deum saltem possibilia etiam in seipsis videre. Caput enim difficultatis in modo reponeretur seu ordine i. e. in *immediatione* cognitionis eiusque ab alio prius cognito independentia. Atqui id non urget; seu: atqui Deus potest ea in ipsis *directe* percipere. Nam perfecte (comprehensive) omnia cognoscit, absolute et relative, scilicet: sive iuxta notas cuiusque *constitutivas*, sive iuxta *conexiones* relationesque dependentiae ab essentia, continentiae in essentia. Ergo Deus etiam in seipsis ea cognoscit.

R. N. assertum. Ad prob. *C. M.* — *N. m.* — *Prob. Dist.* sed simul *ordinate*, *C. Inordinate*, *N.* Igitur immediate non potest. 1° Lex psychologica prohibet; aliquis intellectus ad hoc non est capacitatus. Quaestio et difficultas non est de *perfectione*, sed de *possibilitate;* haec debuisset probari. 2° Si supponatur Deum iam seipsum cognovisse, solumque sub hac dicatur hypothesi Deum per posterius et quasi separatim sed ex merito et *in vi veritatis* cuique possibili propriae (hoc sensu directe et immediate) possibilia attingere, ideoque in seipsis; *R. a*) *Mutatur* status quaestionis; et etiam sic admitti nequit. *b*) Cum enim dependenter a divina essentia meritoque ipsius fuerint prius cognita quoad formale cuiusque esse, hinc et quoad veritatem cuique propriam (sed participatam), *nova* illa eorumdem cognitio ex merito proprio deinde habita redundaret, etsi aliunde possibilis concederetur. *c*) Id non esset cognoscere possibilia in seipsis (sensu rigoroso), quia tandem non cognoscerentur *per prius* ad essentiam aut *ex aequo* cum illa, sed per *posterius* et dependenter.

702. — *Obi. IX* (Inst.). Si per impossibile possibilia cum divina essentia non conecterentur, adhuc distincte perfecteque a Deo cognoscerentur. Atqui hoc est cognoscere immediate in seipsis, i. e. ex proprio merito seu propter propriam cuiusque veritatem. Ergo potest in seipsis ea cognoscere.

R. 1° *Tr. M.* — *N. m.* Etiam tunc per prius seipsum cognoscere deberet, cum species essentiae intellectum ad alia capacitare nequeat, quin essentia cognita fuerit; proin etiam tunc possibilia non immediate perciperentur. Propria autem cuiusque veritas in his non influit (Cfr. *Obi. VIII*).

R. 2° *N. M.* Tunc enim careret medio etiam *subiectivo*, i. e. specie determinante cognitionem *possibilium;* et veritas propria cuius possibilis (etiam concessa) maneret Deo *inaccessibilis*.

Inst. Sed per speciem suae essentiae redditur infinite cognoscitivus *cuiusvis* cognoscibilis. — Ergo dicta veritas esset accessibilis.

R. D. Ant. Praecise quia essentia est *fons* et *causa* omnium, possibilium, etc. proin in hypothesi quod possibilia *cum ea conectantur*, *C.* In hypothesi contraria, *Sd.* Adhuc esset infinite cognoscitivus velut *intensive*, quatenus seipsum *infinitum* infinite cognosceret, *C.* Etiam *extensive*, quatenus cognoscibile quodvis cognosceret, *N. Ant.* Nemo enim dat quod non habet; essentia autem in casu nullo modo haberet

alia a se, proin nec *determinaret* ad eorum cognitionem. — Aliunde ipsae possibilium veritates non permitterentur determinare divinum intellectum, proin inaccessibiles manerent. — *N. c.* (1).

CAPUT VIII.

De cognitione possibilium et futurorum.

703. — *Rerum consecutio.* Deus cognoscit se et alia a se; ex utrisque adaequatum sui intellectus obiectum conflatur, ex primario et secundario (cap. VII). Quomodo Deo ac ubinam utrumque innotesceret obiectum vidimus. Ad secundarium omnia, solo Deo excepto, pertinebant; atque ea non immerito possibilia nominari poterunt, cum etiam actu exsistentia et futura, in aliquo eorum stadio, ad mera pertinerent possibilia; unde si in eo iam signo singula divinae menti adstabant, tunc: *a*) Alia a Deo ad possibilia reduces, hinc obiectum secundarium ad possibilia totum. *b*) Deus *possibilia* cognoscens, alia a se iam cognovisse *omnia* dici poterit; si enim in *uno* rem novit stadio, *simpliciter* rem novisse verum erit. Sub hac igitur consideratione quaestio de cognitione *aliorum* per solam absolveretur *possibilium* cognitionem.

Verum ex alia parte quod res cognoscat Deus non utcumque aut in aliquo solum quasi praeliminari earumdem stadio, sed etiam plures in stadio actuationis terminalis, ut actu exsistentes, ut certo libere futuras, futuribiles, et quidem quod qua tales ab aeterno videat, infallibiliter videat, omnium animis insitum est. Ex his autem praecise *visionis* stadiis novae nascuntur variique ordinis difficultates.

Hinc alia a Deo dividere tenemur in 1) *pure possibilia;* 2) *exsistentia:* praesentia, praeterita, futura; 3) speciatim *futura libera* ex parte creaturae; 4) speciatim *futuribilia libera.* Cum autem singulis peculiares insint difficultates, separatim iam tractantur; tria priora capite VIII; futuribilia capite IX.

---

(1) Hinc iudica declarationem ab *Urráburu* iniunctam thesi « Possibilia Deus etiam in seipsis immediate cognoscere videtur »: « Etiamsi per impossibile (possibilia) *non conecterentur* cum divina essentia, nihilominus divina mente non minus distincte ac perfecte repraesentarentur » (Vol. 8, n. 55, p. 167).

R. 1° Agitur de modo, quo Deus de facto *cognoscit* possibilia, non de modo aut modis, quibus *cognosceret* in hypothesibus absurdis. *R.* 2° Per dictam sensus expositionem nostra proprie thesis non tangitur; alio potius res ducitur. Videlicet, supponit *unicam* rationem, cur iuxta alios *immediate* cognosci nequeant, nexum esse essentialem horum cum essentia Dei; at exstat alia magis ad rem ratio atque generalior, i. e. secundarium obiectum non cognito *per prius* primario, nullatenus posse a facultate pertingi, sive interea primarium cum secundario essentialiter conectatur, sive secus; satis enim est ut cognitio primarii sit *condicio sine qua non.* Unde *R.* 3° Et in illa hypothesi Deus possibilia cognosceret *primo et directe* quin *prius se* cognosceret, *N.;* et de hoc erat nostra quaestio. — Cognosceret indirecte et secundo, *Transmitto.* Apparent igitur in his duae quaestiones. 4° Dixi « transmitto »; nam quod etiam indirecte et secundo Deus cognosceret tunc talia possibilia, ostendi deberet; nuper ostendimus contrarium (n. **702**).

Clarus enim auctor supponit possibilia tunc donari *veritate;* sed hoc impossibile est; quia veritas illa esse deberet *participata*, quia *creaturae.* Atqui a Deo non participarunt, cum veritas sequatur entitatem; proin si haec non, nec illa fuerat a Deo participata. Ergo saltem pro *hoc* Deo nulla donarentur veritate; pro hoc igitur Deo essent *incognoscibilia.*

Denique, etsi quaestionem non de auctoritatibus sed de re faciamus, idipsum iam Suarez notaverat: « Etiamsi daremus nunc Deum cognoscere omnia *per* essentiam suam *immediate* tamquam per *speciem* intellegibilem eminentem, etiam hic modus sciendi omnia tunc esset impossibilis Deo (i. e. in hypothesi *non* omnipotentiae). Nam ratio omnipotentiae saltem radicalis et essentialis... supponitur ad *omnem* scientiam creaturarum, vel ut medium *cognitum*, sicut *nos volumus* (opinamur), vel ut possit esse *species* intellegibilis (apta) *ad cognoscendum* omnia » (De Deo, L. 3, c. 2, n. 11. — De cognitione possibilium).

Articulus I.

DE CONEXIONE AC COGNITIONE POSSIBILIUM

Propositio XL. Deus, cuius essentia intrinsece cum possibilibus conectitur, singula distincte cognoscit in eadem sua essentia.

704. — *Praenotanda. Notiones.* Cognitio, quam Deus habet de *possibilibus*, appellatur scientia *simplicis intellegentiae* seu *simplicis notitiae.*

Possibile est aptum esse. *Impossibile* est ineptum esse. *Praecisive* possibile est aptum esse sive de facto exsistat sive non; *pure* possibile quod esse potest sed non est nec unquam erit; *mere* possibile dici solet quod non est nunc, sed aliquando forsan erit.

Possibilitas est aptitudo seu capacitas alicuius essentiae ad realiter exsistendum seu ut in ordine rerum dari possit. — *Impossibilitas* est incapacitas essentiae ut exsistat. — *Possibilitas* duplex est: *intrinseca* et *extrinseca.*

Intrinseca est mera non repugnantia essentiae in suis notis et ex parte essentiae ad exsistendum.

Extrinseca est capacitas essentiae ad exsistendum ex parte virtutis productivae, seu eo quod detur virtus sufficiens ad dandum esse illi essentiae.

Ex utraque constituitur *adaequata* alicuius *possibilitas.* Exstante prima, etsi altera *deesse* supponatur, aliquid est *absolute* possibile, licet non adaequate; secunda sine prima dari non potest; unde et non data intrinseca, extrinsecam dari supponere non licet. Igitur *possibile intrinsece* est aptum esse quantum in se est seu ex parte sui; seu cuius notae pugnam cum exsistentia non dicunt.

Possibile etiam *extrinsece* est aptum esse ex parte quoque *virtutis* productivae, seu ad quod producendum *adest* virtus sufficiens. Unde et *adaequate possibile* illud dicitur, quod sive ex parte *sui* sive ex parte *virtutis* productivae in esse venire potest.

705. — *St. q.* et *Advers.* Nunc in essentiis *intrinseca* solum consideratur possibilitas; seu de *intrinsece possibilibus* agitur; e quibus adhuc *pure possibilia* tantum assumuntur; si autem et aliquando exsistentia, solum prout in signo *priori mere possibilia* erant. Videlicet in hoc possibilitatis *signo* omnia omnino, solo excepto Deo, collocari queunt; in quantum vel in hypothesi (falsa) necessariae aeternaeque creationis, quae ab aeterno essent actuata, in *signo* tamen priori ad creationem mere possibilia fuissent.

706. — *Pars* 1ª. *Declaratur.* Intrinsecam enuntiat absoluteque necessariam divinae essentiae cum possibilibus conexionem et cum *his* praecise possibilibus, quae *nunc* possibilia sunt; tenet igitur Deum in sua essentia rationem esse, quae horum possibilitatem, aliorum impossibilitatem essentialiter determinet tam fixe, ut cum his non solum *nunc* conectatur, sed eodem *semper* modo conexus permansurus sit sine ullo possibili vel minimae variationis eventu; unde et ita ut verificari nunquam possit: animal rationale, *antea* possibile, *nunc* impossibile est, cumque eo nunc ut cum impossibili nectitur Deus.

Videlicet: cum unum *conecti* cum alio significet unum sine alio *exsistere*

non posse, metaphysice autem conecti metaphysicam dicat pugnantiam in eo quod unum detur non dato altero, sequitur in nostra doctrina quod si ea, quae nunc possibilia sunt, deinde impossibilia redderentur, Deus iam non exsisteret, quia *mutatus* esset; essentia enim, quae essentialiter cum *talibus* uniebatur *possibilibus*, eadem esse desinat necesse est quo momento cum iisdem non uniri supponatur, sed aut cum aliis, aut cum iisdem iam *impossibilibus* in vi rursum essentiae.

Atque ea, quae velut dogmatice, gratis sine certamine circa fecunditatem essentiae (ut fontis rerum ac radicis sive actualium sive possibilium) per totam accipere consueveramus philosophiam, nunc magis iam critice contra plures Scotistas tractantur, necnon contra Vazquez et alios, pro quibus Deus in praedicta hypothesi esse Deus atque idem Deus non desineret, propterea quod cum *talibus* praecise possibilibus nunquam *metaphysice* fuerat conexus.

707. — *Eorum mens expenditur integra.* Deus ex suis intrinsecis 1) *non infert* (quasi « non pronuntiat metaphysica certitudine et necessitate ») possibilitatem creaturarum; hinc eae, quae nunc possibiles sunt, tales non sunt *in vi essentiae* Dei nec proin absolute immutabiliter; 2) *nec earumdem excludit impossibilitatem* (i. e. *ex se* non dicit: creaturae nunc possibiles, cras non erunt impossibiles); sed 3) *ex se indifferens* est ad eventum, in quo creaturae nunc possibiles, deinde fiant impossibiles, ac vicissim; ex se dicit solum virtutem producendi *quidquid non pugnet;* sed quod deinde hoc prae illo possibile sit, pugnans sit, id inquam nec infert, nec impedit. — In qua sane theoria admitti debebit possibilitatem quorumdam, impossibilitatem aliorum vel eorumdem temporibus diversis, *alibi* quam in Deo determinari; neutrum ab essentia Dei eiusve omnipotentia, sed utrumque ab *extrinseco* venire. Vel etiam sic: linea illa *separativa*, quasdam permittens res omnipotentiae (possibiles), quasdam pro nunc interdicens (impossibiles), non scribitur ab omnipotentia ipsa aut ab essentia, sed ab *extrinseco* impedimento vel non impedimento. Id sibi vult essentiam vel omnipotentiam cum neutra *metaphysice* conecti, sed absolute et quantum in eis est, quaecumque nunc impossibilia sunt, aliquando possibilia esse posse, tunc videlicet cum impedimentum (impossibilitas) tollatur.

Observa. Quaestio *a*) praesens « de conexione *Dei cum* possibilibus » accedit ad aliam *b*) « de conexione *possibilium cum* Deo » (in Met. Gen. contra Storchenau etc.). Adversarii negant *a*), non *b*) saltem clare (1). Nos autem, licet utramque ponamus *conexionem*, utriusque tamen non acceptamus *aequalitatem*, cum prior *sine dependentia* sit, altera autem cum dependentia; unde « conecti » et « dependere » non idem sunt; scilicet: et possibilia cum Deo et Deus cum possibilibus conectitur quidem; sed *possibilia fundantur* in Deo ideoque a Deo *pendent;* Deus autem in possibilibus *non fundatur*, hinc neque ab his *pendet.*

708. — *Prob.* 1ª *pars.* 1. Essentia Dei cum possibilibus intrinsece dicenda est conecti, si ipsa *absolute determinet* ea, quae possibilia sunt, possibilia esse, reliqua autem impossibilia. *Atqui* ita est. *Ergo.*

Mai. ex statu q.

Minor. Essentia Dei ab intrinseco sui (e semetipsa) infinite fecunda est

(1) Insinuat *Losada:* « Ideoque possibilitas creaturarum conectitur cum Omnipotentia, ut fatentur passim adversarii » (Phys. Tr. 2, disp. 7, c. 1, n. 17). Nempe: si impossibilia redderentur ab extrinseco possibilia, haec quoque dicent in Deo fundari, cum Deo conecti. Igitur Deus (omnipotentia) se habet ad omnia, omnia fundans (sive possibilia sive impossibilia), ideoque non *praecise cum possibilibus* nectitur, quia nec *absolute determinat* ea sola esse possibilia.

ac imitabilis, atque hanc imitabilitatem exsecutioni mandare nonnisi per formalium potest actuationem possibilium (per positivas nempe imitationes). *Ergo* essentialiter et quasi pro se ea petit possibilia, quae ipsam imitari queant, simulque excludit impossibilia, velut ea separans, quae ipsam imitari non possunt (1).

Ad ant. Omnium enim causa est ac exemplar (ex quinque viis), i. e. perfectionum (imitationum) positivarum. Atqui impossibilia *nihil* sunt; *nihil* autem, cum perfectio non sit, imitabilitatem exsequi non potest. Ergo per *sola possibilia* imitabilitas exsecutioni mandatur.

De *omnipotentia* idem sic ostenditur: Omnipotentia consectarium dicitur (est) imitabilis essentiae ideo quia, illa non exsistente, ipsa essentiae imitabilitas *frustranea* iaceret, a nullo in actum reducenda. *Atqui terminus* huius in actum reductionis (per operationem Omnipotentiae) positivus necessario est, impossibilia autem negatio sunt. Ergo vel ipsa Omnipotentia conectitur intrinsece *a*) cum possibilibus, absolute ea dicens; *b*) cum impossibilibus, absolute ea respuens.

709. — *Prob.* 2. Dicta conexio ideo amoveretur, quia imperfectionem Deo afferret. Atqui nullam affert. Ergo ponenda.

Mai. Alia ratio v. g. *necessitas* essentiae pro aequalitate (indifferentia) respectu possibilium et impossibilium, soluta est in 1ª prob.

Min. Afferret, si aut *egentiam* diceret extrinseci pro Deo complendo, aut Deum *ordinaret* ad aliud velut ex primaria naturae intentione; Deus sane tunc *ab alio dependeret.* Atqui neutrum; quia *a*) Deus plene in se constitutus sibique sufficiens nulla eget re; sese aliis dans *aliorum* dicit indigentiam; *b*) Deus, finis omnium, sibimet ordinatur et reliqua *ad se* nec ipse cuiuspiam subicitur voluntati. Ergo controversa conexio nullam Deo imperfectionem infert.

710. — *Coroll.* 1. Ergo possibilia, ideo possibilia, quia divinam imitari perfectionem capacia; impossibilia e contra; cum autem Deus essentialiter idem semper sit, possibilia et impossibilia perpetuo manebunt talia, hypotheses vero contrariae falsae.

711. — *Coroll.* 2. Ergo licet omne, quod ab alio dependet, vel ad aliud primario ordinatur, cum eo conectatur, sed non omne, quod cum alio conectitur, ab eo dependet, ad ipsumve primario ordinatur.

712. — *Pars* 2ª. *Declaratur.* Deus, suam videns essentiam cum possibilibus conexam, formalia quoque possibilia distincte videre tenetur iuxta cuiusque esse; quod quidem esse nec Deus *est*, nec in Deo (formaliter) *continetur* (aut in essentia aut in omnipotentia), sed in Deo *fundatur*, cumque Deo per veram ab eo dependentiam conectitur. Hinc quaestio accipitur solum de esse *formali* possibilium; esse enim eorum *virtuale*, *exemplare*, cum Deus ipse sit, nec fundari, nec cum Deo conecti, nec obiectum *secundarium* constituere potest. Iam

713. — *Probatur* 2ª *pars.* Deus seipsum perfecte videns, suam videt essentiam cum singulis conexam possibilibus seu per haec possibilia imitabilem (ex 1ª parte). *Atqui* tunc *terminos* ipsos (possibilia) nequit non distincte percipere, in virtute quidem *determinativa* cognitionis essentiae, trans essentiam

---

(1) Cfr. *Ugarte*, S. I., « Apuntes de Metafísica », lecc. 35, p. 410; Bilbao 1898.

cognitam. Ergo Deus *in sua essentia* distincte percipit singula formalia possibilia.

Min. Sine eo enim quod *termini* imitabilitatum distincte percipiantur, imitabilitates ipsae (ut primarium obiectum) distincte videri non potuerunt.

714. — *Coroll.* 1. Ergo etiam in omnipotentia Deus singula videt distincte possibilia (ex paritate rationis, ut in 1ª parte).

715. — *Coroll.* 2. Ergo possibiles quidditates in individuo determinatae eadem gaudent *absoluta* necessitate, qua Deus; unde possibilium quoque scientia (simplicis intellegentiae) *absolute* necessaria est nec ab ulla pendens hypothesi (electione) ex parte aut Dei, aut creaturae; tota enim quanta extensivo-intensive ab ipsamet *determinatur essentia* pure qua tali (i. e. ante omne decretum). Cum aliunde sciamus res actuales per prius fuisse possibiles, sequitur res omnes videri a Deo (sub signo *possibilitatis*) in pura divina essentia tamquam in medio *determinante*. De exsistentibus autem qua talibus... absurde id diceretur, ut patet.

716. — *Obi.* (in 1am p.) *I.* Conexio Dei cum possibilibus secum fert Deum sine possibilibus exsistere non posse. Atqui hoc idem est ac Deum possibilibus *egere* ab ipsisque *pendere;* quod dici nequit. Ergo talis conexio non datur.

R. D. M. Deum sine physica possibilium actuatione exsistere non posse, *N.* Sine iis qua talibus, *Sd.* ut intrinsecis complementis, aut ut causa, *N.* Ut terminis *extrinsecis* a se illatis ac connotatis, quibus perfectionem ipse det, quin aliquid ex iisdem accipiat, *C. M.* — *Ctr. m.* Si possibilia Deo perfectionem darent, *C.* Secus, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Non est idem *a*) unum conecti cum alio, i. e. « unum sine alio exsistere non posse », et *b*) « unum *dependere* proprie ab alio », « egere alio »; hoc postremum dicit conexionem *ut cum causa* vel complemento intrinsecus perfectivo; possibilia autem *formalia* Deum perficere nequeunt; cum enim creaturae sint, Deo extrinsecus cadunt (1).

Nec licet *instare:* tunc etiam cum rebus *actualibus* Deus intrinsece necteretur. Non potest; talis enim nexus Deum ad creationem necessitaret; sicut autem *libera* creatio perfectio est, creatio *necessaria* est imperfectio (Cfr. de vol. Dei).

717. — *Obi. II.* Si ea, quae nunc impossibilia sunt, redderentur possibilia, a Deo produci possent. Ergo Deus cum possibilibus metaphysice non conectitur.

R. 1º Hypothesis est absurda; ex falso sequitur *quodlibet.*

R. 2º *N. Ant.* — Deus *mutatus* fuisset, quod pugnat.

718. — *Obi. III.* Ex thesi ideo aliquid impossibile est, quia Deus illud *producere nequit.* Atqui iuxta S. Thomam et Augustinum convenientius dicitur « quod ea *non possunt* fieri, quam quod Deus *non possit* facere ». Ergo.

R. D. M. Ultimo et in toto rigore ita est, applicatum praesertim *essentiae, C.* Oportet id simpliciter dicere, *Sd.* in disputando de his philosophice, *C.* Alias cum phrasis facile sumetur in sensu falso, *N. M.* — *Ctr. m.* In rigore *verius, N.* Convenientius ad falsos vitandos sensus, *C. m.* — *N. c.*

Explico. Cum de aliquo dicimus « non potest id facere » subaudimus agi de re *positiva factibili,* ideoque sonat *deficientiam* virtutis activae; v. g. caecus non potest videre, homo non potest producere plantam.

Igitur ne quid similis *deficientiae* Deo per phrasim tribuere videamur, ideo « convenientius dicitur... ». In rigore tamen *verum* dixissemus, seu *causalis* illa obicientis in fundo et quasi a priori *vera est.*

---

(1) Aliqui (minus recte) omnem conexionem « dependentiam » appellant, explicando deinde sensum; sed Personae Trinitatis vere conectuntur, quin tamen alia ab alia proprie *dependeat.*

719. — *Obi. IV* (Inst.). Tunc *exclusio potentiae* in Deo ad impossibilia haberi posset ut radix impossibilium et impossibilitatis; quod vix sensum habet.

R. 1º Radix proprie *positivorum* est et dicitur, de negativis non proprie radix, sed *ratio*. Unde

R. 2º *Tr.* Omnipotentia potest esse *ratio* excludendi *defectum* operationis et activitatis; seu sicut aiente Angelico « posse peccare est posse *deficere* in agendo, quod repugnat omnipotentiae; et propter hoc Deus peccare *non potest*, quia *est omnipotens* » (1 p., q. 25, a. 3, ad 2); sic quod Deus impossibile facere non possit, *quia est omnipotens*, nec perperam nec sine sensu diceretur; posse enim conari ad agendum et *nihil* agere est deficere in agendo, quod sane contra omnipotentiam esset (1).

720. — *Scholion I. De triplici esse possibilium.* Impossibile semper habuimus plenam in his materiis fieri lucem, nisi triplex possibilium esse accurate separetur, penetretur: 1) *virtuale*, 2) *formale intentionale*, 3) *formale entitativum* (i. e. constitutivum). 1º *Virtuale, radicale, eminentiale...* habent in essentia Dei; hoc esse possibilium est *Deus* ipse, ideoque *actu reale* et physicum, sed possibilibus *extrinsecum* realiterque ab iisdem distinctum, pertinens ad obiectum *primarium* scientiae divinae (ut supra vidimus). 2º *Formale intentionale;* hoc habent per intellectum Dei actu intellegentem possibilia; proin est esse *termini* actualis cognitionis (secundariae); per illud non sunt Deus ipse, quia non sunt intellectio *subiectiva* sed *obiectiva* secundaria, seu termini intentionales, prout et in nostra possibilium intellectione. Igitur *intentio subiectiva* possibilium est Deus, at intentio *obiectiva* eorumdem non Deus est, sed *creaturae* productibiles cum *connotatione* quod fuerint ab aliquo *cognitae*. — Hoc quoque esse intentionale possibilibus *extrinsecum* est, sicut huic arbori quod cognita a me fuerit. — 3º *Formale intrinsecum* est quidditas ipsa concreta possibilis, est aliquid reale non physicum et actuale, sed metaphysicum et potentiale; est pars entis *realis*, de quo Metaphysica, quodque (bene notat Mercier) ex possibilibus atque actualibus integratur. Hoc esse proprium entis possibilis, quia *fundatur* in essentia ut terminus imitabilitatis eius, est quid ab essentia Dei in ordine quidditatum creabilium quasi nascens. Supra hoc esse intellectus per posterius cadit, eique addit aliud esse, nempe esse illud intentionale, quod secundo loco perpendebamus, eratque possibilium formalium *cognosci*.

721. — *Scholion II. Quid sibi velit: possibilia esse in Deo. Tertium* esse, de quo solo movetur quaestio, cum *primo* non confundendum est, nec cum intellectione *subiectiva*, nec cum formali aliqua imagine limitata, quae imago nec in essentia nec in intellectu Dei exsistit. Igitur, quia in Deo solus Deus exsistit, possibilia esse in Deo significat ad positionem Dei possibilia quoque in suo ordine poni ut potentias obiectivas, quae per posterius a divino intellectu ut *termini* possibiles imitabilitatum essentiae intelleguntur; sicut quod *universalia* exsistant in nostro intellectu, non significat *realiter* ea intra intellectum exsistere, sed realem intellectus imaginem terminari *ad illa*, quae ceteroquin *nullibi realiter* exsistunt.

722. — *Scholion III. Quid sint et ubinam possibilia. Quoad primum:* vidimus (in Met. Gener.) possibilia in se nullum habere *actuale* esse, nec *diminutum*, nec *essentiae* ut contrapositum exsistentiae; unde creantur non quoad esse solum exsistentiae, sed quoad *totum* sui esse; ex se enim solam notarum unibilitatem dicunt seu trahibilitatem earumdem ad esse reale: « Dicitur aliquid possibile absolute ex habitudine terminorum » « non secundum aliquam potentiam, sed ex *sola* habitudine terminorum, qui sibi non repugnant » (1 p., q. 25, a. 3...). Quae habitudo unibilitatis « animal rationale » vel non « homo asinus » ex notis oritur ipsis; notae autem propriam sui quidditatem in fonte divinae essentiae fundant; adeo ut si reliqua Dei disparere supponantur manente *essentia*, intrinsecum possibilium constitutivum subsistat seu possibilia dari pergant ad instar umbrarum, quae coram essentia

(1) De variis circa haec chimaeris... bene ap. Los. l. c. et pro sui temporis usu gustuque copiose.

sensu metaphysico (potentiali) quasi proiectentur. Disparente autem essentia, possibilia cuncta in *purum* verterentur *nihil*, nec ullum iam recenseretur possibile; eo quod divina essentia *radix* sit *totius esse* sive physici (seu actualis) sive metaphysici (seu potentialis).

Quoad alterum possibilia liquet *nullibi* esse. Sicut enim quidquid exsistit *alicubi* est (n. **460**), ita quod non *exsistit* alicubi esse pugnat, cum prius sit esse quam alicubi esse. De formis quidem Platonicis permittimur quaerere *ubinam* sint, eo quod illae statuantur *actuales;* de universali *in essendo* idem quaerenti, stricte vereque unum respondemus: *nullibi*. Esse enim in intellectu, quod ipsi concedimus, non significat *reale* aliquod ipsius esse intra intellectum (quale habet universale in repraesentando: verbum, intellectio), sed esse *logicum* seu mere *terminare* cognitionem. Disparitas tamen magna est: universale in essendo debetur *intellectioni creatae;* si nullus cogitaret homo, universale daretur nullum; possibilia vero ante quamlibet dantur intellectionem, cum independenter ab ea aliquid sint realiter factibile, quod deinde forsan quid actuale erit; universale nunquam, cum realiter factibile non sit.

723. — *Scholion IV.* Divinus intellectus formale rerum exemplar terminative *solum* esse potest seu *obiective*, non autem *subiective*, ut finitus artificis intellectus; videlicet: in sublimi essentia, licet exemplar sit *radicale* omnis creaturae, nulla propriis configuratur lineis; non magis in *intellectu*, qui rursum essentia est. Unde quod sive essentia sive intellectus *formale* sint exemplar, in *terminis* solum verificatur, in formalibus possibilibus, quae per ordinem ad actuales creaturas sunt typi iam *formales*, exemplaria; seu: ipsimet intellectui (subiectivo) competit quod de essentia S. Thomas: « similitudo *sufficiens* omnium, quae sunt vel esse possunt ».

724. — *Scholion V.* Pro diversa intellectuum natura, ad perceptionem possibilium aliter et aliter divinus et humanus intellectus determinantur: *a*) *Humanus*, potentia *incompleta*, compleri eget atque ab extrinseco speciebus determinari; quia vero has species possibilia ipsa producere nequeunt sed actualia, ab his determinari eget ad percipienda possibilia per species sive impressas sive expressas, quae possunt esse *univocae* cum possibilibus. *b*) *Divinus* autem ex se completus, determinatur a sua essentia ut a specie *impressa* et *expressa*, quarum *neutra* esse potest possibilium imago formalis seu *univoca*.

Articulus II.

de numero possibilium

Propositio XLI. **Possibilia, quae Deus actu distincteque cognoscit, dicenda sunt actu infinita.**

725. — *Praenotanda.* I. *St. q.* In tractatu divinae possibilium cognitionis « se ingerit molestissima (quaestio) de infinita multitudine » (Franz. th. 41, initio, p. 369). « Materia enim infiniti et ipsa infinita est » (Suarez).

Ratio difficultatis. Ex una parte infinitum actu *a*) intra perfectionem unius solum lineae (sapientiae, bonitatis...) impossibile communius censetur, necnon *b*) in *magnitudine* realive (actuata) *multitudine* (iuxta plures) (1); immo *c*) etiam in se seu *formaliter* multitudo actu infinita passim pronuntiatur impossibilis, quasi termini « multitudo » et « actu infinitum » invicem pu-

(1) *a*) non videtur idem ac *b*), neque ex impossibilitate τοῦ *a*) licet inferre impossibilitatem τοῦ *b*). Etenim *b*) non tam *linea* perfectionis est, quam lineae perfectionis *quantitas, divisio*. Immo *b*) in se non perfectio sed *imperfectio* est, i. e. *imperfectus* modus τοῦ esse alicuius perfectionis *divisim, corporeae...*

gnarent. Ex alia autem parte possibilia simul a Deo actuque omnia, singula distincte cognosci liquet, cum omnis a Deo sit amovenda *successio*.

Iam cum imitabilitas Dei infinita sit, termini eius claudi non poterunt, seu possibilia erunt infinita. Categorematice an syncategorematice? Si primum; ergo admittitur multitudo actu infinita in ordine saltem potentiarum seu producibilium, quod gravibus substat incommodis. Si secundum, peiora etiam sequuntur: ergo Deus nunc omnia scibilia actu nescit, successive sciet, seu: ergo scientia Dei *variabilis* est, actu finita et potentialis, etc.

Igitur posito quod possibilia a Deo cognita sint dicenda *infinita*, quaeritur utrum necne *actu infinita*.

726. — II. *Notiones. Multitudo* est pluralitas unitatum ex entium divisione resultans, seu ex eo quod unum ens non sit aliud, sed a quolibet alio divisum; « omnis pluralitas (ait Angelicus) divisionem consequitur ». Hinc multitudo dicitur etiam « quod est ex unis, quorum unum non est alterum » (1º D. 24, 1, 3, ad 2). Videlicet: quoties una res habetur ab aliis distincta (igitur ab illis divisa), alia deinde similiter et alia, tunc habetur multitudo (sufficiunt duo).

Numerus. Quando multitudo *collectionem* facit, primo scilicet ultimoque *clausam*, hinc unitate successive repetita exhauribilem, multitudo dicitur *numerus*. Unde *numerus* est « multitudo mensurata per unum » (seu mensurabilis).

Verum concipitur multitudo, quae numerus non sit, multitudo scilicet per unitatem repetitam nunquam exhaurienda; qui etiam hanc numerum appellaret vel clausam supponeret, lites forsan de verbo multiplicaret. Quaestio autem ipsa vere *realis* est, ad quam attendimus, de actuali nempe vel solum potentiali infinitudine multitudinis. Contra Wicleffum quidem omnes tenent catholici infinitam esse. Sed estne *actu* infinita? « An vere Deus, dum omnia *simul possibilia* et futura intellegit, infinita *actu* cognoscat, inter Scholasticos magna quaestio est » (Vazq. in 1. d. 63, c. 1, initio).

727. — III. *Sententiae*. *a*) *Affirmant* post Halensem et Bonaventuram magis iam contentiose posteriores non pauci; v. g. Vazquez (ex professo rem fortiter tractans *l. c.*), Molina, Ruiz, Toledo, Sylvius, Lugo, Lessius, Arriaga, De Benedictis... — Recentius Franzelin, Hontheim, Pesch (Chr.), Remer, etc. « Immo doctrina haec est veterum theologorum pene omnium » (Franz. *l. c.*, p. 398) (1). Alii rem non clare determinant; alii in medio relinquunt, v. g. Schiffini: « dubium controversumque manet inter Doctores » (n. 475). *b*) *Negant* Durandus (1. D. 39, q. 2) et Almainius (« quos multi ex recentioribus sequuntur », ait Vazquez, *l. c.*), Rhodes, Silv. Maurus, Card. Aguirre, Losada, Mayr..., Tylm. Pesch, Tong., Palm., Urráb., Liberatore...

Nota 1º Ex his nonnulli opponuntur solum *collectioni*, quam supponunt *clausam*, et qua talem ab abversariis admitti; at non sic sed ut multitudinem *apertam* propugnamus; igitur si *collectio* (ut aiunt) limites essentialiter involvit, dictam tunc multitudinem *collectionem* esse negamus. 2º S. Thomas, Suarez et Valentia pro utraque citantur sententia; quamvis enim sub absoluta « infiniti » expressione apud Aquinatem (ita censemus) ad *actu* infinitum alludi videatur, de hoc tamen certo non constat; v. g. Valentia opinatur D. Thomam negativae potius parti favere. 3º Alii in *futuris* beatorum actibus simul a Deo

(1) Balmes multitudinem actu infinitam non pugnare pulchre defendit, sed in genere, i. e. conceptum ipsum vindicat praescindendo a statu *reali* multitudinis (Fil. Fund. L. 8, c. 14 et 9).

visis rem primo perpendunt; cum *autem hos* actu *infinitos* esse prohibeant, de possibilibus idem concludunt. Neutrum nos admittimus, quidquid de paritate sit dicendum.

728. — IV. *Sensus propositionis.* Deus, possibilia contemplans, suum ad illa obtutum fixe terminat ut ad multitudinem actu infinitam; tot nimirum unitates menti obversantur, quot successive numerandis impar sit Deus aut *ultimam* in eis insignire, cum titulus *ultimae* competat *nulli.* Igitur infinito conspectui, sicut qua *primario* obiectum substat *unum intensive actu infinitum,* ita et qua *secundario* obiecta substant plura *extensive actu infinita.*

729. — *Prob.* 1. Deus primario essentiam videt, qualis est, totam absolute-relative cum intrinsecis, quas dicit, imitabilitatibus (prop. XXXVIII). *Ergo* secundario videt (actu, invariabiliter) extrinsecos distincte *terminos* intrinsecis respondentes imitabilitatibus, i e. videt formalia possibilia (prop. XL), quae evidenter *multitudinem* faciunt (quia *distincte* tanguntur). Atqui 1) non finitam, 2) nec indefinitam. *Ergo* categorematice infinitam.

Min. 1ª *pars.* Modi enim imitabilitatum, quos fecunditas essentiae infinita dicit, finiti esse nequeunt. Ergo nec termini (*imitationes* ipsae possibiles) certo clauduntur *numero,* ultra quem protendi nequeant.

Min. 2ª *pars.* Multitudo *indefinita* vel *a*) sumitur ut actu *distincte* finita sed *novis* sine fine unitatibus augenda, et tunc Deus plura intuens actu, plura quoque pro nunc ignorat, quae deinde sciet (imperfectio habetur successionis); vel *b*) sumitur ut multitudo confuse apprehensa, quovis maior numero, ad instar numeri mathematice infiniti; id autem, successionem evitans, alia infert incommoda: Deus plura *confuse* solum videret; seu quosdam distincte videns numeros, alium ceteris maiorem confuse solum videret, *univoce* cum mathematico conveniens. Ergo multitudinem distincte videt *actu infinitam;* tot scilicet actu videt unitates tamque definitas, ut sive augeri sive maiori perfici distinctione nullatenus possint. Deus deinde, singulas distincte videns, visionem termino carere videt aut *ultimo;* videt multitudinem *non claudi.*

730. — *Prob.* 2. Multitudo actu infinita ab indefinita hoc differt, quod prior suas intellectui offerens distinctas unitates, *extremam* non offert; altera autem unam pro nunc distincte *ut ultimam* offert et pro nunc claudentem. *Atqui* possibilium multitudo, fixe a Deo percepta, primae classis est. *Ergo* Deus videt actu infinita.

Maior habetur in praenotandis.

Minor. Secus enim ex alia transiret in aliam. Atqui divina scientia etiam terminative invariabilis est, cum *essentialiter* distincte *omnisciens* sit. Ergo multitudo actu percepta ad primam pertinet classem.

731. — *Corollarium.* Ergo possibilium multitudo, actu a Deo cognita, aut dicenda simpliciter *finita* (error Wicleffi), aut simpliciter et *categorematice infinita,* nec datur medium. Etenim *idem fixe* stans, aut pure finitum, aut pure infinitum est; dicta autem multitudo divinae obversatur menti fixa sive quoad unitates sive quoad *distinctionem.*

732. — *Scholion. Phrases Aristotelis; quaenam alteri* et *alteri infinito applicandae. a*) Descriptio infiniti « id, cuius accipientibus aliquid, semper remanet accipiendum » competit categorematico sive in multitudine, sive in magnitudine. In hoc enim ne ipse quidem Deus *ultimum* accipere poterit, ut dictum est. *b*) « Id,

cuius aliquid semper *extra* (est) » se refert ad infinitum in potentia; extra illud enim remanet semper aliquid, quod *est eius*, seu esse potest actu in illo, quia illud *debet addi posse* infinito in potentia. *c*) Pariter « ut aliud et aliud semper sumatur, et id quod sumitur certe finitum, et aliud et aliud semper » nempe ut sumatur *infinitum* nunc unum, deinde aliud *auctum*... semper *finitum actu*. Tale infinitum in mundo dari censet, illudque sive Ludo Olympico comparat sive diei (posito uno die alius et alius additur sine fine). *d*) « Id, cuius nihil est extra » non tam infiniti, quam *totius* aut *perfecti* definitio est, quasi « id, cui nihil deest » (III Phys. c. 6, etc.). Cfr. Vazquez in I p., Disp. 63, c. 2, n. 4.

733. — *Obi. I.* Si Deus cognosceret actu infinita, pertransiret infinitum. Atqui infinitum non datur transire nec finito nec infinito. Ergo Deus infinita cognoscere nequit (S. Th. 1 p., q. 14, a. 12, 2).

R. D. M. Si cognosceret illa *successive* unum post aliud, *C.* Si *simul* uno simplici intuitu, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Successive, *C.* Simul, *N. c.*

Explico. Ex additione unitatis ad unitatem infinitum actu non exsurgit, nec ex designatione unius post aliud unquam percurritur. Deus dicere nunquam posset: tot novi ut ignotum maneat nullum. Igitur verum est quod nec Deus nec alius potest *successive* aut numerare, aut cognoscere, aut utcumque pertransire multitudinem actu infinitam. Si cognoscitur, *tota simul* cognoscitur ut de nulla unitate ullo momento dici possit: « non prius, sed nunc video illam ». — Ceterum phrasis « pertransiri nequit » applicatur a Philosopho multitudini syncategorematicae successivae, in qua non est quiescere *in ultimo*, cum *additio* semper fieri possit.

734. — *Obi. II.* Si Deus cognosceret actu infinita, haec essent *finita* pro Deo. « Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione *finitur* » (Aug.). Atqui infinita pro aliquo *finita* esse pugnat. Ergo Deus actu infinita non cognoscit.

R. D. M. i. e. in stadio *comparationis:* infinita pro infinito essent sicut finita pro finito intellectu (illius non excedentia capacitatem), *C. Absolute* illa infinita erunt pro divino *finita*, *Sd.* i. e. quid *adaequate* visum, ut nihil extra visionem remaneat, *C.* Ut simul ea intellectus *limitata* esse videat, *N. M.* — *D. par. rat.* Finitur, i. e. *extra* actualem scientiam remanet nihil, *C.* i. e. Scientia dicit ea, quae videt, *fines* habere, *N. rat.* — *Ctr. m. Ab* aliquo *totaliter* ea videri pugnat, *N.* Ab aliquo *limitibus* ea clausa videri pugnat, *C. m.* — *N. c.* — Res per se patet.

735. — *Obi. III.* Cognoscere infinitum idem est ac cognoscere *indeterminatum*. Atqui cognoscere aliquid indeterminatum est imperfectio. Ergo Deus infinitam multitudinem non cognoscit (S. Th.).

R. D. M. ... indeterminatum, aut *vagum* scilicet et *confusum*, aut distinctum quidem singulis momentis, sed *protrahibile* semper, ideoque nunquam fixe quiescens, *N.* Indeterminatum, i. e. *interminatum* seu terminos non habens, *C. M.* — *Ctr. m.* Duobus primis sensibus, *C. Tertio* sensu, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Similis difficultas soluta est in infinitate Dei. *Quaeri* nunc posset: quaenam sit *mensura* illius multitudinis. *R.* 1º in rigore *nulla;* cum dicta multitudo incommensurabilis sit; si quaedam daretur finita unitas, quae pluries repetita multitudinem *exhauriret*, talis multitudo non esset actu infinita; atque idipsum de spatio valet *imaginario* actuque infinito, quippe quod unitate spatii limitati superposita exhauriri nunquam poterit. — *R.* 2º Aliqualis mensura est intellectio ipsa, quae multitudinem adaequat (Cfr. *Obi. II*).

736. — *Obi. IV.* Si Deus omnia simul cognosceret possibilia, omnia simul producere posset. — Ens enim omnipotens quidquid possibile esse videt, facere potens est. Atqui Deum *omnia simul* producere pugnat. Ergo non omnia simul cognoscit.

R. N. M. E simultanea *cognoscibilitate* ad simultaneam *producibilitatem* transire non licet; quod enim non in primo, in altero pugnare potest; de facto ita est. — Unde *D. rat.* Facere potest *eo modo*, quo videt esse producibile, *C. Eo modo*, quem in se pugnare videt, *N. rat.* Igitur aliud est omnia simul possibilia *actu videre*, aliud omnia *simul producibilia esse* actu videre. Actu nunc video simulque diem cum

24 horis, has tamen horas simul omnes exsistere posse non video. Mens ea *simul novisse* potest, quorum *esse simultaneum* pugnare videt. Atque de possibilibus: Deus quidem Petrum parvum, magnum, iuvenem, senem, sapientem, insipientem... simul cognoscit; *simultaneam* tamen omnium actuationem pugnare videt. Brevi: Simultas possibilitatis secum non trahit possibilitatem simultatis *in essendo*.

737. — *Obi. V.* Deus nequit *producere* tot, *quin plura*, saltem *quin alia* producere possit. Ergo a pari nequit *cognoscere* tot, quin plura saltem quin alia cognoscere possit; seu: ergo nunquam cognoscet *omnia simul* possibilia.

R. N. cons. et parit. Lex pugnantiae non eadem est nec parallele se habens respectu *cognitionis* simultaneae et *effectionis* simultaneae. Ordo idealis subtilior est realique potentior (Cfr. *Obi. IV*).

738. — *Observa* 1º. Ex dictis Deus omnia *simul* producere nequit. Sed neque *successive* potest: *a*) Tunc enim per successivas unitatum additiones multitudo fieret actu infinita, quod esse nequit. *b*) Si singulis ponatur vicibus unam a Deo produci multitudinem *actu* infinitam, v. g. primo equorum, deinde leonum etc., etiam sic *omnes* singularum quoad speciem variationum multitudines efficere non posset, cum vel harum multitudinum multitudo actu infinita sit, ideoque successive ingenerabilis tota; *c*) imitabilitas Dei, in se *inexhauribilis*, exhauriretur.

739. — *Observa* 2º. In casu productionis infinitorum actu equorum, iam Deus produxisset *tot* entia quin *plura;* cum enim dicta multitudo *inaugibilis* sit, homines deinde producti ipsam *augere* non possent; nec produxisset tamen *tot*, quin *alia*, ut patet; semper enim *alia* et *alia* producere posset. Iam: *a*) Nuper solvebamus Deum *omnia* simul possibilia producere non posse, seu non posse tot quin *alia* (*Obi. IV*). *b*) Quod ne unam quidem possit multitudinem actu infinitam *successive* producere per se liquet et ex *Observa* 1º. *c*) Sed utrum necne multitudinem aliquam actu infinitam producere *simul* possit, *nova* quaestio est. Circa quam: Nonnulli auctores v. g. Arriaga, Hurtado, propugnant Deum α) posse *totam* possibilium multitudinem actu *intellegere simul;* β) non posse *totam* simul *producere* (ex ratione, quam dedimus n. **736**); γ) posse tamen unam *infinitam actu* multitudinem simul producere, talem nempe, quae in se incompatibilia non includeret, sed *compatibilia* actu infinita, manente in Deo potentia ad alias et alias sine fine multitudines producendas, sive finitas sive infinitas. Est sententia *probabilis;* cuius pugnantia ostendi vix poterit (1). Verisimilior immo habebitur, quam possibilitas producendi corpus actu infinitum, quod spatia actu infinita repleret essetque *sine figura* seu sine *terminationibus* dimensionum; licet nec huius absurditas sat clare sub solitis enitescat rationibus.

740. — *Obi. VI* (Inst.). Vel mera actualis ac simultanea *omnium* possibilium *cognitio* pugnare videtur. Quibuslibet enim cognitis, ea certe a Deo infinite distant. Atqui inter ea, quae invicem infinite distant, alia atque alia sine fine interponere licet. Ergo tot actu simulque a Deo cognosci, quin alia et *alia* cognoscere possit, admittendum non est.

R. C. M. — *N. m.* Sequitur utique possibilia actu infinita et infinities infinita simul cogitata divinam perfectionem *non adaequare;* non vero possibilium quaedam *ignota* manere; de quo tamen erat quaestio. Ceterum distantia inter omnia et Deum utique infinita est dicenda; seu ex infinitis possibilibus nullum adeo effulget perfectum aut *in limite* positum ad instar semi-Dei, ut aliud perfectius iam cogitare non liceat; multitudo semper aperta maneat, ne secus pugnantia sequantur. Hinc solvitur:

741. — *Obi. VII.* Creaturae omnium possibilium perfectissimae pugnantia non ostenditur. Atqui tale possibile multitudinem cogitatorum *finiret, clauderet.* Ergo multitudo possibilium a Deo cognitorum *actu finita* est.

R. 1º *N. M.* Ostenditur ex eo, quod tunc *ultimus* poneretur gradus in perfectione

(1) Toledo invalidas habet Caietani aliorumque pro pugnantia rationes.

imitabilitatum, proin *limes* in ipsa poneretur imitabilitate Dei, quae tamen *infinita* est limitemque excludens. — *R.* 2º *Tr. M.* — *N. m.* Illud perfectissimum adhuc infinities actu possibile esset, nec *ultimum* in hac multitudine daretur, unde multitudinem cogitatorum non clauderet, sed ea etiam sic actu infinita maneret.

742. — *Obi. VIII* (Aureolus). Si Deus infinitas (actu) possibilium species cognoscit, atque alia species sequente perfectior est, tunc aliquam cognoscet speciem actu *infinitam*. — Pariter si numeros alium alio maiorem sine fine, aliquem cognoscet actu infinitum. — Nam inter *infinita* (in multitudine et perfectione) proportio finita esse nequit, neque distantia finita. Atqui nullam Deus speciem, nullum cognoscit numerum actu infinitum. Ergo nec rerum species actu infinitas cognoscit.

R. N. M. — *Rat. D.* i. e. unum a quovis alio *determinato* distat infinite, *N.* Unum a tota infinita collectione infinite distabit eritque respectu multitudinis in infinita improportione, *C. rat.*

Explico. Species ipsas numerosque aut perfectione aut unitatibus infinitos esse non sequitur; *numeri* quidem finiti singuli; *multitudo* autem sive specierum sive numerorum infinita erit, quin tamen *numerus* sit. Ceterum proportio unius ad *omnes simul* nec finita est seu quae per determinatam limite mensuram mensurari queat, sed nec infinita ad singulas distributive, quasi aliquis in collectione adesset numerus infinitus. Infinitas specierum in eo consistet, quod perfectio cuiusque sine fine augeatur, quin aliqua assignetur species intensive actu infinita, nec tota collectio (aperta) perfectionem exhibeat actu infinitam; haec enim solius est Dei.

743. — *Obi. IX.* Deus, ab aeterno non creans, ab aeterno tamen per id solum perfectissimus iam erat quod potentiam habebat creandi. Ergo a pari, ab aeterno non omnia actu intellegens, perfectissimus tamen per hoc iam esse potuit, quod successive intellegere capax erat. Ergo non necesse quod possibilia actu infinita semper cognoscat.

R. C. Ant. — *N. c.* et paritatem. *Creatio*, actio *transiens* Deoque extrinseca denominatio, perfectionem *in alio* ponit, in creatura. Cognitio autem, operatio *immanens*, perfectio est cognoscentis, recepta in cognoscente (Ruiz de Montoya, Disp. 9, s. 4, n. 3).

Articulus III.

DE FUTURORUM COGNOSCIBILITATE ET COGNITIONE

Propositio XLII. Futuris etiam contingentibus, quorum omnium Deus ab aeterno praescientiam habet, propria inest determinata cognoscibilitas, scientiam praecedens; quae cognoscibilitas constituta esse dicenda est unoquoque futuro contingenti, non causaliter, sed formaliter sumpto.

744. — *Praenotanda.* I. *St. q.* Secundarii obiecti pars prior constituebatur *possibilibus*, quorum scientia (simplicis intellegentiae) tam *absolute necessaria* est, quam scientia obiecti *primarii*, a quo ut a *medio in quo* stricte tali adaequate determinatur (prop. XL). Venit iam altera obiecti secundarii pars, quae per res in tempore aliquando exsistentes constituitur. Deus creare libere decrevit; ideoque terminatio ad mundum, quam de facto divina scientia (visionis) ab aeterno habet, *absolute contingens* est; si enim *non creare* Deus decrevisset (ut potuit), dicta careret terminatione. Deus ab aeterno decrevit non tamen nisi *in tempore* creare; igitur in tempore *exstitura* ab aeterno erant vere futura. Unde et altera haec obiecti secundarii pars exprimi integra per

« futurum » posset; adhuc in ea mos est tria distinguere: *a*) actu nunc exsistentia; *b*) praeterita; *c*) futura; quasi exsistentia ac praeterita ob actuatam iam entitatem facilius Deus, quam futura (entitatis adhuc non actuatae), cognoscere possit. In rigore tamen et universim non ita est. α) Ex una enim parte Deus in aeterna volitione rerum pro tempore, per intuitum omnia penetrantem tempora *singulas* distincte *simulque vidit* cum suis effectibus, cum suis resultantiis, in hac et alia fixa temporis differentia ordine praestabilito actuandas. β) Aliunde vero *activitas* creativa, conservativa, concursiva, in ipsa iam aeterna volitione et quasi ab initio tota *ex parte Dei* in actu posita erat, ita nempe, ut momento creationis et deinceps nulla *tunc primo* incipiens virtutis emanatio fluxusve Dei in mundum, nec magis mundi in Deum (intangibilem) repercussio *novum quid* Deo *enuntiare* possit. Igitur in inceptione mundi eiusque evolutione *novitas aliqua*, etiam pure terminativa, scientiae Dei advenire non potuit; unde ex eo quod res quaedam actu exsistant, non aliter nec facilius ipsasmet actu exsistentes percipit, quam ab aeterno easdem perceperat, dum adhuc futura erant (1).

745. — *Specialis difficultas.* Sed his in genere notatis, quaedam prostant futura, difficile Deo ipsi ab aeterno cognoscibilia; libere enim ipse decrevit ut inter res tempore creandas quaedam propria donarentur libertate; harum actus prohibetur videre aut in decreto creandi, aut in futura creatura, aut in determinatione divinae essentiae; in seipsis autem adhuc non exsistunt; unde *nullibi* dices adhuc determinatos. Si talem aliunde notitiam tam severe sibi divina reclamet perfectio, ut Deus et inscius futurorum couti non possint (2), scientiam suspicabimur praevie fixam, fixeque pro tempore futura statuentem; quod rursum libertati obstat consilioque liberas condendi creaturas. Brevi: Si praescit, necessitat; si non praescit, non est Deus.

Dilemma, paganis insolubile (saltem insolutum), Stoicos ad fatalismum, Ciceronem ad negationem duxit praescientiae (3); christianis quoque erroris occasio fuit, cum vel scientiam negabant, vel meras Deo coniecturas concedebant.

Enimvero duplex illud dogma: *libertatis* creatae, divinae *praescientiae*, indubie acceptatur; *factum* inquam utrumque; si enim de *theoriis* loquamur, rationalem utriusque iactantibus concordiam, aliqua animos omnium satis quietans nec habita nec unquam forsan habenda: *a*) primis saeculis vix ne conatus quidem solvendi; Augustinus in culmine Patristicae totam aliorum possidens philosophiam, pluribus in rem pulchre discussis solideque, nudum non solvit; *b*) in aureo medii aevi saeculo XIII, iactis principiis, problema ipsum e vicino vix movetur; *c*) in fervore renascentiae (saec. XVI et XVII) cum *Bannezio* et *Molina* duo ad rem directa atque invicem opposita exsurgunt systemata, quibus tot accensentur incommoda tamque gravia, ut unum ab

(1) Deus more astronomi se habet, qui a longe eclipsium phaenomena collisionisve corporum sensui imperviorum, simul praevidit pro tempore alio et alio; deinde vero realisque momento verificationis ab eventu ipso accipit nihil, intra se tamen inclusus singulorum secum coëxsistentiam contemplatur et enuntiare potest.

(2) « Confiteri esse Deum et negare praescium futurorum, apertissima insania est » (S. Aug., De Civit. Dei, V, 9).

(3) « Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore: quae potest esse fortuna?... » Paulo ante: « ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet; sin certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla est praesensio » (De Divinatione, L. 2, c. 7). Ad quod Augustinus: « Dum vult facere homines liberos, fecit sacrilegos ».

alteris et alterum a primis improbetur prorsus, quoad *modum* scientiae *adaequate* determinatum.

Nec alterutram nunc proponimus solutionem totalem; puncta enim enuntiata, licet quaestioni penitus intrinseca, immo inchoata eiusdem solutio, non uno modo ab omnibus aut accipientur, aut constituta intellegentur.

746. — II. *Notiones. Futurum* definitur quod non est sed *erit;* ut *praeteritum* definitur quod non est sed *fuit; praesens*, quod nunc est.

Evidenter quaestio de *futuro formali* est, seu de cognoscendis futuris quoad esse ipsorum *formale;* quoad esse enim *virtuale* ac *eminentiale* (ut de possibilibus notabamus) sunt ipsa essentia Dei, ideoque obiectum *primarium, realiter aeternum;* futura autem formalia sunt *creaturae*, realiter non aeternae, exsistere tunc incipientes (non prius) cum Deus *creat*, cum creatura *operatur.*

Futurum duplex est: *necessarium* quod necessario eveniet; *liberum* seu contingens quod per se contingenter eveniet (1). Utrumque in *duplici statu* considerari potest cum Aristotele et S. Thoma; in *causa* et *in se;* nempe quatenus vel cogitatur prout *virtualiter* exsistens in *actu primo* causae; vel cogitatur prout *formaliter* et *in se* exsistens, seu in *actu secundo* essendi. In primo statu appellatur a S. Thoma futurum *ut futurum;* in altero futurum *ut praesens;* hodierna solis illuminatio heri erat futurum *ut futurum* si considerabatur *in sole;* futurum *ut praesens*, si considerabatur in se, qualis nunc formaliter est.

Hinc futurae operationes cognosci bifariam possunt: in *causa* operationis, et in *operatione* ipsa. 1º In *causa: a*) Qui causam *necessario* operantem bene novit necnon requisitas ad operandum condiciones implendas esse, ille futuram operationem *in causa* novit; qui scit antecedens, etiam consequens in eo determinatum scit. Nobis ipsis futura sic saepe innotescunt: « Cras sol orietur ». *b*) Qui causam *liberam* perfecte novit cum condicionum etiam impletione, operationem in *causa* minime novit; noverat antecedens, cum hoc praecise consequente non conexum; unde in tali *causa* (saltem mere qua tali) ne Deus quidem futura videt (2). 2º In *operatione* ipsa. Futura *omnia* in tempore proque tempore, quo reipsa exsistunt, actu noscibilia vel nobis sunt (scientia *visionis* nec ut possibilia solum). Pro nobis tamen *tunc solum*, non prius; pro Deo autem semper (scientia eius invariabilis est), i. e. ab aeternitate (1ª *pars*); hinc actuali donabantur ab aeterno *cognoscibilitate* (2ª *pars*), pro visione inquam *divina*, quae a rebus patitur nihil. Iam tertia pars in hanc inquirit cognoscibilitatem; quaenam sit, per quid aeterne constituatur.

747. — *Prob.* 1ª *pars.* 1. Deus in omnibus sapiens, mundi creatione sibi proposuit finem, qui nonnisi Deus est, sua gloria, gradu pariter praefixo obtinenda. *Atqui* nihil tam fixe sibi praefinire potuisset, quin futurorum

---

(1) *Per se* seu intrinsece ex natura causae in se indifferentis; illa enim, quae ab *extrinseco* impedimento impediuntur in causa necessaria, contingentia non proprie et per se sed per accidens solum dicentur; potius enim sunt *necessaria impedita;* de his inutile est cogitare.

(2) *a*) « Dupliciter possunt futura cognosci: uno modo *in seipsis*, alio modo in suis causis. *In seipsis* quidem a nullo cognosci possunt nisi a Deo » (De Malo, q. 16, a. 7, c.). *b*) « Futurum dupliciter potest cognosci. Uno modo *in causa sua:* et sic futura, quae ex *necessitate* ex causis suis proveniunt, per certam scientiam cognoscuntur, ut solem oriri cras... Alio modo cognoscuntur futura *in seipsis*. Et sic solius Dei est futura cognoscere, non solum quae ex necessitate proveniunt, velut in pluribus, sed etiam casualia et fortuita » (1 p., q. 57, a. 3, c.). — *NB.* Fortuita, i. e. libera, ut apud Ciceronem. *c*) « Ex quo patet contingens, *ut futurum* est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit. Unde cum divinae scientiae non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea *ut futura* sunt » (De Veritate, q. 2, a. 12, c.).

omnium praescius esset. *Ergo* Deus omnia omnino futura ab aeterno praescivit.

Maior, partim per se patet, partim alibi ostensa est (In Cosmol.).

Min. Gloriam formalem Deo solus homo procurat; hominem autem ens liberi arbitrii esse voluit. Ergo nisi omnes rerum motus ab aeterno novisset, usum abusumque libertatis singulis casibus, aliorum aliis attemperationes nunc efficaces, deinde inefficaces ac frustratas, etc. omnis finium ordinatio, gradus obtinendae gloriae fixatio, impossibilis sibi fuisset. Atqui talia novisse est futura etiam ex parte creaturae contingentia novisse. Ergo sine horum aeterna cognitione Deus nihil fixe praefinire potuisset.

Ad min. Prae oculis habeatur scientiae invariabilitas volitionisque in Deo: quod semel scivit ac voluit, semper scivit ac voluit; nec eidem in tempore permittitur coram impraevisis frustrationibus ordines reintegrare.

748. — *Prob.* 2. Deus ex ipsa eius nominali definitione, i. e. omnium sensu theistarum, est causa prima rerum, specialem de homine providentiam habens (prop. LXXIII), debite petentibus bona concedens sive spiritualia, sive etiam corporea, propitios elementorum eventus complexusque praedisponens; quemque tandem pro merito rependens. *Atqui* nisi distincte futura sive necessaria sive libera ab aeterno scivisset, talia Deus facere non potuisset. *Ergo* praescius est futurorum.

Min. Quod Deus aliquando voluit, fecit, ab aeterno voluit, ex parte sua fecit. Ergo ea, quae debite petentibus in tempore concedit, ab aeterno concesserat, praemia retributionis ab aeterno statuerat. Atqui nonnisi precum libere in tempore ponendarum praescius ab aeterno fuisset, sicut et meritorum. — Ut enim precibus obtemperaret plurima tenebatur accumulare, disponere elementa, modis specialibus (anormalibus), hinc pariter ab aeterno iuxta eventura quosdam decretare quasi compensatorios ordines pro consueta normalitate. Ergo.

749. — *Pars* 2ª. *Declaratur.* Futuris propria cuique inest cognoscibilitas scientiam praecedens, *per prius* scilicet ad visionem. Sequetur futurum a visione non *determinari*, seu visioni *non deberi* ut hoc prae alio sit futurum vel prae nullo; hinc neque creatam libertatem a divina tangi visione.

Quaenam obiectivitas. Obiectivitas universim illud est, ad quod cognitio terminatur; est obiectum cognitum, ideoque cognoscibile; unde et *cognoscibilitas* dicitur. Quoniam futura a Deo noscuntur (1ª *pars*), evidenter *aliqua* donantur obiectivitate. Haec 1) non est mere *logica*, qualem entia quoque rationis habent; futurum enim essentialiter perque *prius possibile* saltem est; hinc 2) ad minus gaudet obiectivitate possibilium, quae *maior* quidem est quam pure logica (est enim realis *metaphysica* cognitionem antecedens). 3) Sed neque haec sufficit; per ipsam enim aliquid redditur cognoscibile pro scientia simplicis *intellegentiae;* nunc autem in futuro obiectivitas quaeritur *pro visione*, seu quaeritur cognoscibilitas futuri, *qua talis.* Iam quod tota etiam cognoscibilitas talis visionem praecedat nec a visione causetur, in 1ª parte non obscure apparuit; nullus id simpliciter negabit scholasticus. Adhuc quia hoc punctum, in se grave, cumque gravi conexum libertatis dogmate, radicaliter explicat contingentiam actus sub certa etiam eiusdem praescientia ponendi, separatim nunc tractatur. Cum autem de concreta ultimaque praeviae huius obiectivitatis constitutione nihil adhuc praeaccipiamus, haec quoque pars *dogmatice* sumi potest.

750. — *Prob.* 2ª *pars.* Sub dogmate libertatis, absolute (sine distinctionibus) acceptanda est formula Patrum: actus liber non ideo ponendus quia praevisus, sed ideo praevisus quia libere ponendus erat (1). Atqui hoc involvit futuro qua tali determinatam sui adesse obiectivitatem, cognoscibilitatem, *pro priori* ad aeternam ipsiusmet *cognitionem.* Ergo futuris determinata inest cognoscibilitas per prius ad scientiam.

Mai. Si enim aeterna actus visio causa esset *determinans* positionem eiusdem, nec actus ipse ullas in determinanda visione partes habuisset, in claro essemus plenoque *fatalismo.*

Min. Ex praemissa iam declaratione satis constat. Si ideo scilicet praevisus quia ponendus, pro priori ad cognitionem eidem huic cognitioni determinatam offerebat cognoscibilitatem, neque actui sese adaptans cognitio naturam tetigit actus eiusve corrupit libertatem.

Nota. Ceterum per particulam « ideo, quia » nexum *vere causalem* in his non indigitari liquet; creatura in Deo *causare* nihil potest; nexus est merae *consequentiae*, i. e. si futurum tale non praecessisset, scientia de ipso non fuisset; seu: si obiectivitas futuri praecedenter erat determinata, scientia de illo debuit dari. « *Ideo* praescire Deum aliqua, *quia* sunt futura; intellegendum est secundum *causam consequentiae* » (S. Th. 1 p., q. 14, a. 8, 1).

751. — *Pars* 3ª. Cognoscibilitas futuri contingentis constituitur unoquoque futuro formaliter seu *in se* sumpto, *non causaliter* seu in causa sumpto.

Praenota. St. q. Futurum (ut supra) quod non est sed erit, est quid *concretum*, aliquod factum, eventus aliquis; eius forma est *futuritio*, quae definitur exsistentia non nunc sed postea; est forma denominans futurum sicut *praeteritio*, i. e. exsistentia non nunc sed *antea*, est forma denominans praeteritum; et *praesentia*, i. e. exsistentia *nunc*, est forma denominans praesens. Evidenter obiectivitas seu cognoscibilitas futuri, quae antecedit scientiam (2ª *pars*), et ad quam Deus intuitum ducit, est ipsa futuritio determinata et in concreto futurum ipsum. Igitur cognoscibilitatem futuri ab unoquoque constitui futuro, in discussionem trahere non licet, cum de causa ipsa hoc futurum determinante, utrum sit praedeterminatio etc., adhuc nihil dicamus aut supponamus.

At futurum dupliciter sonat duplicique stadio consideratur: ut futurum ac ut praesens; seu: ut adhuc est virtualiter in *causa*, et ut formaliter *in se* extra causam constitutum, hoc *solo* sensu « ut praesens »; hinc *futuritio* ipsa duplex distinguitur: *causalis* et *formalis.* Nunc iam quaeritur in quonam ex his statibus futurum verificet aeternam sui cognoscibilitatem, quae (ex 2ª *parte*) eidem competit; seu utrum Deus, hodiernum voluntatis creatae actum ab aeterno intuens, aciem in *actum* ipsum an potius in *voluntatem* dirigat, hoc sensu utrum actum in *actu* ipso cognoscat an in mea *voluntate.* Difficultas et quaestio versatur tota circa actum *liberum;* quod enim necessarius in sua causa optime praevideatur nemo negat; conceditur quoque in voluntate *nude* sumpta actum determinatum videri vel a Deo ipso non posse, pugnat enim cum nativa voluntatis indifferentia; dubitabitur solum de voluntate in quantum per concurrendi decretum ex parte Dei iam *aucta* ac mu-

---

(1) *S. Hieron.* « Non enim ex eo quod (Deus) scit futurum aliquid, *idcirco* futurum est; sed quia futurum est, Dominus novit, quasi praescius futurorum » (Ad Hierem. 26).

nita. Decretum omnes admittimus, sed valde diverse; alii ut *praedeterminans* voluntatem ad unum, alii *ut intrinsece indifferens* (1).

752. — *Opiniones.* 1ª. S. Thomas, Capreolus, Caietanus, Ferrar. cum omnibus thomistis ante Bañez perpetuo docuerunt doctrinam huius 3ae partis, i. e. cognoscibilitatem determinati futuri contingentis, in ipso reponendam esse *formali* futuro; cum *causa* essentialiter *indifferens* futuritionem determinare nonnisi disiunctive possit (2). Atque his in idea capitali consenserunt ac consentiunt universaliter quicumque decreta praedeterminantia, condeterminantia, recusant.

2ª *Sententia.* Auctores horum decretorum (licet adhuc quaestio de decretis non sit), quia cognoscibilitas futuri facilius sub decreto in *causa*, difficilius determinetur in *futuro ipso* in se, ex se, eo quod adhuc non exsistat, vel nonnisi in vi decreti determinate exsistens videri queat, potius negant duplicem pro casu utilem futuri statum, totumque ad actualem spectans futuri cognoscibilitatem in ipsa reponunt *causa* futuri ad hoc prae alio iam determinata; vel potius reponunt in decreto Dei *actuali*, causam determinante. Brevi: veritas (aiunt) in *facto* vel eventu ipso adhuc non exsistit saltem ante et independenter a praedeterminatione decreti. Ergo quaeratur in causa sub decreto.

Observa nunc de cognoscibilitate futuri quaestionem versari, utcumque hoc in utroque statu constitutum intellegatur (sive per determinans, sive per indifferens decretum). Quia tamen pro complexivo systemate proque futuri constitutione decreta essentialia iuxta omnes sunt, etiam puncta partialia aliter et aliter praeformata intellegentur pro diversa decretorum indole apud alios et alios; immo nisi supponeret decreta *determinantia*, nullus ex thomistis auderet futurum *in causa* iam cognoscibile propugnare.

753. — *Prob.* 3ª *pars.* 1. Deus futura contingentia ab aeterno scivit (1ª *pars*); unde horum cognoscibilitas alicubi erat ab aeterno constituta, independenter sane a scientia (2ª *pars*). *Atqui* non in futuro causaliter sumpto, i. e. non in eius causa (in voluntate) etiam per decretum aucta et in sensu composito decreti determinata ad unum. *Ergo* in ipso futuro in se.

Min. a) *In mera voluntate.* In causa indifferenti seu per suam essentiam ad utrumlibet se habente, ab ullo unquam intellectu determinationem ad unum ex extremis reperiri pugnat; esset videre alicubi quod ibi nec est nec esse potest.

Min. b) *In voluntate sub decreto* determinante. 1) Tale decretum aperte libertatem destruit (ostendimus in Psych.; rursum in tract. de concursu, prop. LXVIII). Ergo cognoscibilitas contingentis sic non constituitur.

2) Sub illo decreto natura voluntatis *non mutatur* (necessario concedunt), sed determinatur ut iuxta *suam* naturam, i. e. *libere*, ponat actum A; aliunde voluntas manet vera actus *causa*. Atqui in *causa libera* nequit actus A videri. Ergo non videtur in *causa* etiam sub tali decreto; igitur nec in ipso futuro, nec in causa. Ad summum videbit illum Deus in sua propria voluntate decernente actum illum utcumque poni; id autem exit a quaestione.

---

(1) Nemo sane cognoscibilitatem futuri aut constitutionem determinatae futuritionis admittit sine *decreto concurrendi*. Igitur Gonet et Goudin, contrarium Molinistis attribuentes, si supponunt decretum *determinativum*, verum aiunt; hoc enim illi penitus respuunt; si supponunt *nullum* ab illis decretum requiri, falluntur (Cfr. tr. de Concursu).

(2) Caietanus sese in hoc excessit, obligans futura formalia ut physice Deo praesentia ab aeterno sisterent, quia aliter *incognoscibilia*. — Sed de hoc in prop. XLIII.

3) Clare in his non solum ab Angelico recedunt, prohibente intuitum Dei nisi in actum formalem cadere, ideoque damnante alibi quam in actu ipso eiusdem constitui cognoscibilitatem (1), sed rationem intimam destruunt sensumque classicae formulae (Cfr. 2ª *pars*). Iam *non:* ideo Deus praevidit quia *actus ponetur*, sed ideo praevidit quia *ipse* sic eum esse *determinavit;* proin a fortiori quia iam destructa est libertas *a scientia*, et antea *a voluntate* Dei.

754. — *Observa.* Ceterum omnes fatemur aeternum illum intuitum « quo ea inspicit esse tunc quando sunt », « ut praesentia sibi »... quid captu difficile esse, sed ideo *divinum* Deoque necessarium non solum ob invariabilitatem, sed ob impassibilitatem Dei eiusque scientiae. Hinc

755. — *Prob.* 2. Ratio adversariorum maxime illa est, quod futura contingentia, in ipsorum *formali* esse sumpta, actuali teneantur carere etiam pro Deo aeterna cognoscibilitate, eo quod *actu non sint;* prius enim est esse quam esse cognoscibile, « unumquodque cognoscitur secundum quod est in actu », et similiter. *Atqui* ratio nulla est. *Ergo* ipsum futurum secundum formale esse aeternam sui cognoscibilitatem constituit.

Min. 1º Si cum non erant, cognoscibilitate carebant, etiam ea carebunt, dum sunt. Nam scientia Dei, non invariabilis solum (quae non accrescat aut minuatur), sed impassibilis etiam est; i. e. rebus in esse venientibus, ab iisdem patitur nihil; respectu enim earum eodem nunc pacto se habet Deus, quam prius et ab aeterno, velut incommunicatus, « quasi a longe »... Ergo futura aut ab aeterno erant *sic* (i. e. ut aliquando exstitura) cognoscibilia Deo, aut nunquam sic; seu: aut ab aeterno, cum non erant, habebant obiectivitatem sibi propriam, aut eam pro visione divina nunquam habent. Ergo « actu exsistere » vel « actu non exsistere », si exstiturum sit, ad constitutionem cognoscibilitatis futuri formalis confert nihil. « Quidquid per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in *tota* sua aeternitate intuetur *quasi praesens, nec tamen* quod quadam parte temporis agitur, *semper fuit exsistens* » (1º c. G., 66, 6). — *NB. Praesens* est quod nunc esse actuatum habet; praesentia rei est actuatio nunc τοῦ esse rei.

Min. 2º Illorum rationem Angelicus dissolvit varie: *a*) « Intellectus divinus intuetur ab aeterno unumquodque contingentium..., prout est in esse suo determinato; cum enim re exsistente, ipsam rem videat, prout in suo esse determinato est, *aliter* cognosceret rem postquam est, *quam* antequam fiat, et sic ex eventibus rerum aliquid eius *accresceret* cognitioni... Unde... omnia *ut praesentia* uno intuitu *procul* videt, quasi ab aeternitatis specula... secundum quod *suis* temporibus praesentia sunt » (1º Dist. 38, q. 1, a. 5, c. et ad 7). *b*) « Intellectus non solum adaequatur his, quae *sunt actu*, sed etiam his, quae actu non sunt; praecipue intellectus divinus, cui idem est praeteritum et futurum. Unde quamvis res *non fuerint* ab aeterno in propria natura, intellectus tamen divinus fuit adaequatus rebus in propria natura futuris in tempore » (De Verit., q. 1, a. 5, ad 11).

---

(1) Pauca sufficiant. α) « De contingentibus certam (Deus) cognitionem habet, quia etiam *antequam fiant*, intuetur ea, *prout sunt actu in suo esse*... Contingentia, licet prout sunt *in suis causis* virtute futura exsistentia, *non sint determinata* ad unum, ut de eis certa cognitio *haberi possit*, tamen prout sunt actu *in suo esse*, iam sunt determinata ad unum; et potest de eis certa haberi cognitio « (Comp. Theol., c. 133).

β) » Alio modo potest considerari contingens ut *est in sua causa;* et sic consideratur ut futurum... Et sic contingens *non* subditur per certitudinem *alicui cognitioni* » (1 p., q. 14, a. 13 c.).

Corollarium. Ergo futurum ipsum in se, vel etiam futuritio ipsa formalis, vel etiam veritas cuiusque futuri formaliter ac in se sumpti, est ratio logica, praesuppositum, *condicio sine qua non, logicum* determinativum... divinae scientiae de hoc determinato futuro. Nempe si haec praevie veritas non datur, nec scientia visionis ad hoc futurum terminari potest. Dicitur *ratio logica* ex hoc nexu inter futurum in se seu veritatem eius et fixam hanc scientiae terminationem; non vero *causa physica* scientiae, cum aliquid ab aliquo in Deo eiusve intellectu *realiter causari* manifesto pugnet.

Contra 1am *partem.*

756. — *Obi. I.* Quaevis Dei scientia ab aeterno est, ac de re aliqua est. Atqui ab aeterno nulla fuit creatura: « erat, quando non erant res ». Ergo Deus praescius futurorum esse non potuit.

R. C. M. — *C. m.* — *N. c.* eiusque suppositum. *a*) « Non oportet quod illud, quod cognoscitur, sit *tunc* ens in sui natura (actuali) quando cognoscitur; sicut enim cognoscimus distantia loco, ita cognoscimus *distantia tempore*, ut patet de praeteritis, et ita non est inconveniens si cognitio (in Deo) ponatur de rebus non aeternis » (De Verit., q. 2, a. 3, ad 12). *b*) Res est sive actu exsistens, sive quae exsistet, sive quae exstitit, sive pure *possibilis.* Circa haec omnia datur scientia in Deo.

757. — *Obi. II* (Inst.). Deus futura intuens ab aeterno ut exsistentia, falleretur. Atqui Deus in nullo fallitur. Ergo nequit ab aeterno futura ut exsistentia intueri.

R. D. M. Si ea intueretur ut ab aeterno in seipsis realiter exsistentia, falleretur, *C.* Si ea ab aeterno intuetur ut in se exsistentia *tunc, cum* exsistent, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Ut in se ab aeterno exsistentia, *C.* Ut solum suo tempore exsistentia, *N. c.* « Ea inspicit esse *tunc quando sunt* » (*l. c.*, a. 12, c.). « Deus ea, quasi *longe* positus in aeternitatis speculo intuetur »; « supra quae omnia intuitus divinus cadit, secundum quod *suis temporibus* praesentia sunt » (1° D. 38, a. 5, ad 7).

758. — *Obi. III. Visio* habetur solum ad physicam rei *praesentiam;* secus cognitio est *abstractiva.* Atqui ab aeterno res nulla *physice* praesens erat (Deus non ab aeterno creavit). Ergo nullum ab aeterno Deus videt futurum.

R. D. M. Visio *creata,* quae a re visa *produci* debet, *C.* Increata, quae mere ad rem actualem *terminari* debet, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Per visionem *productam* a re visa, *C. terminatam* ad rem, *N. cons.*

Nulla scientia Dei est *producta;* visio « in hoc *solo* distinguitur a scientia simplicis intellegentiae, quod illa (haec) repraesentet res in statu purae possibilitatis, haec vero (illa) in exercitio determinato futuritionis vel exsistentiae » (Ioa. a S. Th. — De Deo, q. 14, disp. 18, a. 3, VIII initio).

759. — *Obi. IV.* Quaevis Dei scientia invariabilis est. Atqui scientia circa futura, si daretur, variabilis esset; futura enim potuerunt vel nulla vel alia esse. Ergo Deus futura non novit.

R. D. M. Invariabilis est, i. e. semel habita non potest in aliam converti, *C.* Est invariabilis simulque absolute *necessaria,* seu quae alia esse in Deo absolute non potuit, *Sd.* Scientia de obiecto primario ac secundario possibilium, *C.* Etiam de futuris et futuribilibus, *N. M.* — *Ctr. m.* i. e. non absolute necessaria sed *contingens, C.* In sua contingentia iam variabilis, in aliam transire potens, *N. m.* — *D. par. rat.* Potuerunt ab aeterno aliter decerni vel aliter futura esse cognosci, *C.* Semel eisdem alicubi fixatis et sic cognitis, mutari in alia queunt sive re sive cognitione, *N. rat.* — *N. c.* — *NB.* Distingue inter *contingens* et *variabile.*

760. — *Obi. V.* Omnia Deus in essentia Dei cognoscit. Atqui quod futura determinata sive necessaria sive libera in essentia Dei videantur, pugnat; haec enim cum creatione intrinsece non conectitur (creatio est libera) nec per unum magis est quam per aliud imitabilis, sed ex se aeque indifferenterque ad omnia se habens. Ergo determinata futura Deus cognoscere nequit.

R. 1° De medio aut modo *adaequato* cognitionis futurorum adhuc solum in ge-

nere egimus prop. XXXIX; exinde: *R.* 2° *D. M.* Ut per unicum medium subiectivum, *C.* Ut per unicum *obiectivum*, *Sd.* Ut per prius cognoscendum et ad alia *capacitans*, C. Ut singulas ad alia terminationes *determinans*, *Sd.* respectu possibilium, *C.* Respectu aliorum, *N. M.* — *Ctr. m.* Ut in medio subiectivo eminenti reliquorum, *N.* Insuper ut in *obiectivo*, *Sd.* Tamquam in mere per prius cognoscendo, ad reliqua capacitante, *N.* Insuper tamquam in obiecto motivo ad reliqua *determinante*, seu singulas signante terminationes, *Sd.* Circa pure possibilia, *N.* Circa reliqua, *C. m.* — *C. rat.* — *N. c.* — *Explicatio* in prop. XXXIX. — Plenior infra post tractatum de futuribilibus (n. **834**).

761. — *Obi. VI.* Creaturas in tempore creatas, ab aeterno *physice* praesentes esse pugnat. Atqui pro aeterna visione requiritur aeterna illarum physica praesentia. Ergo Deus ab aeterno non videt futura.

R. C. M. — *N. m.* De natura praesentiae requisitae agemus propositione XLIII.

762. — *Obi. VII.* In aeternitate Dei omnia sunt Deo praesentia, nihil aut praeteritum aut futurum. Atqui si Deus ab aeterno videret quae adhuc physice in se non sunt, in aeternitate Dei daretur aliquid Deo non praesens. Ergo aut futura Deus non videt, aut haec realiter in se ab aeterno exsistunt.

R. 1° In his confunditur *intrinsecum* aeternitati cum *extrinseco* eidem, seu confunditur aeternitas formalis cum virtuali, i. e. cum eiusdem aequivalentia temporibus; unde

R. 2° *D. M.* In ipsa *intrinseca* aeternitate et in cognitione *entitativa*, *C.* In *extrinsecis* aeternitati et in *terminis* cognitionis, *Sd.* Comparando creaturas invicem, alia non est praeterita aut futura respectu alterius, *N.* Respectu aeternitatis, *Sd.* Dum singula disiunctim distanterque in se exsistunt, singula praesentia quidem sunt *formali* aeternitati eidem, *virtuali* tamen eiusdem parti differenti, *C.* Aeternitati formaliter toti simulque virtualiter toti, ut dum verum sit aeternitatem in se exsistere, verum quoque sit singulas res in se exsistere, *N. M.* — *Ctr. m.* Daretur aliquid physice non praesens toti *virtuali* aeternitati, i. e. physice non exsistens *semper ac* aeternitas exsistit, *C.* Aliquid, dum exsistit, aeternitati *formaliter* toti non coëxsistens, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1° Nihil est *futurum* aeternitati, quatenus aut exsistat *postquam* aeternitas cessavit esse, aut positis *momentis aeternitati intrinsecis*, quibusdam non coëxsistat, quibusdam coëxsistat; momenta ut divisibilitas pugnant cum aeternitate *formali*. 2° Sed si partes in extrinseco sumantur reali vel imaginario tempore, necnon *in virtuali* aeternitatis aequivalentia his, tunc certe una res coëxsistit *uni* parti, alia *alteri* parti aeternitatis. Ideoque verum est non omnia coëxsistere semper ac aeternitas exsistit. Hinc Deus « *erat*, quando *non erant* res ». Sed non vicissim: aliquid erat quando aeternitas non erat; hoc sensu aeternitas ambit omne tempus.

Deus videt actus a beatis sine fine eliciendos.

763. — *Obi. VIII.* Ex *actibus beatorum.* Si Deus ab aeterno omnia futura videt, omnes beatorum futuros actus ab aeterno videt. Atqui id fieri nequit. Ergo Deus ab aeterno non omnia futura videt. — *Min.* Actus, quos videt, aut sunt syncategorematice, aut categorematice infiniti. Atqui neutrum. Primum in scientiam Dei successionem infert ac *variationem;* patet; alterum eamdem *falsificat* scientiam; nam actus a beato positi nunquam erunt actu infiniti, sed augibiles semper. Ergo falso videbuntur *actuati* actu categorematice infiniti.

R. C. M. — *N. m.* quoad 2um membrum, quod eligo. *Prob. D.* i. e. nullo determinato aut assignabili momento actus iam *positi* sunt actu infiniti, *C.* Actus per *aeternitatem ponendi* non sunt actu infiniti, *N. rat.* — *N. c.*

Inst. 1. Actus etiam ponendi esse nequeunt actu infiniti. Secus enim multitudo actu infinita *constitueretur* per *additionem* successivam unitatis, nec enim aliter actus a beatis ponentur. Atqui infinitum actu sic efformari pugnat. Ergo actus a Deo visi etiam ut ponendi esse nequeunt actu infiniti.

R. N. m. s. — Ad prob. *N. M.* Multitudo *visa* actu infinita est, quia vero mul-

titudo est rerum actu *ponendarum*, etiam haec est actu infinita; attamen nunquam est *constituta* in re, quia constitui debet *per aeternitatem*, ita nempe ut in eius constitutione ad finem constitutionis perveniri *nunquam* possit, quia *fine caret*; *non clauditur*. Igitur post quamlibet unitatis additionem ne Deo quidem ipsi unquam dicere licet: *nunc*, tali actu posito, iam multitudo est actu infinita; id enim videns, contradictorie videret multitudinem in *aeternitate sine fine* ponendam et *cum fine* ponendam. Unde solves

Inst. 2. Si videt actu infinita et videt actu *exercenda*, quoniam exsecutio successive est facienda, videt infinitum actu percurri seu successive pertransiri. Atqui id rursus pugnat. Ergo videt absurdum.

R. D. M. Videt multitudinem actuum actu infinitam successive pertransiri, per totam tamen *aeternitatem*, ideoque *nunquam* fore ut tota pertranseatur, *C.* Videt quod *aliquando* illa multitudo transacta erit tota, *N. M.* — *Ctr. m.* Pugnat illam pertransiri aliquando *totam*, *C.* Pugnat videre illam, actu infinitam, in *aeterno* tamen pertransire sese moventem, quin ad finem unquam perveniat, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Illa multitudo *tota* quidem actu percurrenda erit seu exsecutioni mandanda, secus non esset multitudo *futurorum;* at percurrenda est per *aeternitatem;* id autem significat *nunquam totam* percurri, secus non esset percurrenda per *aeternitatem seu sine fine*, sed in tempore *cum fine.* — Igitur multitudo simul a Deo visa ponendorum est *actu* infinita, sed multitudo *positorum* nunquam erit *actu* infinita, sed semper *in cursu;* ideoque nec finitorum additione infinitum actu unquam consurget. — Ne ponatur finis (unitas terminalis) nec in *simul a Deo visis*, nec in his quae *successive a beato quasi calcantur in visis;* secus cessaret aeternitas; quod repugnat.

Contra 1am *et* 2am *partem.*

764. — *Obi. I.* Praescientia futuri libertatem evertit. Quidquid enim Deus futurum esse praescivit, necessario erit. Atqui quod necessario erit, liberum non manet. Ergo praescientia futuri libertatem evertit.

R. D. M... Necessario necessitate *antecedente*, *N.* — *Consequente*, *C. M.* — *Ctr. m.* Quod necessario erit necessitate antecedente, nequit poni simul libere, *C.* Quod necessario erit necessitate consequente, nequit esse *libere*, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1° In signo *priori* ad aeternam cognitionem *actus liber* in se determinatus divinae se obtulit visioni (2a *pars*); unde aeterna visio ad illam praecise volitionem terminatur, quam libere voluntas eliget, non ad aliam. Evidenter visio, eo quod se terminet ad futurum A, naturam actus A non immutat, non tangit; qualis in se est, talem relinquit; si liber, liberum... 2° Ponetur utique *infallibiliter* prae contrario, quia illum suo tempore a voluntate electum Deus certo praeviderat; quae proin necessitas ex infallibilitate veniens, *consequens* est ac dicitur: « quidquid est, dum est, necesse est esse ».

Inst. Sed tandem, si datur praescientia: « quod ego nunc studebo », a studendo abstinere non potero; « quod ego nunc peccabo », a peccato me fugere non dabitur. Ergo de praevisis non est libertas.

R. D. Ant. Non possum impotentia *antecedente* determinationem voluntatis, *N.* Impotentia *consequente* electionem unius partis, *C. Ant.* — *N. c.* « Quod est nequit simul non esse ».

765. — *Obi. II.* Idem aliter. Posito *antecedente* « Deus praevidit hanc actionem », fluit *consequens* « haec actio ponetur ». — Ergo praescientia libertati opponitur.

R. D. Ant. 1° Necessitate *consequentiae*, *C. Consequentis*, *N. Ant.*

2° Necessitate *condicionali*, *C. Absoluta*, *N. Ant.*

3° Fluit in sensu *composito* scientiae, *C.* In sensu *diviso*, *N. Ant.*

« Hoc autem non est necessarium absolute, veluti a quibusdam dicitur, necessitate *consequentis*, sed sub *condicione* vel necessitate *consequentiae*. Haec enim condicionalis est necessaria: si Sortes videtur sedere, Sortes sedet » (1° c. G., c. 67, fere in fine).

Explico. a) Ex dato antecedente *legitime* illud *consequens* infertur, ideoque necessitas *consequentiae* datur in casu; at inde circa naturam *consequentis in se* nihil

sequitur aut influitur; manet quale erat in se ante scientiam; si necessarium, necessarium; si liberum, liberum. — Ex hoc antecedente: « Iudas peccans tradidit Dominum », fluit consequens: « Ergo exstitit in mundo aliquis *homo* et *peccator* » — datur necessitas *consequentiae;* non autem *consequentis;* nec enim necessario exstitit homo; nec necessario fuit peccator. — *b*) Elucet iam significatio 2ae formulae: Posita condicione « si tradidit », necessario verum est: « exstitit peccator », necessitate proin *condicionali.* Sed absolute non est necessarium « exstitisse peccatorem ». — *c*) In sensu *composito* scientiae, i. e. *posito* quod exstiterit scientia de peccato, peccatum ponetur necessitate sensus *compositi;* sumpto autem peccato in se, divisim a scientia, non ponetur necessario sed libere; sensu *diviso* (a scientia) actus ille non necessario ponetur.

766. — *Obi. III.* Si Deus ideo scit actum esse ponendum, quia actus exstiturus est, et non e converso; tunc actus ille erit *causa cognitionis* de hoc actu prae contrario. Atqui nulla res est *causa* divinae cognitionis. Ergo Deus non *ideo* cognoscit tale futurum, *quia* illud erit tale.

R. D. M. Actus ipse erit causa *physica* physice *producens* actumque cognitivum Dei determinans, *N.* Causa *logica* (proprie *condicio*) terminationis, seu ratio cur cognitio *improducta* terminetur praecise ad illud prae alio futurum, *C. M.* — *Ctr. m.* Nulla res est *causa physice* productiva actus cognitivi, *C.* Nec ratio logica, determinativa terminationis secundariae, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Nulla res esse potest *causa essendi* rei *increatae,* qualis est cognitio entitativa Dei; nec esse potest obiectum *formale,* determinativum specificae entitatis eiusdem. — At esse *debet* ratio *consequentiae,* seu talis praecise terminationis ad talem prae alio terminum ex contingentibus secundariis. Est solutio Aquinatis: « *Ideo* praescire Deum aliqua, *quia* sunt futura; intellegendum est secundum *causam consequentiae,* non secundum causam *essendi.* Sequitur enim, si aliqua sint futura, quod Deus ea praescierit; non tamen res futurae sunt causa (physica) quod Deus *sciat* » i. e. quod habeat *actum* cognoscitivum, qui *Deus* est (1 p., q. 14, a. 8, ad 1). — Unde S. Aug. « Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum praescivit... sed si (homo) peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit » (De civit. Dei, L. 5, c. 10).

767. — *Obi. IV* (Inst.). Scientia divina est *causa rerum.* Atqui causa est prior effectu. Ergo cognitio futuri adest in Deo per prius ad ipsum futurum in se.

R. D. M. Scientia simplicis *intellegentiae, C. Visionis, N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Cognitio futuri ut mere *possibilis, C.* Ut aliquando *actualis, N. c.*

Explico. 1° Deus, agens sapiens, ante decretum creationis, omnia possibilia intellegit, deinde creanda eligit; sic cognitio influit in effectionem rerum una cum voluntate. Sed est cognitio simplicis intellegentiae, cui adiungitur voluntas. 2° Sequitur scientia *visionis;* haec mere contemplatrix est, non influit in res, sed ab his quasi influitur, non quidem effective, sed logice modo dicto in solutione praecedenti.

Contra 3am *partem.*

768. — *Obi. I.* Dicere cognoscibilitatem determinati futuri contingentis constitui ipso formali futuro, est concedere veritatem enuntiabili in se de determinato futuro contingenti. Atqui id concedi nequit. Ergo cognoscibilitas futuri non ita constituitur. — *Minor.* Veritas fundatur in esse. Atqui futurum in se adhuc non habet esse, sed est indifferens ad esse. Ergo enuntiabile de determinato futuro veritatem in se non habet.

R. C. M. de veritate fundamentali ontologica, de qua unice quaestio esse potest. — *N. m.* — Ad eius prob. *D. M.* In *aliquo* esse sive actuali sive possibili, *C.* Praecise in esse *actuali, Sd.* Pro scientia quavis, *N.* Visionis et visionis divinae, *Sd.* In esse actuali sive pro nunc sive pro ante sive pro post, *C.* Praecise pro nunc, *N. M.* — *Ctr. m.* Non habet adhuc esse ullum etiam τοῦ *possibilis, N.* Actuale, *Sd.* Pro nunc, *C.* Pro postea et quidem determinatum, *N. m.* — 2am *p. D.* Est indifferens, i. e. erat absolute indifferens et in abstracto, *C.* Etiam nunc in concreto et hypothesi signationis pro determinata parte est *indifferens, N. m.* — *N. c.*

769. — *Obi. II.* Usque ad momentum positionis actus, actus a libertate nascens caret determinatione, atque hinc determinata cognoscibilitate. Atqui futurum contingens huius classis est. Ergo fundare nequit anteriorem cognoscibilitatem.

R. D. M. Pro intellectu *successive* vivente et ad physicam solum rei praesentiam momenti actualis rem ipsam videnti, *C.* Pro intellectu *simul* vivente, omnia cuiusvis temporis momenta resque physicas ab aeterno intuente, *Sd.* Etiam pro hoc ratio determinatae cognoscibilitatis est *positio actus* determinato illo momento, *C.* Etiam pro hoc positio actus non constituit actualem determinatam visibilitatem sui usque ad adventum momenti illius in quo ponitur, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Pro nostro intellectu, *C.* pro divino, *N.*

Pro cuius intellectione: aliud est *tunc solum* haberi *positionem actus*, aliud tunc solum haberi determinatam actus tunc ponendi *cognoscibilitatem.* Qui haec identica esse contendat probare id tenetur, contrarium enim ostendimus. Unde et ad illud

770. — *Obi. III.* Quod non est, non est saltem vi sui actu cognoscibile ut exsistens. Atqui futurum non est. Ergo nequit constituere ex se et vi sui propriam cognoscibilitatem.

R. D. M. Quod nunquam est, *C.* Quoad aliquando est sed non actu, *Sd.* pro creato intellectu, *Tr.* pro divino, *N. M.* — *Ctr. m.* Actu, *C.* Nec unquam, *N. m.* — *N. c.* (Ut ad *Obi. II*).

771. — *Obi. IV.* Veritas habetur cum affirmatur rem esse, et res est, aut negatur rem esse, et res non est (Arist.). Atqui in casu rem esse affirmatur, et res non est. Ergo futurum ex seipso veritatem proin cognoscibilitatem sui (cum veritate) non constituit.

R. D. M. Et res est pro tempore *importato* per copulam, *C.* Pro alio tempore, *N. M.* — *Ctr. m.* Affirmatur rem esse *postea*, *C.* Nunc, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Astronomus certo praevidens, affirmat: eclipsis *erit* die A, et verum dicit, si res est *tunc*, *cum* affirmatur esse; falsum dicit, si eclipsis *nunc actu* exsistit, et non *tunc.* Ergo factum futurum fundat iam nunc veritatem, sed iudicii *actualis de futuro;* et iudicium nunc positum gaudet nunc veritate; proin factum futurum constituit actualem pro speciali intellectu cognoscibilitatem. Sic se habet Deus circa *omnia* futura.

772. — *Obi. V.* Pro Deo possibile ideo actu cognoscibile est, quia *actu* possibile est; et actu exsistens ideo est actu cognoscibile ut exsistens, quia *actu* exsistit. Ergo quod solum deinde est actu exsistens *tunc solum* erit *actu* cognoscibile ut exsistens, non *nunc.*

R. 1º Pro Deo actu possibile est actu cognoscibile. Atqui futurum est actu possibile. Ergo: *a*) Futurum est actu cognoscibile saltem *ut possibile;* ergo: *b*) non est verum cognoscibilitatem constitui solum per *esse actuale.*

R. 2º *N.* 2am *p. Ant.* Quod *actu* exsistat vel non supra Deum nihil influit, quod autem aliquando exsistat, utique influit in hoc quod iam possibile, per prius simplici intellegentia qua tale perceptum, charactere novo ac quasi sigillo induatur *actuationis* pro aliquando, atque scientia « visionis » prout tale percipiatur. Unde sicut videt Deus *praeterita* licet actualitate iam carentia, sic et *futura.*

773. — *Obi. VI.* Philosophus ait circa futurum contingens in neutram partem posse veritatem determinari. Atqui ubi veritas determinari nequit, ibi nec determinata adest cognoscibilitas. Ergo iuxta illum cognoscibilitas ab ipso futuro non constituitur.

R. D. M. Id docuit de contingenti futuro ut futuro seu *in causa*, forsan etiam de futuro ut praesenti seu in se, sed attendendo ad *humanum* intellectum, *C.* De futuro contingenti in omni eius statu et universim pro *quolibet* intellectu etiam *divino*, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Ab ipso futuro in causa, *C.* in se, *Sd.* pro humano intellectu, *C.* pro divino, *N.*

1. Sensus patet; quod si eius intentio contendatur *universalis* fuisse, tunc in hoc ut in aliis circa Deum, Philosophus a S. Thoma ceterisque catholicis ac provi-

dentialistis derelinquitur; cum certo sciamus *alicubi* talia determinari per prius ad cognitionem in alterutram partem.

2. A Philosopho maxime omnium recedunt praedeterministae, pro quibus vel *in causa*, in decreto, futurum contingens *determinatur;* id ad minus damnavit Aristoteles, de iuribus libertatis sollicitus.

Articulus IV.

DE AETERNA FUTURORUM PRAESENTIALITATE

Propositio XLIII. Ex triplici rerum cogitabili praesentia in aeternitate Dei, futura habent obiectivam actus secundi et obiectivam actus primi, nec mere talem sed determinata connotatione signatam; non autem habent physicam, nec eam D. Thomas accepit.

774. — *Praenotanda. St. q. et notiones.* Dum de cognitione et cognoscibilitate agebamus futurorum, perpetuus recurrebat sermo de ipsorum *praesentia;* aliqua enim omnino inevitabilis erat, cum cognoscibilitas sit praesentia; physicam vero passim innuebamus exclusam. — Hoc iam punctum expresse tractamus, potius colligentes quam de novo seminantes; solutio enim nunc danda in praecedentibus imbibita erat.

Tria praesentiarum genera in quaestionem veniunt: 1ª Praesentia *obiectiva intentionalis*, cognitione posterior eiusque fructus, hinc obiectiva *actus secundi;* est omnium *minima*, nulli cogitato etiam chimaerico non concedenda. 2ª Praesentia *physica*, seu actualis ontologica, qualem Sol nunc in horizonte lucens habet, prior visione, visionem causans; est omnium *maxima*, nulli actu non exsistenti concedenda. 3ª Praesentia *metaphysica*, seu potentialis ontologica, obiectiva ontologica, qualem nunc habent pure possibilia (formalia) in signo priori ad illorum cogitationem; est propria potentiarum obiectivarum, quae coram essentia Dei, fundamento (ut alias diximus), ad instar umbrarum velut consistunt; est *media* inter 1ªm et 2ªm. Quod si 3ª nuncupetur *obiectiva in actu primo* (apud Suarez aliosque), prima erit dicenda *obiectiva in actu secundo.*

In conatibus iam determinandi gradum praesentiae, futurorum scilicet praesentialem quasi intensitatem: *a*) *prima* praesentia nullius apparet difficultatis neque meriti; cum enim cuivis *cognito* (ente pure rationis non excepto) competat, per hanc solam nihil nunc solvimus; maiorem quaerere pellimur. *b*) *Tertiam* quoque futuris convenire liquet (cum futura vere ab aeterno *possibilia* sint); sed neque haec sine addito sufficit; constituens enim cognoscibilitatem pro simplici intellegentia, pro *visione* adhuc non constituit. *c*) Videtur iam sequi necessitas *secundae*, i. e. physicae; sed hanc, etsi utilem pro casu daremus, ob sui secum pugnantiam dimittere cogeremur. Igitur praesentia nunc requisita ad *tertiam* accedet; erit *tertia cum additione* characteris.

775. — *Prob.* 1ª *pars.* Habent obiectivam actus secundi. Ab aeterno Deus omnia praenovit futura (prop. XLII, 1ª p.); ergo futura ab aeterno habent *esse terminativum* divinae cognitionis, seu sunt ab aeterno *rationes cognitae. Atqui* in hoc consistit praesentia obiectiva *actus secundi. Ergo.*

776. — *Prob.* 2ª *pars.* Habent obiectivam actus primi. Futura in signo *priori* ad eorumdem cognitionem habent esse *possibilium* saltem; *a*) quia sunt vere possibilia; *b*) quia eorum cognoscibilitas etiam *ut futurorum* antecedit cognitionem ipsorum (prop. XLII, 2ª p.); ideoque in illo signo habent esse saltem possibilium. *Atqui* ad praesentiam obiectivam actus primi mere talem sufficit esse possibilium cognitionem praecedens. *Ergo.*

777. — *Prob.* 3ª *pars.* Obiectivitas futuri tenetur signata esse specialique elucens connotatione. Etenim futurum etiam *qua tale* cognitione ipsa non constituitur sed eidem praesupponitur; unde futuri etiam qua futuri cognoscibilitas cognitionem praeit. *Atqui* mera obiectivitas actus primi cognoscibilitatem constituit rei *mere possibilis. Ergo* futuri qua futuri cognoscibilitas ac praesentia constituta esse dicenda est per obiectivitatem possibilis novo signatam charactere.

778. — *Quaenam sit haec signatio.* Certe aut actualis est exsistentia (i. e. physica praesentia), aut quid *minus* sed in ordine τοῦ esse actualis positum. Primum excluditur in 4ª parte; igitur alterum. Id autem 1) in *concreto* est ipsum actu possibile simul connotans *esse actu deinde*, seu est possibile cum addito τοῦ *esse deinde;* tandem est actus liber in se, *futurum* ipsum in se. 2) In *abstracto* seu formaliter (quoad formam) est sua possibilitas connotans additum exsistentiae pro postea; tandem ipsa eius *futuritio* in se. Igitur praesentialitas in quaestione, si *formaliter* accipiatur, est quaedam *connotatio* atque etiam *relatio* actus possibilis *ad se* physicum. Iam *a*) ut relatio, quia possibili contingenter advenit, *praedicamentalis* est; quia vero neuter terminus est pro nunc realis-physicus, relatio est *logica* seu rationis. Sane ad veram alicuius cognoscibilitatem *realis* non est exigenda relatio; non exigitur ad hoc ut hominem possibilem noscamus eadem constare quidditate ac Petrum actualem, etc. *b*) Ut *connotatio* haberi potest quasi aliquid suo modo *reale*, est enim vere obiectiva; nec ad eam physica praeterea actualisque terminorum realitas est requirenda.

779. — *Prob. pro signatione hanc sufficere* τοῦ *possibilis connotationem.* Hac posita illud profecto possibile e campo simplicis intellegentiae ad campum scientiae visionis sine alio transit, ob iam novam cognoscibilitatem; seu exstante intuitu tempora ambiente, sub illo intuitu iam cadere aptum est. *Ergo* obiectivitas (cognoscibilitas seu praesentia) in casu requisita ac sufficiens eadem est τοῦ possibilis obiectivitas, per novam tamen τοῦ esse postea connotationem signata. Ceterum haec sufficientia non pro *quolibet* statuitur intellectu (*e vicino* solum res videre capace), sed pro *divino* potentissimo, pro quo *distantiae* temporis locique nihil sunt.

780. — *Pars* 4ª. Futura non habent praesentiam actu *physicam.* Est communior et vera contra Caietanum aliosque post illum plures.

Exponitur mens adversariorum. Hi dupliciter theoriam admittunt: 1) *Antiquiores:* Simpliciter ac sine ulla distinctione more Caietani. Hic in Summae studio, dum semel iterumque praeclarum illum evolvebat articulum 13 (1 p., q. 14), plene tandem est persuasus se et sensum contextus et solutionem problematis comperisse: res omnes physice seu cum suo reali esse ab aeterno divinae coëxsistunt aeternitati; nec alia fuit intentio articulum scribentis; ita quidem tamque *formaliter in vi* aeternitatis, ut si nullus ab aeterno *intellectus* esset, seu « si aeternitas (Deus) esset res *non cognitiva*

et lapis quandoque esset, esset vera praesentia sive coëxsistentia sine cognitione aliqua » (1).

2) Sed *alii*, quia explicatio Caietani, prout iacet, dure sonabat, paulo aliter opinantes binam in rebus induxerunt mensuram: *propriam* sui, et *alienam* altiorem. Ab aeterno res non secundum *propriam*, sed secundum alienam physice exsistunt. Videlicet: *a*) mensura *propria* (sui) res exsistunt solum *in tempore*, quia solum in tempore (quando ad extra producuntur) sunt in se effectus passive mutati seu passivitate aliqua effecti, et tunc possunt iam exsistere fundando mensurationem propriam, seu per mutationes successivas *temporis* proprias (crescendo, ex uno in aliud transeundo); ab aeterno autem physice sic exsistere nequeunt nec aeternitati coëxsistere, seu *b*) aeternitas, mensura altior (aliena) non mensurat res prout iam in se passive effectus sunt, sed prius prout praecise ab actione divina attinguntur ut terminus eius, quin adhuc externatae per passivam immutationem sint iam effectus (in facto esse); quia etsi in aliis causis « posita actione statim sequitur effectus », at « actio Dei in se est aeterna, et tamen habet effectum temporalem »; tunc igitur (i. e. ab aeterno) mensuratur res per mensuram actionis (divinae), seu per eamdem mensuram, qua mensuratur actio (2).

781. — *Prob.* 4ª *pars.* 1. Res ponuntur physice ab aeterno aeternitati praesentes aut simpliciter seu secundum mensuram *propriam*, aut secundum alienam. Atqui neutrum admitti potest. Ergo non sunt physice praesentes.

Min. 1ª *pars.* Tempus *reale* non exsistit ab aeterno, ut omnes tenemur profiteri, habuit enim *initium* cum mundo. Atqui rebus ab aeterno simpliciter physice praesentibus tempus reale ab aeterno exsisteret. Ergo res non sunt ab aeterno simpliciter physice praesentes.

Ad min. Tempus est numerus *motus...;* unde ibi exsistit, ubi exsistit motus successivus. Atqui rebus simpliciter seu in propria mensura ab aeterno exsistentibus, ab aeterno etiam ipse exsistit motus, omnino ut nunc. Ergo et tempus.

Ad min. Id significat esse in propria mensura; illae res essent effectus; iam effectus qua tales sunt contingentes, sunt mutabiles cum mutationibus cuique propriis, proin sunt corpora in motu per successivas in quantitate, qualitatibus, etc. variationes; secus naturae *mutatae* in alias essent, seu res non essent iam illae res. Ergo faciunt tempus.

Min. 2ª *pars.* Res physice praesens per mensuram tamen *altiorem* aeternitatis varie pugnat. *a*) Exsisteret *antequam* esset, quia cum sit ab alio, non a se, ideoque sit *effectus*, exsisteret quin adhuc esset effecta; mundus enim in *tempore* factus est.

a') Eadem est exsistentia rei nunc et in aeternitate (Ioa. a S. Th.), i. e. antea non erat effectus, exsistebat tamen cum exsistentia effectus ut nunc.

b) Esset Deus; nam duratio rei intrinseca (licet ab esse rei realiter distingui daretur) sequitur rem et sequitur τοῦ esse rei naturam. Atqui duratio rei esset aeternitas, seu actio *divina*. Ergo res esset *Deus*.

c) Per aeternitatem, qua durat actio divina antequam effectus exter-

---

(1) Cai. *l. c.* « Et sic cum dicitur omnia esse praesentia aeternitati, sensus est: omnia secundum suum esse in actu in rerum natura, sunt praesentia, id est, coëxsistunt aeternitati » (ib.). Praecesserat *Capreolus* cum paucis, licet dubie solum.

(2) Ita Ioa. a S. Thoma « De Deo », Quaestio X 1ae p., Disp. 9, a. 3, n. 4 et n. 26. Cfr. etiam sub nn. 17 et 18 plura, quae de mensura disserit, inacceptabilia.

nentur, et qua durante actione res physice exsistebant mensura *actionis*, aut res erant aliquid Deo *intrinsecum*, et tunc erant Deus (pantheismus); aut aliquid *extrinsecum* Deo, realiter ab ipso distinctum, et tunc habebant esse proprium limitatum in sua specie et individuo, proin exsistebant in *propria* mensura (contra intentum); vel erant *in fieri* aeterno, et tunc non erant res factae, quia fieri rei non est *res* facta; unde nec erant *futura* de quibus agitur, consequenter *futura* non exsistunt ab aeterno.

d) Pugnat rem physice exsistentem carere propria duratione subque aliena solum mensura ac duratione exsistere; sicut Petrum esse cum exsistentia Pauli; nec minus quod fieri aeternum terminetur ad effectum temporalem praesertim fieri *creativum*, quod essentialiter *momentaneum* est. Igitur si *fieri* fuit aeternum, etiam effectus aeternus fuit. Tandem res exsistens, aut exsistit permanenter ac immutate, aut mobiliter successive, sed semper *in se* modo sibi naturali exsistit perseverando in *suo esse*. Atqui hoc est durare intrinsece *propriamque* mensuram *in se* habere. Ergo pugnat aliquid esse sub *aliena* solum mensura.

Ergo altera haec explicatio, undequaque inconsistens, minus adhuc est probanda quam prior.

782. — *Prob.* 2. Aeterna rerum *physica* praesentia inutilis ad intentum apparet. Etenim divinus intellectus non pendet ab impressionibus, ab ullo sibi extrinseco, sed immo (ut supra) est incommunicate vivens; igitur aliunde, quam ab actuali *motu corporeo* rerum cognoscibilitas ei accedere debet; ideoque *actualis* rerum praesentia inutilis.

Pars 5ª. *S. Thomas talem praesentiam non accepit.*

783. — *St. q.* Quod in supra relatis phrasibus et comparationibus iam elucebat, explicite nunc licet brevi expendetur. Attentio ad praesentiam fertur physicam simpliciter seu modo Caietani sumptam; de hac enim sola dubitare licet; de altero sensu ne umbra quidem apud Aquinatem, sed contrarium (1).

Natura autem praesentiae physicae sensu ordinario explicatione non eget, est enim *eadem*, qua res nunc actuales donantur, et cum aliis simpliciter coëxsistunt; mentem suam clare expressit Caietanus: si lapis exsistendus erat in tempore, ille lapis exsistebat ab aeterno, coëxsistebat aeternitati, seu Deo, etsi Deus illum *non cognosceret*, i. e. non intueretur (Cfr. 4ªm p.). Dicimus id a mente Aquinatis alienum esse.

784. — *Prob.* 1. Tunc pulchrae comparationes, reduplicationes « quantum ad eius intuitum » perpetuo a S. Doctore adhibitae sensu carerent, inutiles falsaeque essent. Ergo physicam praesentiam non admisit.

Ant. comparationes. In 1º Periherm. (2) exponit celebrem illam *loci* cum *tempore* quoad absentiam: Ut homo in via collocatus videt aliquos solum, i. e. *vicinos* migrantes, sed « in aliqua excelsa turri constitutus... *simul omnes* videret » etiam absentes, quoad eius intuitum praesentes, ita quoad tempus « sub ordine temporis », homo in tempore (in via ipsa) exsistens « praesentia cognoscit tamquam *actu exsistentia*..., praeterita autem cognoscit ut memorata, *futura* autem non cognoscit in seipsis, quia nondum sunt. Sed

---

(1) Sit pro multis unus textus: « Licet contingens non sit determinatum quamdiu futurum est, tamen ex quo *productum est in rerum natura* veritatem determinatam habet; et *hoc modo super illud* fertur intuitus divinae cognitionis » (De Verit., q. 2, a. 12, ad 1). Igitur fertur in rem *productam*, in *effectum* proin in *propria* mensura exsistentem. Sed haec nimis manifesta sunt.

(2) Lect. 14, post med. « Procedunt autem... ».

Deus... quasi in arce aeternitatis constitutus... uno intuitu videt omnia quae aguntur... non quasi sibi futurum *quantum ad eius intuitum* ».

Atqui 1) comparatio inepte falsoque procederet, admissa rerum physica praesentia; 2) frustra insisteret in reduplicatione « quantum ad eius intuitum ». — Ergo hic ut alias explicare intendit quomodo res, quae « adhuc non sunt » ideoque physica carent praesentia, a Deo tamen « quasi essent » e specula conspiciantur.

Ad min. 1am *p.* Deus enim tunc non ut in arce, sed ut in *via* esset positus, quia res iam tunc sunt actu ipsi *praesentes*, ideoque eas ille *e vicino* videret, ut viator proximum viatorem. Unde et sequitur quod si aeternitas esset *incognoscitiva*, lapis in tempore exstiturus ibi *non adesset;* sed solum cum creatus in tempore propria duratione exsistit, coëxsisteret *tunc* aeternitati, sed non ab aeterno aeternitati.

Ad min. 2am *p.* Quia tunc futurum esset non « *quasi* Deo non futurum », sed simpliciter (i. e. sublato « quasi ») *non futurum;* esset enim *praesens*, nec sub reduplicatione *intuitus tantum*, sed simpliciter et quoad *entitativam* coëxsistentiam.

Revera etiam *homo* videt ea, quae actu sibi realiterque praesentia sunt; ergo si pro Deo sic sunt res, nihil novum ac speciale pro Deo conclusisset quasi miraculosi intuitus ad distantiam temporis *in oppositione* ad hominis intuitum.

785. — *Prob.* 2. Lex hermeneutica est ut de mente auctoris ex locis claris diiudicetur atque exinde sermones alii ancipites determinentur. *Atqui* clare expliciteque D. Thomas saepius negavit res, a Deo ab aeternitate visas, *in se* ab aeterno *exsistere;* locus autem Caietanum inspirans in se ambigue sonat. *Ergo* physicam praesentiam S. Thomas non admisit, sed exclusam habuit.

Minor abunde constat. *a*) Res ab aeterno Deus videt « quasi *longe* positus »; *b*) « cognitio ponitur (ab aeterno) de rebus *non aeternis* »; et « ea inspicit *esse tunc*, *quando* sunt ». *c*) « Supra quae omnia *intuitus* divinus cadit secundum quod *suis temporibus* praesentia sunt ». *d*) « Quidquid per totum *decursum* temporis agitur, divinus intellectus in tota sua aeternitate intuetur *quasi praesens*, *nec tamen* quod quadam parte temporis agitur *semper fuit exsistens* » (1o c. G., 66, 6). *e*) « Praesentia sibi sunt obiective in aeternitate, nimirum *quia cognoscit* in aeternitate ». « Uno intuitu videt omnia... et unumquodque secundum quod est in se ipso exsistens, non quasi sibi futurum, *quantum ad eius intuitum* ». Ergo est *futurum*, quantum ad *esse physicum* seu physice Deo *entitativo* non praesens, eidem non coëxsistens. Ergo praesens Deo solum qua *cognoscitivo* (contra assertum Caietani). *f*) Relatio Creatoris, Domini « non dicitur de Deo nisi *ex tempore*..., quia huiusmodi relationes *actuales* sunt, et exigunt *actu esse utrumque* extremorum » (1o Dist. 37, q. 2, a. 3). Ergo *excludit aeternum actuale esse* rerum, seu physicam earumdem ab aeterno praesentiam.

786. — *Corollarium* 1. Ergo praesentia futuri *non consistit: a*) in eo, quod futurum iam nunc exsistat realiter in parte nostri temporis; sic non esset *futurum* nec esset praesentia *futuri* sed praesentia *praesentis; b*) nec in eo quod futurum coëxsistat aeternitati *virtualiter* toti, licet cum exsistat, utique coëxsistet toti *formaliter* aeternitati, in se indivisibili; nulla enim creatura ab aeterno in aeternum exsistit, quod est exsistere per totam *virtualem* aeternitatis latitudinem; sicut nihil exsistit in tota *virtuali immensitatis* latitudine,

licet cum exsistit, toti coëxsistat immensitati *formali; c*) nec in eo, quod futurum *coëxsistat* iam aeternitati correspondenti ad *praesens* tempus, coëxsistet solum aeternitati, correspondenti ad tempus venturum. *d*) *Consistit* igitur in eo, quod intuitus Dei ab aeterno rem *suo solum* tempore exstituram, *quasi actu* exsistentem pertingat.

787. — *Corollarium* 2. Ergo *ratio cur* futurum aeternitati praesens semper sit, non in eo reponenda quod aeternitas singulis temporis partibus *entitative* simul coëxsistat (id enim pugnat), sed in eo quod *cognoscitive*, i. e. in eo quod *immutabilitas* scientiae Dei exigit idem semper videre. Ergo si per impossibile aeternitas Dei sine ullo subsisteret intellectu, affirmatio Caietaniana (quod *etiam tunc* omnes res semper eidem coëxsisterent) non teneret; in *illa solum* temporis parte coëxsisterent, in qua realiter exsisterent; tunc autem coëxsistentes aeternitati formaliter toti, non coëxsisterent virtualiter toti, sed *parti* solum *virtualis* aeternitatis. Nec dicas virtualitates esse *fictiones;* sunt enim eminens nobilisque capacitas infinito tempori realiter aequivalendi adeo, ut nulla temporis pars successive evolvatur, cui aeternitas cum altiori suo esse non coëxsistat. Hinc aeterna futurorum praesentialitas non debetur aeternitati *ut sic*, sed aeternitati *cognoscitivae*, seu *immutabilitati intuitus;* quo proin sublato intuitu, omnis in ipso futuro disparet *titulus*, ob quem prae sui ad mundum adventu, adhuc alicui praesens ab aeterno sit dicaturque. Clare tunc *destructa* manet aeterna futurorum praesentia, quam omnes tamen admittere cogimur, et de cuius *charactere* solum tota erat disputatio.

Observa. De via seu modo *adaequato*, secundum quem Deus futurum liberum cognoscit, solutio in capite sequenti de futuribili, ob identitatem difficultatis pro utroque et ob conexionem scientiae de futuribili cum scientia de futuro.

788. — *Obi. I.* Praesentia futurorum, qualis nuper dicta est, fictio videtur humani intellectus; seu futura tunc *non realiter*, sed *ficte* erunt Deo praesentia. Atqui fictio nostra nec scientiae Dei, nec humanae libertati, inservire potest. Ergo praesentia futurorum aliter esse dicenda est.

R. D. M. Tunc non *physice actu* praesentia sunt, *C.* Tunc pro divina scientia non adest *reipsa* sufficiens praesentia independenter a nostra *fictione, N. M.* — *Ctr. m.* Pura fictio, *C.* cum fundamento reali, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Dicta praesentia hoc sensu *realis* est quod divina cognitio ad *reale* terminatur caditque supra enuntiabile de *reali* (non de ficto, immo nec de pure possibili); etsi ego nihil cogitem nec fingam, ita cadit. Proprie tamen et in se praesentia ipsa non est actu realis sed rationis. Seu ut declarat Ruiz: Rem futuram ab aeterno aeternitati fuisse praesentem « hoc *formaliter* acceptum *non est* aliquod esse reale futurorum (actu), sed tantum esse rationis. Nec probandi qui concedere videntur ab aeterno fuisse aliquam *realem* praesentiam futurorum, quae *formaliter fuerit* aliquid reale » (1).

Obi. II (Inst.). Si praesentia formalis non est nisi denominatio *rationis*, tunc cognitio Dei, quae ipsam praesupponit, ab aliquo *ente rationis* pendebit. Atqui non sic. Ergo est physica.

R. N. M. Pendebit (logice) a *physico* illo futuro, sine quo praesentia non esset praesentia. Videlicet; etsi praesentia ipsa formalis non sit pro nunc quid physicum, quia tamen facta physica supponit aliquando exstitura, cum iis stricte conectitur ab iisque suo modo dependet.

---

(1) *Ruiz*, disp. 28, s. 8, n. 8. — Tertia autem sectione (n. 13) notat falso a Caietano dici quod licet aeternitas *intellectiva* non esset, res adhuc eidem realiter praesentes essent.

Declaratur magis. Cum visus videt rem *coloratam*, praesentia formalis praerequisita est *absentia impedimenti* pro visione (in colorato), est *ens rationis*, *relatio rationis;* quia tamen *physicas* supponit realitates, praesentia ipsa realis est. Immo praesentia formalis praesupponitur non ratione praecise sui, entis rationis, sed ratione fundamenti physici, quod est corpus coloratum actuale. Similiter divina scientia praesentiam praesupponit formalem, non tamen quia et qua est formalis, seu qua est ens rationis, sed ob eius reale fundamentum, quod est *futuritio rei*.

Unde: 1º Quod nos praesentiam futuri, quae in se nihil est, *per modum entis* concipiamus, ad praescientiam Dei nihil confert; haec sine illo aeque daretur et datur. 2º Confert solum *fundamentum* praesentiae, i. e. physicum futurum; sine hoc sane, nec illa daretur. 3º At ne hoc quidem requiritur *actuale;* si enim deinde esse debeat actuale, sufficit ut *nunc* aptetur visioni Dei. In quo nulla imperfectio sed magna effulget perfectio, non a futuro sed ab efficacia nascens divini intuitus, nec minus a scientiae *immutabilitate*.

Obi. III. S. Thomas nullam specialem admisisse videtur *praesentiam* saltem ut necessariam, totum satis explicari insinuans etiam per solas *ideas exemplares* rerum, quae ideae in divina iam adsint essentia: « Omnia, quae sunt *in tempore*, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet *rationes rerum* apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate » (1 p., q. 14, a. 13, c.).

R. sensum testimonii alium esse. Contra sententiam Averrois: *a*) Deus alia a se (attendit ad aliquando exsistentia) ab aeterno cognoscit, non solum quoad esse eorum virtuale, qualiter scilicet rationes rerum Deus in se continet (virtualiter — eminenter), seu qualiter in idea exemplari Dei (subiectiva), quae Deus est, continentur, id enim non tam esset *alia* a se quam *seipsum* cognoscere; sed etiam quoad *formale* cuiusque esse distinctumque. *b*) Quod quidem esse cuiusque distinctum, ab unoquoque praevie ad scientiam intuitui divino oblatum, est sua (i. e. rei) *praesentialitas*. *c*) Nec ulterius determinatur in quonam ea consistat sive respectu futurorum, sive respectu aliorum; hoc punctum his intactum relinquitur. Porro possibilium quidem praesentialitas, sicut esse eorumdem formale, determinatur ab essentia Dei, minime vero reliquorum; sed certum est intuitum Dei ab aeterno in omnium ferri distinctam praesentialitatem, ubicumque, utcumque praesentialitas haec determinate constituta esse censeatur.

Obi. IV (Inst.). Sed praesentialitas, quae a D. Thoma *rationibus* rerum loco citato additur, respectu futurorum videtur esse *physica actualis*, aut saltem aliquid formaliter praevieque ad cognitionem iam constitutum; quia intuitus *fertur* in illud, non *constituit* illud. Ergo affirmatur praesentialitas simpliciter actuque physica futurorum.

R. N. Antec. quoad 1am partem. Non determinatur quaenam illa sit; Physica actualis pugnat. Ergo alia est, in quam intuitus *fertur*, quin intuitus eam constituat. Unde *C.* 2am p. Antec. cum sua ratione. — *N. c.*

Explico. Dicta praesentialitas: *a*) Non est aliquid ab aeterno aeternitati *realiter* coëxsistens, sed eidem realiter coëxsistens *in tempore, quo* exsistit. *b*) Est tamen ab aeterno aeternitati coëxsistens *formaliter* ut *ordo rationis* cum reali fundamento in *facto physico*, quod in suo tempore realiter exsistet. Seu: *c*) Res creatae (explicat Ruiz) sunt ab aeterno aeternitati praesentes « non per esse reale, quod *habeant actualiter* ab aeterno, sed per esse reale, quod *suo tempore habebunt*, quatenus illud ab aeterno fuit verum et eo ipso propositum aeternis oculis et aptum ut videretur » (1).

Hinc: 1º « Ratio adaequata, cur futura sunt praesentia aeternitati, non est ex eo praecise quod aeternitas Dei tota simul coëxsistat tempori, sed quia Dei aeternitas facit scientiam *immutabilem*... » (2). 2º Nec inde sequitur quod scientia Dei proprie a futuro *pendeat*, sed quod esse nequeat nisi *verorum*. Quod autem haec sit *quidditas* divinae *scientiae* pendet a *quidditate Dei*, qui falli non potest. Aliquid *a seipso* pendere improprie dici potest.

---

(1) Ruiz, d. 28, s. 9, n. 10.
(2) Ruiz, ib., n. 18.

CAPUT IX.

De futuribilibus.

ARTICULUS I.

DE FACTO COGNITIONIS

PROPOSITIO XLIV. **Deus ab aeterno infallibiliter cognoscit libera condicionate futura.**

789. — *Praenotanda.* I. *Notiones.* Sicut *futurum* non est sed *erit*, *futuribile* non est sed *esset* si aliqua poneretur condicio. Illud *futurum absolutum* (simpliciter *futurum*), hoc autem *futurum condicionatum* appellatur.

Futuribile duplex est: *necessarium* et *liberum* prout a causa poneretur vel naturali, vel libera; quaestio est de *libero*, quod et *contingens* dicitur; licet enim sub data hypothesi *illud* determinate prae contrario poneretur, adhuc quia *elective* poneretur (ita ut sub eadem hypothesi eligi contrarium potuisset), ideo pars *haec* contingenter determinatur, seu ideo futuribile contingens est.

790. — *Observa.* 1º Futuribilia sunt *condicionata* omnia, nec omnia tamen *contingentia;* quaedam enim *necessario* evenirent, v. g. Si sol crearetur illuminaret... 2º Futuribilium contingentium *duae* distinguuntur *classes: Pure* talium, *non pure* talium. *a*) *Pure talia* sunt quae in statum *absolutum* non transibunt, quia eorum condicio non purificabitur; v. g. si Petrus ab atrio *fugeret*, Christum non negaret. Si Pontifex nunc ex cathedra diceret, nova definiretur veritas, etc. *b*) *Non pure* talia sunt, quae ob purificationem condicionis in absoluta convertentur, v. g. « si Petrus ab ancilla tentaretur, Christum negaret; si Benedictus moreretur, eligeretur Pius ». 3º Immo *futura absoluta*, prout in *signo priori* ad decretum creandi sumuntur, futuribilia sunt, seu sunt haec futura, sed *in priori* futuribilitatis stadio collocata.

791. — II. *St. q.* Tractatum de futuribili duo essentialiter integrant puncta: 1. eius cognitio *certa;* 2. *via* obtinendi. Nunc de primo.

792. — III. *Adversarii.* In actuali Scholasticae statu de facto ipso convenitur; nec semper tamen ita fuit. 1) Ex professo vix olim res discutiebatur; inter explicandum vero praedestinationis arcana, peccati permissionem, providentiam, et similia, Patres ac Theologi factum supponebant certae cognitionis (1). 2) Saeculo XVI Ledesma cum multis coaetaneis (O. P.) non quidem omnem etiam *coniecturalem*, sed utique *infallibilem* Deo negarunt scientiam (2). Excessus quidam fuit (transitorius) reactionis in *scientiam mediam*, cuius essentia et finis ille praecise est ut determinati futuribilis cognitionem

(1) « His, quos *praevidit, si* apud eos facta essent, suis miraculis crediturus, quibus voluit subvenit; aliis autem non subvenit, de quibus in sua praedestinatione occulte quidem sed aliud iuste iudicavit » (S. Aug., « De dono perseverantiae », c. 11, n. 25, citatus ab Angelico 3 p., q. 1, a. 5, 2).

(2) Prae primis negaverat *Zumel* O. P., 1 p., q. 14, a. 13. — Necnon *Cabrera* O. P. qui et modum eius *per decreta* condicionata horret: « Responsio frivola est, et in Deo imperfectionem constituit » (3ª p., disp. 1, § 22); *Cabezudo*, 3ª p., q. 63, a. 5, aliique.

sine ullo absoluto decreto explicet. 3) Sed iam dissensio remansit *de modo et via* huius scientiae. Ex *essentia sola* Dei, ubi omnia absolute necessaria sunt, adaequatam solutionem nullatenus fluere, nimis patebat; unde: α) *Banneziani* decretis determinantibus essentiam auxerunt; β) reliqui in ipsa libera creaturae electione determinativum quaesivere. De his agent duo sequentes articuli.

793. — IV. *Sensus propositionis et difficultas.* Deus in aeternitate fixe certoque novit quasnam cuiusque voluntas eligeret partes in singulis adiunctis, si crearetur in iisque poneretur adiunctis: Petrus, si in atrio sic tentaretur, negaret me; Tyrii, si apud eos miracula fierent, converterentur, etc. Cum sub iisdem adiunctis libertas potuerit ad aliud se determinare, consequenter Deus potuerit scientiam potius contrariam habuisse: Petrus non negaret, Tyrii non converterentur; difficilis apparet etiam pro Deo *determinata* unius membri prae alio tunc scientia. Difficultas inquam est in sciendo *determinate unum* sine libertatis iactura; nempe: scire *disiunctive* nullius est meriti; scire determinatum, *Deo* determinatore, potentiam Dei extollit sed inordinatam. Ergo exspectare tenebitur Deus ut e manu voluntatis hypothetice cadens « volo » prae « nolo » sibi obiciatur, consequenterque scientia terminetur determinate ad « volo « hypotheticum. In vi *simplicis intellegentiae*, quae ab essentia sola adaequate determinatur, aeque videbat « volo » et « nolo » sub hypothesi *ponibilia* (possibilia); sed sub eadem hypothesi *ponendum* fore « volo », manente « nolo » in regione pure possibilium, seu « volo » iam ad *scientiam mediam* transire, manente « nolo » pro scientia *simplicis intellegentiae*, id inquam difficile scire est; novum aliquod exigit determinativum; essentia enim sola absurde poneretur talia determinans. Nec confugere iuvat ad *intuitum* tempora penetrantem, ut circa *futura;* agitur enim de *futuribilibus*, quorum pleraque *nunquam* in se exsistent, immo *in signo suo* futuribilitatis *nullum.* Hinc singularis difficultas etiam pro *facto* ipso certae scientiae admittendo; quod aliunde factum non solum in Scripturis clare habetur Patribusque, sed etiam ratione certo evincitur.

794. — *Prob.* 1. Deus in sua sapientia, rerum creandarum ordinationes, complexus actuum sive necessariorum sive contingentium, disposuit iuxta perfectam rebus aptatam providentiam, iuxta providentiam rursus sive pro ordinariis seu normalibus, sive pro extraordinariis casibus, efficacem ac infallibilem. *Atqui* talia sic praeformare sine aeterna futuribilium contingentium scientia ipsi Deo non daretur. *Ergo* aeternam futuribilium scientiam habet.

Mai. Perfectio creatoris Dei dominique exigit res in suos fines cum perfecta providentia ducere, hinc in earum ducentia ad fines media adiunctaque naturis rerum ducendarum accommodare, ordinem universi semper etiam sub perturbationibus a libertate hinc inde inductis servando.

Min. 1) Sub libertate condiciones vitae passim ita turbantur, ut vita physica difficilis, moralis autem difficilior inde reddatur. Igitur nisi Deus futuras singulorum volubilitates praevidisset, media ad vitam apta, ad virtutem sufficientia, parare singulis nescivisset, immo mundum uno modo ordinatum caece creare *decrevisset.* Quae urgent si observes decretum creandi atque hoc ordine creandi semel positum idem semper inflexibiliter manere totumque simul ab aeterno formari.

2) Si ante decretum creandi Deus ignorabat quid homo *a*, populus *b*, in adiunctis *c* positus eligeret, quid et quamdiu precaretur, operaretur, etc.

iam nec *elementa* (nubes, pluvias, ignem) pro singulis historicis momentis coaptare potuisset; v. g. *a*) ignorans qui Farao taliter constitutus se gessisset, mundum deinde creare decernens cum Faraone, Moyse aliisque, omnia tam ordinate simul creare non potuisset, ut tali die plagae formarentur, invaderent; *b*) nec nubes sic disposuisset, ut siccitas trium dierum solum puniret Israëlem, nisi idololatriam praescivisset, ab Achab taliter constituto committendam.

Ergo aut providentia *nihil* est, aut *caeco* exercetur modo, aut praesupponit futuribilia *cognita* (1).

795. — *Prob.* 2. *Coniecturalis* de volitione prae nolitione in casu cognitio etiam a creato intellectu haberi potest. *Ergo* increato concedi debet maior, i. e. *certa*.

Conseq. 1º Status coniecturae status vialis est propriusque intellectus imperfecti, gradatim sese evolventis, terminalem perfectionem, certitudinem, per passus quaerentis. Ergo intellectus essentialiter perfectus statim in termino erit ac certitudine. 2º Dedecet Deum respondere non posse quaerenti: « Quid de me esset, si statum talem amplecterer ? »... Qui preces fundunt, de hac Dei scientia certi sunt, prout in Sacris etiam didicerunt Litteris (2).

Articulus II.

EXPLICATIONES FACTI MINUS VERAE

Propositio XLV. **Determinativum scientiae de futuribili contingente non sunt: nec decreta praedeterminantia, nec decreta condeterminantia, nec ideae divinae, nec voluntas creata comprehensive cognita.**

Introductio. Conspectus quaestionis et genera solutionum.

796. — I. *Problema ipsum.* Intellectus Dei ab aeterno cognoscit unum determinate futuribile liberum prae contrario; illud affirmans est verus; affirmans contrarium falsus esset; ideo autem in primo casu verus, quia affirmatio mentis extrinseco conformaretur obiecto seu eventui hypothetico: Tyrii, si miracula viderent, converterentur; ideo in secundo casu falsus, quia affirmatio non conformaretur obiecto; Tyrii, si miracula viderent, magis indurescerent. Etenim cognitio in quaestione versatur circa aliquid, quod *realiter*

---

(1) Cfr. *De San*, « De Deo Uno », 1º ; De Scientia Media, n. 183 — ex *Suarez*, « Opuscula »; « De Scientia condicion. futur. cont. » Libr. II, c. 4.

(2) « Si enim cognovissent (Principes), nunquam Dominum gloriae crucifixissent » (1 Cor. 2, 8). — « Festina, exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me » (Christus ad Apostolum — Act. 22, 18).

Sciuntur a Deo: 1) lapides condicionaliter clamaturi: « Si hi tacuerint, lapides clamabunt » (Luc. 19, 40); 2) homines condicionaliter vastaturi: « Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldaeorum, qui praeliantur adversus vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati, singuli de tentorio suo consurgent et incendent civitatem hanc igni » (Ieremiae, 37, 9); quae tamen condiciones impletae non sunt; 3) praevaricatio condicionaliter futura occasione uxorum alienigenarum: « Certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum » (3 Reg. 11, 2); 4) Saul condicionaliter interficiens Samuelem; Samuel: « Quomodo vadam? audiet enim Saul et interficiet me »; Dominus his tacite consentit (1 Reg. 16, 2); 5) Antichristus condicionaliter a Iudaeis recipiendus: « Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis » (Ioa. 5, 43); 6) Resistentia ad fidem condicionata in Iudaeis: « Si vobis dixero, non credetis mihi » (me esse Christum); etc. (Plura apud Ruiz).

foret, non circa aliquid aut pure possibile aut mere ab intellectu cogitatum; realiter autem foret (eveniret) primum, non secundum. Si autem intellectus, ut verus in illa cognitione sit, affirmare tenetur illud praecise futuribile, signum est futuribile reperiri *determinatum* quoad hypotheticam sui *realizationem per prius* ad illam cognitionem.

Quaeritur: undenam veniat huic futuribili determinatio et quasi sigillum hypotheticae *realizationis*, tam fixum, ut intellectus ab aeterno affirmans illud fore, dicat *verum;* negans, dicat *falsum.*

Id venire nequit: *a*) ex ipso *enuntiabili*, i. e. ex *necessaria* conexione subiecti cum praedicato; Tyrii enim de se non magis cum conversione quam cum resistentia conectuntur.

Nec *b*) ex sola *essentia* Dei, quae illum prae contrario statum in Tyriis determinet; essentia enim aeque se habet ad utrumque; determinat omnia et singula possibilia, sed pure *ut possibilia;* ne unam quidem creaturam *actualem* prae non actuali; minus adhuc unum *actum liberum* prae contrario.

Nec *c*) ex essentia per *decretum* aucta, quo voluntas Dei in uno extremo sigillum ponat realizationis, contrario inter pure possibilia relicto; facit quidem hoc quoad esse actuale unius creaturae prae alia, eiusque operationes necessarias; sed respectu actuum creaturae *liberorum* idipsum facere nequit sine manifesta *libertatis* iactura.

Nec *d*) ex voluntate creata in se seu in actu *primo* sub determinatis auxiliis et adiunctis, allicientiis, terroribus, constituta; voluntas enim ex sua natura indifferenter se ad utrumque habet. Veniet igitur

e) Ex *actu secundo voluntatis* seu ex electione, per quam de facto voluntas unum determinate *poneret*, omisso contrario; proin veniet ex ipso *futuribili electo*, quod libere prae alio a voluntate sumeretur, et hoc ipso illud iam signatum *manet.* Est unica solutio, quae nobis *vere probabilis* appareat, unica scilicet coram philosophicis principiis libertatisque iuribus solide consistere capax. Eamdem iam philosophice vindicare aggredimur.

797. — II. *Sententiae.* Ad duas classes reduci possent, dupliciter: 1º sic: *a*) Sententiae, quae solutionem e decretis derivant futuribile determinantibus; et *b*) Sententiae, quae *sine talibus* decretis rem explicant. 2º sic: *a*) Sententiae, quae solutionem saltem inadaequate a futuribili ipso trahunt, i. e. a determinatione ipsa *futuribilis* formalis et in se; et *b*) Sententiae, quae *alibi* quam in futuribili ipso in se ac pro priori ad illud totalem quaerunt solutionem, sive cum decretis *determinantibus*, sive sine illis in ipsa *voluntate* suavius in actu primo constituta, sed tandem in causa actus futuribilis.

Pro maiori tractatus commoditate, 2º modo dividimus; cuius membrum *a*) ad alium mandantes articulum in praesenti evolvimus membrum *b*), in quo praecipuas partes ut radicalius nobis oppositi Bañeziani omnesque deterministae ac fatalistae theologici habent.

798. — *Solutiones in concreto* iam perpendendas enuntiat propositio XLV.

Pars 1ª. *Solutio praedeterminationis. Exponitur.* Quo tempore de liberis futuribilibus expresse cogitari, disputari caeptum est (saec. XVI), thomistae quidam nec ex obscuris acriter negabant Deo *certam* eorumdem cognitionem (1). Iidem illi (Bañez, Alvarez...), inventis iam decretis absolutis, in

(1) Ad quos alludit *Albelda* (O. P.) theologus ad Minervam initio saeculi XVII: « Prima sententia est aliquorum *iuniorum* thomistarum, qui dicunt quod eiusmodi futura solum cognoscuntur

quibus futura absoluta facile Deo erat cognoscere, systema extendere voluerunt liberis *condicionatis*, pro quorum infallibili cognitione medium esse poterant decreta paulo aliter nec difficile obiecto novo coaptanda, i. e. « subiective absoluta, obiective condicionata ». Iam deinceps etiam *factum certae* cognitionis eorumdem omnes acceptarunt (1) merito quidem; victa enim difficultate *modi* et viae, non erat cur *factum* aliunde tam intrinsecus in Scripturis, Patribus et Theologorum suasione contentum diutius negaretur.

Igitur thomistae moderni (i. e. post Bañez) tenent Deum ideo determinate hoc liberum futuribile ab aeterno videre, quia ipse decrevit illud prae contrario condicionate fore. Talia decreta « subiective absoluta, obiective condicionata » sunt priora decreto creandi exsistuntque in Deo sub hac forma: « *Decerno* Petrum, si creetur et in his ponatur adiunctis, determinare ad actum poenitentiae; *decerno* Tyrios, si coram eis miracula fiant, convertere »; sic de singulis liberis futuribilibus.

Dicuntur autem: 1) *Subiective absoluta*, quia de facto *posita sunt* a Deo, exsistunt in Deo; i. e. non se habent condicionate quoad *sui esse* « *decernerem*, si... », sed absolute « *decerno*... »; ideoque voluntas Dei *posuit* actum volendi illud; unde sunt decreta *subiective* absoluta. 2) Quia vero obiectum volitum, *determinatio* voluntati danda, est *condicionatum*, decretum enim non dat, sed *daret* illam, si voluntas crearetur in iisque constitueretur adiunctis, ideo haec decreta *obiective* condicionata dicuntur.

Quod talia decreta: *a*) cum actu futuribili infallibiliter conectantur sicque medium *infallibile* suppeditent pro determinato futuribili cognoscendo; *b*) quod Dei scientiam *independentem* a creatura reddant; *c*) quod dominium Dei *magis absolutum* constituant, manifestum est nec ab ullo negatur. Sed admitti non possunt.

799. — *Prob.* 1ª *pars.* Talia decreta non minus sanctitati Dei, quam hominis libertati officiunt; Deum enim auctorem faciunt simpliciter peccati. Quae duplex accusatio ab initio iam systematis exorta, integre stat nunquam vicenda. — *NB.* Evolutio maneat ad tractatum de concursu, prop. LXVIII.

800. — *Pars* 2ª. *Decreta condeterminantia.* Per haec decreta Scotistae aiunt (Scotus in primis, dubie tamen) media se incedere via inter praedeterminismum ac scientiam mediam utriusque vitantes incommoda (libertatis ruinam; dependentiam scientiae a creatura). Etenim: Decreta condeterminantia ea sunt, per quae Deus cum creatura concurrens, comitanter se ei habeat, ita tamen, ut sine scientia futuribilis, ipsi futuribili debita, condeterminet futuribile simul cum voluntate creata. Hinc decretum inter et voluntatem ordo adest, non *causalitatis* (ne praesuppositionis quidem unius ad alterum), sed *simplicis concomitantiae.* — Licet autem voluntas formaliter ac in se ab aeterno non exsistat, virtualiter tamen in divina includitur, ideo-

---

a Deo *coniecturaliter*... Secunda sententia est, quod Deus *certo* et infallibiliter... Tuentur non solum discipuli multi D. Thomae, sed etiam recentiores supra citati », i. e. theologi S. I.

Suarez in prolegomenis ad tract. de Gratia: « Imprimis autem scire oportet modernos theologos, qui necessitatem physicae praedeterminationis introducere caeperant, absolute et sine distinctione negasse hanc scientiam condicionatam, quam *mediam* etiam vocant, in Deo... Nunc autem illos inter se divisos esse reperio... Nam D. Alvarez supponit... Deum cognoscere *aliqua* futura condicionata... At vero Ledesma... asserit... falsam (sententiam) esse tum quoad assertionem talis scientiae... » (Proleg. 2, c. 1, nn. 2, 3).

(1) Testatur *Viva* (O. P.): « Quamvis aliqui ex doctoribus thomistis referantur docuisse Deum *non cognoscere* infallibiliter contingentia condicionata..., tamen magna controversia supradicta Romae coram Sanctissimo exagitata, pro comperto supponit ex communi utriusque partis consensu... infallibiliter a Deo cognosci » (a. 1654).

que in divino decreto etiam determinatio virtualiter includitur, qua sese voluntas in tempore determinabit vel determinaret, si... Increata scilicet voluntas in sua infinitate creatam eminenter continet cum omnibus suis flexionibus; unde divinum decretum supra actus in tempore a creata eligendos cadit, ut determinatio voluntatis divinae condeterminatio sit creatae, quasi haec ab aeterno exsisteret cumque divina cooperaretur. Atque haec condeterminatio medium est infallibile pro prima *futuribilis* cognitione. Nec aliter de futuro absoluto. — Admitti nequit.

801. — *Prob.* 2ª *pars.* Ordo aut causalitatis aut etiam necessariae praesuppositionis unius ad alteram nullus (iuxta illos) inter utramque intercedit; unde utriusque coincidentia casualis erit. *Ergo* medium assignatur *fallibile.*

Conseq. 1º Cognitio futuribilis per decretum eiusdem futuribilis determinativum ideo obtinetur, quia decretum media auxiliaque parat *praecognita* tanquam *efficacia* i. e. per quae actio obtineatur ex parte creaturae. Atqui decretum condeterminans talia parare nequit. — Solum enim parat concursum dandum tali, quali tempore, talibus adiunctis, sine praedeterminatione; qui concursus: vel *a*) praevidetur efficax ab *intrinseco* et tunc est praedeterminans; vel *b*) ab *extrinseco* et hoc supponit futuribile creaturae per prius fuisse a Deo cognitum (scientiam mediam), quod nolunt. Ergo decretum illud, cum futuritione *a* non conexum nec ab intrinseco nec ab extrinseco, medium esse nequit pro certa futuribilis *a* cognitione.

2º Voluntas creata, utcumque parata, ad utrumlibet tamen indifferens maneat necesse est, cum haec eius natura sit. Ergo voluntatem quoad omnes suos plexus etc. eminenter in infinitate contineri nunquam significat contineri orbatam indifferentia, sed indifferentem. Ergo aeterna illa condeterminatio coincidet cum determinatione temporanea voluntatis *possibili*, sed non certo cum *futura* aut *futuribili* praecise *hac.*

802. — *Pars* 3ª. « Non ideae exemplares ». *Declaratur.* Est solutio aiens Deum sive absoluta sive condicionata futura in suis videre *aeternis ideis.* Ita Caietanus (In 1 p., q. 14, a. 13), Bonaventura cum paucis, ad quos alludit S. Thomas (1).

Ideae sunt ipsamet Dei *essentia* qua imitabilis, seu qua exemplar rerum. Exemplar quidem est Deus non sicut alia, quae typum exhibent abstractum, a pluribus incarnandum univoce singularibus, sed determinatas dicens individuas imitabilitates (per prius ad cognitionem), de se tamen *possibiles* solum, cum nunc medium quaeramus determinativum *futuri* pro cognitione. Hinc

803. — *Prob.* 3ª *pars.* Ideae exemplares aut *a*) sumuntur ut mere tales, ut essentia *imitabilis*, et tunc nonnisi *possibilia* sine addito sub iisdem fixantur, minime autem futura et futuribilia ne *necessaria* quidem, unde pro fine inutiles sunt; aut *b*) sumuntur ut repraesentationes actuum voluntatis determinatorum, et tunc 1) libertas actus sub idearum necessitate perit; 2) debet explicari undenam huic venerit ideae ut tale prae alio repraesentaret futurum; igitur ideae quaestionem non solvunt, sed solutam pro se petunt. *c*) Idea tautologiam infert, seu « idem per idem » explicat, quasi diceret: ratio (medium), ob quam futuribile hoc cognosco, est quia habeo ideam, i. e. quia cognosco; cognosco quia cognosco.

---

(1) Deo omnia sunt praesentia « non solum ea ratione, qua habet *rationes rerum apud se praesentes*, ut quidam dicunt... » De his Cfr. Ruiz, disp. 24, nn. 12, 13.

Alia igitur erit assignanda ratio, cur idea seu intellectus Dei *determinate* hoc prae alio futurum (futuribile) repraesentaverit; atque in hac ratione consistet solutio. Caietanus quidem rationem assignavit physicam huius futuri praesentiam; unde et sequitur pro illo adaequatam solutionem in solis ideis non sistere, saltem pro cognitione *futuri* liberi. Ergo systema idearum, nisi aliud praesupponat, inutile; tunc scilicet idea medium erit pro determinato futuro aut futuribili cognoscendo, si huius futuritionem praesupponat, non ante. Igitur de se solutio *nulla* est.

804. — *Pars 4ª. Non voluntas creaturae comprehensa.*

Declaratur. Haec solutio valde ab expositis differt, cum actum eiusque cognitionem determinari faciat non intra Deum (in causa remota actus liberi), sed extra Deum (in causa *proxima* actus) i. e. in voluntate creata qua tali seu qua voluntate in actu primo. Igitur sententia ad variationes pertinet sub generali solutione scientiae mediae. Quia vero determinativum futuribilis sub nullo explicat *absoluto*, sed sub *pure condicionato* decreto, propriam sedem alibi esset habitura nisi ob rationem methodi (quia sequenti articulo unam nostram exponere vellemus sententiam). Attento scilicet essentiali solutionis charactere, infinite plus nostrae quam praecedentibus accedit, prout ex ipsis nominibus Molina, Bellarmino, facile colligitur.

805. — *Comprehensio pro Bellarmino.* Deus voluntatum indoles intime penetrat, i. e. creatam libertatem contemplatur non nudam, sed suis stipatam auxiliis concursus parati, intrinsece seu ex se indifferentis; hanc voluntatem cum adiunctis comparat, quibus subiaceret si crearetur inque tali poneretur ordine. Sub sua Deus comprehensione certo quasi colligit, videt, quid ea voluntas singulis eligeret casibus. Per posterius igitur ad determinationem creaturae Deus cognitionem acquirit determinati futuribilis; futuribile autem non in ipso videt effectu (operatione), sed potius in *causa* proxima, in voluntate, quam quidem facilius coram se ut creandam vel creabilem habet deque ea quasi melius disponit.

806. — *Eminens comprehensio pro Molina.* Deus futuribilia contingentia determinata videt in *eminentissima comprehensione liberi arbitrii;* scilicet Deus ob *infinitam* sui cognitivam vim comprehensione *eminenti* cognoscit in re quasi (certo sensu) plus adhuc, quam quod res ipsa stricte dare videatur (1).

Quod si per haec Molina intendebat (quidam sic) actum quoque secundum videri a voluntate elapsum, tunc alio esset ducendus (ad articulum sequentem), sed minus exacte fuisset locutus; id enim non esset futuribile in *causa proxima*, sed in *seipso* (etiam); seu tunc *effectus* non *in* causa, sed *simul cum* causa formaliter *in se* videretur, seu id esset cognoscere et causam et effectum *in ipso effectu;* quod quidem plus est quam cognoscere effectum in causa.

807. — *Prob. 4ª pars.* 1. Causae *liberae* est ut in sensu etiam composito *omnium* praerequisitorum se ad *utrumlibet* habeat (S. Th.), non scilicet ad unum *determinata*, sed ad *unum et aliud capacitata. Atqui* nemo dat quod

(1) Denique media scientia, « qua ex altissima et inscrutabili comprehensione cuiusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset ». Neque ad id intuendum « satis est illius comprehensio..., sed necessaria est altissima atque eminentissima comprehensio, qualis in solo Deo comparatione creaturarum reperitur » (De Concordia, in q. 14, a. 13, disp. 50, paulo post initium).

non habet. *Ergo* causa ipsa unum prae alio futuribile non exhibet. Eminentia autem comprehensionis rem falsificare nequit, videns rem dare id quod in re non est; neque naturam mutasse dicenda voluntatis e libera in necessariam; mutaret autem si in ea actum pro priori ad ipsum videret. Ergo res aliter explicanda.

808. — *Prob.* 2. Posterior veritas cognosci in priori non poterit, quoties manente priore posterior non esse potest. *Atqui* manente voluntate cum omnibus ad operandum requisitis adhuc futuritio actus liberi non esse potest. *Ergo* determinatum futurum (aut futuribile) Deus in libera causa non videt.

Maior. Prior enim veritas ratio posterioris tunc est, cum assensus primae assensum determinat secundae.

Atqui si manente priori posterior non esse potest, assensus prioris assensum trahere nequit posterioris. Ergo...

Minor. De essentia est libertatis ut voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, non agere, « se habeat ad utrumlibet ». Ergo determinatio ad *unum*, ut requisitum postulata, quia *electionem* aufert voluntati, cum libertate pugnat.

809. — *Observa.* Agitur de indifferentia etiam in *sensu composito* requisitorum. Ad veram enim libertatem (Cfr. Psych.) non sufficit indifferentia *sensus divisi*, qua voluntas, sub his quidem adiunctis *incapax*, sub *aliis* tamen capax sit omittere actum; esset nugatoria libertas. Hinc pro Aquinate futurum contingens *qua futurum* (qua est *in causa*) a nemine scitur; sciretur autem, si Deus *in causa* praerequisitis munita (in sensu composito) futurum videre posset.

NB. Praedefinitiones formales et virtuales theologis relinquimus.

Articulus III.

SOLUTIO VERIOR

§ I. — *Adaequata formula solutionis.*

PROPOSITIO XLVI. **a) Deus determinatum futuribile liberum cognoscit in sola Dei essentia, quatenus particula « in » denotat obiectum formale specificum, sine quo per prius cognito cognoscere secundario nihil possit. b) Ratio tamen logica secundariae huius prae alia trans primariam terminationis, non est essentia Dei sed ipsum futuribile in se.**

810. — *Praenotanda.* I. Sensus hic est. 1ª *Pars* sub *a*). Respectu cognitionis in quaestione, *essentia divina* est: 1) ut iam supponitur, unicum principium *subiectivum*, i. e. unica *species determinativa* actus entitative sumpti (pr. XXXVIII). 2) Unicum principium *obiectivum*, seu unicum *obiectum formale* ideoque *medium* obiectivum in quo, necessario cognoscendum pro priori ad cognitiones aliorum (prop. XXXVIII). Unde 3) est medium obiectivum ad reliquorum cognitionem saltem *capacitans;* pro possibilibus est insuper adaequate *determinans* ipsorum cognitionem. 4) Pro futuribili libero (ut et pro futuro libero) est medium *capacitans* sed non *determinans* terminationem ad illud prae contrario.

2ª *Pars* sub *b*). Haec determinatio, seu *ratio* terminationis in tale futuribile debetur *futuribili ipsi in se, quod* suam praesentialitatem ab aeterno praevieque ad cognitionem menti offert divinae (scientiae mediae), in ratione peculiaris obiectivitatis. Igitur

1ª *Pars* sub *a*) enuntiat divinam essentiam etiam pro cognitione futuribilis liberi medium esse *in quo* et quidem unicum; 2ª *Pars* sub *b*) tenet medium non esse in *toto rigore* tale (i. e. sive capacitans sive determinans terminationem ad quam capacitat), sed *late* tale i. e. mere intellectum *capacitans*, ut trans illud terminari ad futuribile queat.

811. — II. *St. q.* Pars prior (repetitio propositionis XXXIX) ponitur hic, ut *totus* iam conspiciatur processus mentis divinae dum liberum cognoscit futuribile.

Altera autem pars solutionem continet in quaestione vere polemica capitalem. Est uno verbo acceptatio scientiae mediae non quoad eius solum *essentiam* in hoc consistentem, quod Deus futuribile sine ullo cognoscat *actuali* decreto, sed cum addito communissimo (Molina et Bellarmino exceptis) quod ratio logica terminationis ad illud sit *futuribile in se* nihilque aliud, i. e. nec essentia Dei, nec decreta, nec voluntas in se, etc.

Observa. Sub hac tamen capitali solutione (scientiae mediae) officium futuribilis in se duobus modis explicari potest pro maiori, minori immediatione: *a*) Pro modernis pluribus functio actus futuribilis *directa* est ac *immediata*, i. e. futuribile cognitionem ad se etiam *immediate* terminat, i. e. quin prius essentia cognosci debeat, ideoque non necessario *trans essentiam* cognoscitur; id exprimunt per formulam « Deus futuribilia libera cognoscit immediate in seipsis ». *b*) Reliqui volunt solum *indirecte* et velut *mediate* id a futuribili obtineri (1). Hunc modum, in genere supra vindicatum (prop. XXXIX), casui concreto iam applicamus.

812. — *Adversarii.* In quantum 2ª pars futuribili in se meritum tribuit *logici* sed *veri* determinativi terminationis ad ipsum prae alio, habet contra se *praedeterministas*, condeterministas aliosque (propositione XLV relatos); necnon eos, qui adeo *essentiae* haerere amant, ut omnia inde trahere praesumant, aut aliquid ab ea non tractum acceptare renuant (2). Prout 2ª pars postremos refutat, secum habet omnes praedeterministas..., qui praecise ex evidentia incapacitatis *merae essentiae*, confugerunt ad determinationes decretorum, idearum et similium.

813. — *Termini declarantur.* « *Ratio logica* » idem est ac ratio « consequentiae », ratio nexus illativi, in tractione exsistentiae: si exsistit unum, etiam aliud, seu: si tale datur futuribile, scientia quoque ad illud terminata datur; si futuribile hoc non datur, nec scientia ad hoc terminata dabitur (3). Dicitur etiam « condicio sine qua non », condicio *extrinseca* pro illa nempe scientiae terminatione; ut dici adhuc posset determinativum *logicum* et similiter.

---

(1) Funditus rem hac via solvit *Ruiz* (tota Disp. 29) cum *Fonseca* (Metaph. L. 5, c. 2, q. 4), *Suarez* (De Scientia futurorum contingentium, L. 1, c. 8), *Valencia* (in 1 p., q. 14, puncto 5). Sic et Vazquez, Becanus, Tanner, Raynaudus, etc. (Cfr. De San, « De Deo Uno », n. 199, ubi et alios citat ac sequitur).

(2) Hi, ex medio finem facientes, de hoc fere solliciti videntur, quod sine ulla exceptione aut sensuum distinctione intactum servetur illud « omnia Deus cognoscit in seipso solum »; reliqua, si per hoc explicari nequeant, sunt mysteria.

(3) Simile quid in conexione Dei cum possibilibus; erat conexio vera et intrinseca « si non dantur possibilia, nec datur Deus », tamen sine *dependentia* Dei ab illis (Cfr. prop. XL).

Exsistit igitur verus inter futuribile et scientiam nexus, non quidem physice *causativus* (physice determinativus), sed utique *praesuppositionis;* i. e. nisi futuribile in se fuerit per prius determinatum, terminatio in ipsum dari non potuit.

814. — *Prob.* 2ª *pars.* Quoad membrum 1um: « *Non essentia sola Dei* ». Ideo essentiae adaequatum medii munus adiudicatur, quia fons totius realitatis ac imitationum *omnia in se eminenter continet. Atqui* 1º id ad casum non sufficit; 2º magis autem ipsimet concedere, cum natura sive Dei sive creaturae non conciliatur. *Ergo* ad determinatum futuribile cognoscendum essentia Dei non est medium *in quo* adaequatum seu rigorose tale, i. e. medium *determinativum* huius prae alia terminationis.

Min. 1ª *pars. Essentiae abundantia non sufficit.* Haec enim sub eminentiali sua omnium continentia *aeque* unum ac aliud dicit oppositum futuribile; utrumque enim, de se aeque possibile, aeque in essentia continetur et dicitur, sed possibile solum. Ergo in vi solius essentiae terminatio scientiae aeque ad utrumque haberetur. Quod igitur ad *unum* horum *determinate* habeatur, non essentiae, sed *alteri* logico determinanti debetur.

Seu sic: Deus, essentiam videns, videt utique potentias activas suam et aliorum, videt *possibiles* harum actus, qui eligentur et qui non eligentur, qua *possibiles;* sed quinam eligetur et eligeretur, quinam non, id *ex hoc solo fonte* novisse nequit, cum in eo non *determinetur*, « nemo dat quod non habet ». Ergo essentia sola non sufficit.

Min. 2ª *pars.* Quidquid in *essentia* dicitur, absolute necessario dicitur, ut patet. Ergo si tale futuribile in eo determinatum reperitur, *electioni* creaturae nihil restat agendum; libertas ipsa *Dei* reducta manet ad Spinozianam, i. e. ad immunitatem a *coactione* extrinseca, sub spontanea intrinseca determinatione; ideoque vel ipsa genuina Dei libertas perit.

815. — *Prob.* 2ª *pars.* Quoad membrum 2um: « *Logicum determinans est futuribile ipsum* ». Nam essentia nec sufficit nec convenit (ex praecedenti). Cetera pro essentiae munere huic addita, i. e. decreta, ideae... exclusa manent (prop. XLV). Ergo munus determinativi convenientis ipsimet erit adscribendum futuribili in se, nisi et id impossibile sit. Atqui possibile est. Ergo ita esse dicendum est.

Min. Impossibilitas repetitur 1) ex *dependentia* Dei, quae inde sequeretur; 2) ex *dominio* Dei, quod inde minueretur, disrumperetur; 3) ex *incapacitate* ipsa futuribilis pro munere ob defectum obiectivitatis determinataeque veritatis aut fundamenti ad ipsam. Atqui haec non tenent. Ergo possibile est.

Ad min. Duo priora capita in obiectionibus dissolvuntur. *Probatur* inconsistentia tertii. Fundatur in eo quod futuribile *non est*, sed esset si...; unde non habet nec fundat veritatem, sed haberet, fundaret, si...; quasi diceres: prius est *esse* quam obiectivitatem habere, quam veritatem fundare, quam utcumque capax esse logice fixandi terminationem cognitionis. Atqui haec falsa sunt (1). Nam: *Pure possibilia* simpliciter non sunt nec erunt; fundant tamen veritatem in propria sua obiectivitate per prius ad scientiam constituta, ad quam *terminatur* scientia *simplicis intellegentiae. Futura libera* nunc non sunt, etsi erunt deinde; fundant tamen *nunc* veritatem seu habent nunc obiectivitatem pro priori constitutam, ad quam scientia *visionis* nunc terminetur. Ergo et *futuribile*, etsi non est, nec erit, sed esset si..., sua non caret

(1) « Quaecumque igitur possunt per creaturam fieri vel cogitari vel dici, et etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, *etiamsi* actu non sint » (S. Th. 1 p., q. 14, a. 9).

nunc obiectivitate, minori quam futurum, maiori quam pure possibile, vi cuius veritatem suam fundet, ad quam alia Dei scientia terminari nunc possit, nec simplex solum intellegentia. Seu: sicut possibile habet in se praesentialitatem mere *obiectivam*, et futurum habet in se suam maiorem cum *signatione* physici *absoluti* pro suo tempore, ita et futuribile habet in se suam *mediam* cum signatione physici *condicionati*.

816. — *Quod rursum sic probatur. a*) Si Deus, sicut ab aeterno iudicavit « Tyrii, si virtutes coram eis fierent, converterentur », iudicasset: « Non converterentur », falsus esset. Atqui huius ratio falsitatis assignari alia nequit, quam determinata futuribilis in se obiectivitas. Ergo futuribili in se determinata inest obiectivitas (veritas), vi cuius capax redditur ad hoc ut sicut cetera enuntiabilia, sic et ipsum ratio sit logica scientiam determinans seu terminationem ad se eidem praescribens.

b) Aliud est futuribile *a nobis disiunctive* solum cognosci posse non determinate (Arist.), aliud nullam ibi etiam pro potentiori intellectu capacitatem adesse determinationis. De facto adest; posita enim condicione, *unum* A daretur, alio B inter pure possibilia remanente. Sane: *a*) *utrumque* simul aut *neutrum* dari pugnat; *b*) *disiunctive* aut unum aut alterum dari aeque pugnat; quod exsistit *determinatum* exsistit. Iam *illud* quod daretur, *signationem* fert, qua aliud caret. Hinc divinus intellectus, qui ex cognitione essentiae ad omnem determinatur veritatem, posita peculiari facti illius veritate aliorumque, totam videbit futuribilium historiam.

817. — *Corollarium* 1. Ergo enuntiabile obiectivum « Petrus, si in atrio interrogaretur, Christum negaret », scientiam praecedens, *norma* veritatis est pro divina mente, cui mens, si vera esse velit, sese velut submittere cogitur. Unde haec norma, praesentialitas actus primi, confundi nequit cum praesentialitate obiectiva actus secundi; haec enim quia *posterior* cognitione est pureque logica, non norma sed *terminus* cognitionis est, ad quem cognitio *semper* conformatur.

Corollarium 2. Ergo quod futuribile *in se* ratio *logica* sit, condicio sine qua non, etc. terminationis scientiae ad ipsum, essentiale est in systemate congruistarum, igitur aeque consistens cum *immediatione* terminationis ad ipsum ac cum *mediatione* eiusdem; hae enim differentiae *accidentales* sunt (Cfr. supra v. g. n. **685** et **811**).

818. — *Prob.* 2. *tota propositio in compendio.* Solutio conciliare tenetur divinam naturam, libertatem in creando, infallibilitatem in sciendo, cum creata libertate. *Atqui* id nonnisi per hanc viam obtinetur. *Ergo* huic standum.

Maior patet — *Minor* per partes in prop. XLV et XLVI eritque solutionibus obiectionum complenda.

§ II. — *Solvuntur difficultates.*

819. — *Obi. 1.* Quod *indifferenter* se ad oppositas habet obiectivitates *determinate* unam dare nequit, proin nec cognitionis terminationem ad unam prae contraria trahere. Atqui futuribile « voluntas Petri negaret me » indifferenter se habet ad opposita. Ergo futuribile nequit esse *ratio obiectiva* aut determinans logicum cur cognitio Dei terminetur ad ipsum prae alio.

R. C. M. — *D. m.* Consideratum *in causa*, i.e. in actu *primo* voluntatis liberae, *C.* consideratum *in effectu*, i. e. in ipsa *operatione* futuribili, *N. m.* — *D. par. c.* In causa consideratum, *C.* In seipso, *N. c.*

820. — *Obi. II.* Contingentia futuribilia ex Aristotele et S. Thoma habent veritatem *indeterminatam*, propriam disiunctivae: « esset hoc vel aliud »; non autem *determinatam* « esset *hoc* prae alio ». Atqui veritas pro casu, i. e. pro determinanda terminatione cognitionis, assignari debet *determinata* ad unum. Ergo consistere nequit in *veritate ipsa* seu praesentialitate *futuribilis*.

R. D. M. Dum adhuc considerantur *in causa*, prout intellectus *noster* considerare tenetur, *C.* Si considerantur *in se*, ut potentior intellectus capax est illa videre, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* Prout consideratur in causa, *C.* prout in se, *N. c.* — Agitur de intuitu *divino* penetrare capaci omnem obiectivitatem sub formali huius constitutione cum quavis realizationis connotatione sive absoluta sive hypothetica.

821. — *Obi. III.* Scientia Dei de futuribili exsistit *actu* ab aeterno. Atqui futuribile ipsum non exsistit actu ab aeterno, immo nec unquam exsistet. Ergo futuribile nequit esse ratio determinans terminationem actus divini ad ipsum.

R. D. M. Exsistit actu ut de re *futura*, *N.* Ut de re *futuribili*, *C. M.* — *Ctr. m.* Non exsistit actu seu non est actu quid absolute physice futurum, *C.* Non est actu quid *cognoscibile* ut quid hypothetice futurum, *N. m.* — *N. c.* Sequitur non posse esse nec rationem actu physice causandi, nec rationem logice determinandi terminationem ad *futurum;* nullatenus autem sequitur incapacitas ut *logice* determinet terminationem ad *futuribile*. Fundamentum obiectionis, quod nempe cognitio rei *actuale huius esse* praerequirat, nuper vidimus a S. Thoma reiectum.

822. — *Obi. IV.* Futuribile determinatum *foret*, sed *non est*, nec erit. Ergo *haberet*, sed non habet actu veritatem *determinatam;* hinc *determinaret*, sed non determinat actu terminationem divinae cognitionis ad ipsum.

R. 1° *C. Ant.* — *N. c.* et suppositum. Ut aliquid *actu* veritatem habeat actuque determinet terminationem cognitionis ad ipsum non requiritur eius actuale esse; pure possibilia nec sunt nec erunt, tamen actu determinant terminationem cognitionis ad possibilia formalia in se.

R. 2° *D. Ant.* Futuribile non est *actu futuribile* determinatum, *N.* Non est actu *res actualis*, *C. Ant.* — *N.* utramque *cons.*

Explico 1° Ut aliquid habeat *actu* veritatem, sufficit ut actu detur de illo determinatum enuntiabile, cui assentiens sit verus, dissentiens sit falsus intellectus. Futuribile ab aeterno habet actu tale enuntiabile. Petrus, si..., negaret Dominum. Illud enuntiabile ab aeterno determinat actu terminationem divinae cognitionis iudiciique adeo fixe, ut si Deus iudicasset contrarium, Deus falsus fuisset. 2° Videlicet: veritas logica, in adaequatione intellectus cum re consistens, perfecte tunc habetur, cum intellectus affirmat rem uno modo esse, et res illo modo est; cum affirmat rem actu exsistere, et res actu exsistit; rem esse pure possibilem, et res est pure possibilis; rem fore, si... et res foret, si... Verum falsumque logicum aeque de actualibus habetur ac de possibilibus, ac de chimaericis. Si autem intellectus praedicta affirmans esse potest sive verus sive falsus, ideo est quia per prius obiectiva exstant determinata enuntiabilia, quibus ut normis intellectus stare tenetur; sane futuribilia ut et possibilia in seipsis determinant enuntiabilia fixa, veritates determinatas (1).

---

(1) Similia non satis erunt ab iis capessenda, qui in epistemologia peripatetica parum firmi, potius Cartesianismo quodam psychologico imbuti, subiectiva cum obiectivis plus aequo immiscent; inde obscuritates apud illos, incohaerentiae, v. g. quoties de possibilibus agunt, sicut etiam in quaestionibus de *verbo*, necnon de *obiectivitate* universalis *in essendo*, similibusque. Pariter nota: *a*) Intellectus non creat intellegibilitatem intellecti, veritatem enuntiabilis, sed illam praesupponit in ordine ontologico sive physico sive metaphysico possibilium, ut normam ac mensuram, cui sese submittere teneatur. *b*) Intellectus directe non percipit aliquid *subiectivum*, i. e. *speciem* aut impressam aut expressam, haec enim sunt *accidentia spiritualia* singularia; unde nec his habetur ratio *obiecti cogniti*, sed haec ratio habetur *tcta* in *termino* illarum imaginum et specierum. Igitur directe intellectus percipit solum *terminos* illarum, quae ut plurimum sunt *substantiae corporeae universales*. *c*) Intellectus non creat aut possibilia, aut enuntiabilia de possibilibus, de futuribili, de futuro..., sed his praevie datis suum accommodat actum et tunc est verus; secus est falsus; si ab ipso omnia dependerent, semper esset verus. Atque haec de omni prorsus valent cognoscibili, excepto ente *rationis*, quod a mente fabricatur.

823. — *Observa* Quae sane fixa obiectivitas perpetuo usu conceditur futuribili. *a*) Usu sociali; in humanis sponsionibus. Profecto cum iam futuribile ab altero affirmatum, negatum ab altero « Petrus, si philosophiae studeat, sacerdos fiet », factum quoddam esse videmus, decernimus eum, qui affirmaverat, fuisse verum, falsum autem qui negaverat. Atqui ideo alter verus, quia tunc fuerat conformatus obiectivae veritati, et e contrario. Ergo usus loquendi concedit veritatem futuribili formali in se. *b*) Sensu religioso: « Domine, peccatorem hunc morbo punias, tunc enim convertetur ». — « *Falleris*, ait, tunc magis indurescet ». Atqui si futuribile illud determinate falsum tunc non fuisset, nec ego tunc falsus fuissem. Sicut enim veritas est conformitas, sic falsitas est difformitas mentis et rei. — Ergo si tunc falsus sum, ideo sum falsus, quia tunc res a me affirmata non dabatur, sed dari tamen potuit. Ergo determinate falsum erat futuribile.

824. — *Obi. V.* Propositum systema vix non pugnat cum thesi in genere iam probata, quod Deus alia a se *solum in seipso* cognoscat, non directe in *seipsis;* nunc enim dicere videmur determinatum futuribile in *ipso futuribili* a Deo cognosci. Ergo Deus aut nullatenus aut aliter futuribilia cognoscit.

R. N. Ant. — *D. prob.* In *eodem* sensu, quem habet phrasis in thesi generali, *N.* In alio sensu penitus diverso ac vero, prout et S. Thomas tenet de *futuris* Deum ea cognoscere *in seipsis*, *C. prob.*

Retinemus idem perpetuo, quod a sonitu verborum dependere non debet, prout satis in ipso enuntiato apparet ac declaratum est.

825. — *Obi. VI* (Inst.). Totum explicari potest per solam *essentiam* Dei. — Nam essentia Dei pro cognitione divina non solum est principium *subiectivum*, sed insuper medium *obiectivum in quo* pro omnibus cognitis. Atqui medii obiectivi est, ut eius cognitio inferat cognitionem omnium, respectu quorum dicitur medium obiectivum. Ergo sola essentia explicat cognitionem determinati futuribilis.

R. D. M. Est medium obiectivum, *capacitans* intellectum ad alias terminationes, i. e. prius cognosci debet ut reliqua cognosci possint, *C.* Est medium obiectivum *determinans* singulas terminationes obiectivas, *Sd.* Circa pure possibilia, *C.* Circa futura ac futuribilia, *N. M.* — *Ctr. m.* Id proprium est aliquorum mediorum, *C.* Omnium, *Sd.* Ut *capacitent* ad omnia, *C.* Ut *determinent* omnes terminationes, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Argumentum supra contra Bellarmino factum, a fortiori contra hos valet: unum cognitum *tunc solum* determinat aliud, quando *necessario* cum hoc alio conectitur, secus minime. Iam possibilia quidem conectuntur sic cum essentia Dei, sed non alia obiecta; ne futura quidem *necessaria;* minus adhuc *libera* futura et futuribilia; haec *determinari* possunt a propria cuiusque *futuritione*, sive absoluta sive hypothetica. Attamen essentia etiam pro his est medium *obiectivum* in quo, hoc sensu quod per prius cognita intellectum in apta via et capacitate constituat ac *in vago* quasi determinet, munere *concretae* determinationis *obiectis* ipsis relicto.

826. — *Obi. VII.* Non intellegitur quomodo essentia Dei, ab intellectu cognita, eum ad reliqua capacitet, quin etiam ad singulas singillatim determinet terminationes; seu curnam, si in vago determinet, etiam in specie non determinet. Atqui quod essentia capacitet seu in vago determinet intellectum conceditur. Ergo etiam in specie terminationem determinat ad futuribile fixum.

R. N. M. a) *Quidditas rei sensibilis* dat primum sine secundo; nisi corporea prius noverim, ad spiritualia caecutio; nec determinor tamen ut hoc prae aliis attingam spirituale; determinatio haec aliunde venit. *b*) Visus, nisi prius colorem viderit, alia (puta dimensiones, figuras, ferrum...) non videbit, deinde utique, quin tamen perceptus color cetera determinet percipienda.

827. — *Obi. VIII.* Absolute foret retinenda formula « Deus omnia *solum* in seipso cognoscit ». Atqui absolutius stat, si futura et futuribilia Deus in sua solum videat essentia. Ergo ita videt.

R. D. M. Absolute et pugnanter, *N.* Rationabiliter in vero eius sensu, *C. M.* — *Ctr. m.* Absolutius sed falso, *C.* Cum veritate, *N. m.* — *N. c.*

Exaggerata formulae praepotentia ad impotentiam ducit solutionis, ad universalem fatalismum. Finem persequimur non phraseos honorandae, sed problematis solvendi, inoffensis Dei creaturaeque iuribus.

828. — *Obi. IX.* Quod res ab aeterno iuxta esse suum conspiciatur ait rem ab aeterno suo donari esse. Atqui futuribile non sic donatur. Ergo neque videri potuit iuxta *formale* suum esse, utique iuxta eminentiale, quod certe habebat, sed in quaestionem non venit.

R. D. M. Ait rem illo donari esse *pro eo* tempore, pro quo exsistens conspicitur eoque modo *absoluto* vel *condicionali*, quo exsistens conspicitur, *C.* Pro *omni* tempore aut pro determinato *aliter* exsistere, quam Deus videt illam pro tunc exsistere, *N. M.* — *Tr. m.* — *D. par. c.* Videri non potuit iuxta esse physicum, quod ab aeterno in se *habeat*, *C.* quod *suo tempore condicionate* haberet, *N. c.*

Explico. Veritas consistit in conformitate cognitionis cum re. Hinc intellectus, qui rem *tali tempore* in se exsistentem noverit *ut semper* exsistentem, falsus est; difformis erat rei. Qui rem tali tempore absolute exsistentem viderit, cum tamen res solum hypothetice esset tunc exstitura, falsus est; difformis erat rei. Deus autem infallibilis omnia fideliter novit in esse cuiusque vel absoluto vel hypothetico, et hoc solum esse praeire tenetur, ut Deus vere noverit. In concreto: *a*) Ut vere possibilia noverit, sufficit ut haec metaphysice constituta reperirentur. *b*) Ut vere futuribilia noverit, sufficit ut haec physice forent, si... *c*) Denique singula novisse quoad esse cuiusque *eminentiale*, *virtuale*, radicale, extra quaestionem cadit; est enim novisse obiectum *primarium*.

829. — *Obi. X.* Deus, videns quae nunquam exsistent, videret *entia rationis*, seu *idola* rerum, non res; quod enim actu non est cognitionem ad se actu terminare nequit. Atqui Deus non videt entia rationis. Ergo Deus ab aeterno futuribilia non videt.

R. N. M. eiusque rationem. Ut res ad se cognitionem actu terminet, sufficit quod res eo exsistat *tempore* et *modo*, quo a cognitione pronuntiatur esse vel fore, nec ulla requiritur aut fictio aut idolum, aut *esse* reale *diminutum;* cognitio enim terminatur immediate ad *rem* ipsam, quam refert. Iudicium astronomi « tali die erit eclipsis » ad eclipsim terminatur *physicam in se*, absentem, minime vero ad aliquod aut idolum aut diminutum eclipsis esse. Vitanda confusio; aliud est terminus *effectionis* (factus), qui est species *expressa*, hic semper *exsistit;* aliud terminus *cognitionis*, seu obiectum *cognitum*, quod passim *non exsistit*, v. g. universalia, vel res futura... (Cfr. explicata in Psych.). — Res *manifeste patet.* Si enim eclipsis dicto die non verificatur, omnes dicimus vaticinium factum *falsum* esse. Atqui si astronomus illud terminasset non ad *eclipsim in se* sed ad eius *idolum*, tunc vaticinium fuisset verum, quia conforme idolo... Ergo res actu non exsistens fundat iudicii veritatem et cognitionem terminat *ad se.*

Similiter divinus intuitus ab aeterno terminatur *ad rem in se*, de hac iudicat tali die esse vel fore actuandam, etsi nunc actuata non sit; ideo praecise Deum diceremus falsum tunc iam fuisse, si deinde aut aliter aut nullo modo verificatur aut foret verificandum; omnino ut astronomus supra eclipsim.

830. — *Obi. XI.* Cognitio hoc modo obtenta Deum *dependere* facit a creatura, cuius electioni submissus quasi exspectare suspensus tenetur. Sed id dici nequit. Ergo futuribilia aut nullatenus aut aliter cognoscit.

R. D. M. Facit dependere dependentia *propria*, *N. Impropria*, *C. M.* — *Ctr. m.* Dependentia propria, *C.* Etiam impropria, *N.* vel *Sd.* Si haec ipsa ultimo imponeretur Deo aliunde, *C.* Si est *libere* ab ipso Deo *volita*, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Dependere et dependentia dupliciter dicitur: *a*) *Proprie* significat dependentiam *entitativam* in ordine effectus ad causam *vera causalitate* praesertim efficiente; qualis haberetur si creatura *motive* se haberet, speciem in Deo producens, nequaquam si mere *terminative*, seu ut determinans terminationem. *b*) *Improprie* significat conexionem inter unum et aliud (sine dependentia entitativa), vi cuius unum non datur si aliud non datur, in casu terminatio ad A non datur si per prius

futuribile A non determinetur alibi. Haec dependentia: 1º Arguit *perfectionem*, i. e. necessitatem sciendi omne verum, omnia ut sunt, nunquam falsum; praesertim si, quod alibi terminatio determinaretur, libere a Deo volitum est, ut *libere* creaturas *liberas* esse voluit; proin est genus dependentiae, quod Deus quasi sibimet imposuit. 2º Certo habetur in ipsa Dei *voluntate;* etenim posito iam mundo, mundum amare tenetur, seu voluntas *pendet* ab actuali mundo; nulla tamen hinc fluit *imperfectio*. 3º Sic et in *intellectu* Dei datur dependentia veniens a voluntate, quia tenetur iam res *actuales* qua tales cognoscere (1).

831. — *Obi. XII.* Deus determinatum futuribile aut necessario aut contingenter cognosceret; independenter aut dependenter a creatura. Atqui primum cum libertate creaturae; alterum cum perfectione Dei pugnat. Ergo Deus determinatum futuribile ignorat.

R. C. M. — *C.* 1am *p. m.* — *N.* 2am. Ex nuper enim dictis illud cognoscit contingenter absolute, et cum dependentia improprie tali a creaturae determinatione. Videlicet: actus ipse cognitivus, quoad entitatem quidem absolute necessarius, independens ac immutabilis prorsus, quoad nonnullas tamen eiusdem *terminationes contingens* est.

832. — *Obi. XIII.* Praedictum systema non a praedeterministis solum improbatur, sed ab aliis quoque in dubium saltem vertitur; nempe quod determinata in futuribili adsit veritas aut fundamentum pro veritate, proin quod ratio esse possit et velut causa logica, condicio sine qua non... terminationis ad ipsum, sat dura apparent. Ergo saltem certitudinem iactare nequit.

R. Non est philosophi dare censuras « certi, probabilis...» ad singulas propositiones. Systema solide probatur; reliqua non sic. Ergo huic standum. Eam utique iactare evidentiam, quam haberi censet profundus ille divinae scientiae scrutator Ruiz de Montoya, non audemus. Sed nec his assentimur, qui nebulas ubique, mysteria solum palpari aiunt. Ex aliis etiam accuratius intellectis quaestionibus, v. g. ex natura possibilium formalium debite penetrata non parum huc lucis refluere potest (Cfr. n. **822**). Sed de hoc pauca in § III.

§ III. — *Consequentiae.*

1. *De signis.* — 2. *Futura libera.* — 3. *Solutio negativa.*

833. — I. *De signis.* Praesentialitas liberi futuribilis eiusque cognitio sequenti ordine procedunt: 1) *Primum signum.* Posita Dei essentia eiusque necessaria fecunditate seu *imitabilitate;* i. e. posita Dei essentia absolute ac relative, statim et primo exsurgunt *imitationes* possibiles (*creaturae* possibiles seu possibilia formalia, potentiae obiectivae), quas inter liberae voluntates cum suis actibus rursus mere possibilibus ac de se in utramque partem ponibilibus, sub his adiunctis et auxiliis, sub concursu creaturae aptato. Qui actus in se ac formaliter mere possibiles, et prout tales per prius constituti, coram essentia inter possibilia velut proiectati, per posterius a Deo percipiuntur, ut suo loco fusius exposuimus (Met. Gen.); atque haec cognitio simplicis intellegentiae est *primum signum* in quaestione. Adhuc distat Deus a cognitione *futuribilis qua talis;* magis etiam a *futuro* qua tali.

2) *Secundum signum.* Sequitur *determinatio* actus futuribilis ex parte creaturae, seu *signatio* unius prae alio extremo. In primo nempe signo Deus cognoscebat quid poni *posset*, sed non quid *determinate* poneretur, seu quodnam

(1) Herus servo concedit sic vel aliter opus exsequi. Ab electione servi pendet quod sic rem fecerit proin quod dominus sic factam videat; nemo id indecorum domino dicet, minus adhuc si ad electionem ipsam cooperatione domini egebat.

extremorum a creatura sub dictis hypothesibus acciperetur; erant enim hypotheses nihil determinantes, Deum ad exspectationem quasi cogentes. Venit futuribile in se, seu actus determinatus, qui ponetur si talia verificentur adiuncta in creatione et providenti gubernatione *hac alia* et alia... — Est praesentialitas futuribilis, eius *obiectivitas* actus primi cognitione anterior; est *signum* 2um.

3) *Tertium signum.* Nunc venit cognitio seu terminatio cognitionis ad determinatum futuribile prae contrario. Igitur Deus ideo hoc fore cognovit, quia hoc praecise nec aliud a creatura poneretur; non e contrario: ideo hoc poneretur quia Deus vidit hoc fore ponendum. Et quia hucusque nullum ex parte Dei *actuale* seu *absolutum* adfuit decretum, ex quo illud prae contrario futuribile determinetur, quia in hypothesibus aderat decretum sed *hypotheticum* (etiam subiective), haec *scientia* est *media.* Ex qua cognitione *actuali* evidenter sequitur praesentialitas eiusdem futuribilis *logica* seu qua cogniti, quae et obiectiva actus secundi dici potest.

Signa pro *futuribili* quidem non dantur plura; sed ad *futura* perveniamus.

4) *Quartum signum.* Succedit decretum *absolutum* creandi mundum A cum adiunctis, auxiliis,... pertinentibus ad unum ex possibilibus mundis ordinibusque praecognitis. Quia vero in 3o signo viderat quid quaeque voluntas eligeret, si in hoc vel alio mundo, in his vel aliis poneretur adiunctis, et nunc decernit *hunc* mundum esse et *haec* adiuncta dari, ex infinitis *futuribilibus* qua talibus in signo tertio praecognitis quaedam conversa sunt in *futura absoluta;* quae evidenter manent vere libera, non minus quam in statu futuribilium sub 2o et 3o signo erant vere libera.

5) *Quintum signum.* Tandem habetur *visio*, scientia visionis, de futuro libero, aeque infallibilis ac scientia eorumdem in statu futuribilium, aeque non tangens libertatem ac illa, et posterior ipso *futuro in se.*

834. — II. *Futura libera.* Praecedens signorum consideratio utilia quaedam de futuris suggerit:

a) Ergo cognitio futuribilium (per scientiam mediam), adiuncto *decreto creandi* determinatum mundum sub determinatis adiunctis, est modus pro Deo quasi obvius *infallibiliter cognoscendi omnia futura libera.* Unde

b) Vera *radix* aeternae praesentialitatis futuri liberi et determinativum huius prae contrario, sic et constitutivum cognoscibilitatis eiusdem, est huius determinatio et praesentialitas in stadio *futuribilis*, cum accessione decreti creativi.

c) Modus *adaequatus* liberum *futurum* cognoscendi complexive est ipsamet formula propositionis XLVI mutatis mutandis; — a qua formula et explicatione, phrasis S. Thomae aliorumque quod futura Deus « in seipsis » cognoscat, reipsa non separatur, nisi tanquam partialis a totali explicatione. In dicta formula viam *completam* enarrabamus.

d) Etiam clarius nunc apparet curnam futurum, praevie ad cognitionem constitutum, minime a scientia influatur aut necessitetur, seu curnam sub scientia Dei libertas plene salvetur.

e) In signis perspicies curnam pro neo-thomistis, qui et *praesentiam* physicam futuri cum Caietano et *praedeterminationem* eiusdem futuri cum Bañez admittunt, haec non sint *duo* media, sed unum ex utroque conflatum, hoc ordine ut *pro priori* exsistat praedeterminatio futuri in decreto et *deinde* exsurgat praesentia futuri determinate talis per decretum absolutum constituti. — Immo, sicut pro nobis modo exposito, ita pro illis in proprio systemate

hoc futurum per prius et radicaliter determinatum iam erat in stadio futuribilitatis eius, ubi per decretum subiective absolutum et obiective condicionatum fixabatur, ut prae contrario exsisteret in mundo, si mundus in his crearetur adiunctis; verificata hac hypothesi, futuribile sine alio in futurum transit.

835. — III. *Solutio negativa.* Fuerunt ac sunt qui in his quaestionibus mere negative se finaliter habeant, quasi nulla ex datis solutionibus perculsi; declarantes rem omnino *insolubilem. a*) *Nominales*, duce Ockam, aiebant laborandum in his non esse, cum id nostro saltem praesenti intellectui impervium sit. Quos *Ruiz* de *ignavia* arguit; scepticos sane imitantur; omni modo nimis exigere videntur, seu « haec sententia (Nominalium), sic sine ullo temperamento expressa, nimia est » (De San, n. 191). *b*) Accedunt hodierni *pauci* hoc discursu: Futuribilia libera cognosci determinate nequeunt nec 1) in *praedeterminatione* decreti, quae pugnat cum libertate; nec 2) in *comprehensione* voluntatis; nec 3) in divina *essentia* vel sola vel decreto *creandi* et *concurrendi* magis disposita. 4) Quod in ipso futuribili et valde in se difficile apparet, et violat phrasim « Deus in *seipso solum* omnia videt ». Ergo Deus omnia *in seipso* videt; *modus* autem, quo id obtineat de *omnibus*, nec intra Deum nec extra Deum satis elucescit. Ergo Deus est *medium in quo* pro omnibus adaequatum; quomodo, *ignorare* tenemur. Sic illi. Sane nec circa alia nos nimis collustrari experimur, circa modum videndi (ut alia omittam) multitudinem sive possibilium sive actuum a beatis ponendorum, utrum necne actu infiniti conspiciantur; similia tamen solvere necnon futuribilia ipsa, fere ut Bañez et Molina docuerunt, plerique eorum discipuli iuxta propria quisque principia pro virili conantur.

CAPUT X.

Quaestiones supplementariae.

836. — Pauca de divina scientia supersunt tractanda: de eius proprietate invariabilitatis (art. I); de classibus scientiae in Deo (art. II); de causalitate divinae scientiae (art. III); de ideis exemplaribus (art. IV). Quia vero pleraque aut in praecedentibus implicite dicebantur aut facile exinde derivantur, breviores nos esse licebit.

Articulus I.

INVARIABILITAS DIVINAE SCIENTIAE

Propositio XLVII. **Omnis scientia Dei est omnino invariabilis.**

837. — *Praenotanda.* I. *Notiones.* Invariabilitas est necessitas in eodem semper statu manendi; igitur scientia invariabilis ea est, quae nec augeri nec minui, nec uno nunc, alio deinde modo haberi queat, sed uno modo semel exsistens, semper sic exsistat.

Fixitas autem sumi potest: *entitative* et obiective seu *terminative;* terminative rursus dupliciter: *extensive, intensive.*

Scientia *entitative* est Deus ipse, proin sic evidenter invariabilis est sicut essentia ipsa; nec de hoc quaeritur.

Scientia obiective seu *terminative* est scientia considerata in obiectis, circa quae versatur, seu in terminationibus, quas habet, sive primariis sive secundariis. — Quaestio solum esse potest de scientia *terminative;* hinc sermo fit de *omni* scientia Dei, i. e. de scientia Dei, quae et prout *circa omnia* versatur obiecta sive primarium sive secundaria; scientia enim entitative, cum *simplex* sit, una semper totaque erit, nunquam pars.

838. — II. *St. q.* Constat Deum *libere* creasse; unde divina futurorum scientia obiectivo-terminative *contingens* est; ita enim exsistit, ut non exsistere potuerit. Unde sine ulla entitatis iactura a Deo afuisse potuit. Iam velut a pari concludere tentamur: ergo actualis futurorum scientia sine detrimento Dei *variari* poterit.

Sed immerito. Etenim: 1) *Contingens* ac *variabile* non idem sunt. In vi notionum: *a*) *contingens* impropriam quidem a non esse ad esse mutationem infert, non tamen τοῦ esse realis semel positi mutabilitatem; ab hac praescindit; *b*) *variabile* autem eamdem infert. Igitur *contingens* potest esse *non variabile;* v. g. anima contingens est, nec variabilis tamen, i. e. in esse posita ad non esse trahi nequit. Unde sicut esse ita etiam terminatio propriae contingentiae unire poterit *invariabilitatem.* 2) Si terminatio contingens cum divina concilietur immutabilitate, idem suspicaberis de *variatione* terminationis. Verum *a*) variatio terminationis sine *novitate entitativa* non intellegitur possibilis; *b*) aliis quoque capitibus interdicitur (Cfr. Prob.). Hinc:

1) Quod scientia omnis in Deo *entitative* eadem persistat, indubium est.

2) Quod etiam *terminative* eadem persistat quoad primariam terminationem, quoad secundariam ad pure *possibilia* (necnon ad *futuribilia* qua adhuc mere possibilia) per se patet. De variabilitate igitur scientiae *simplicis* intellegentiae quaerere non licet; sane quoad 1) et 2) etiam *radix* ipsa variabilitatis (i. e. contingentia) sublata erat.

3) Dubitare iam quis poterit de sola terminatione ad *futura* et *futuribilia* stricte talia. Quoad haec quidem radix variabilitatis (i. e. condicio sine qua non variabilitatis) exsistit in ipsorum contingentia. Unde sicut periculum ita discussio de solis ultimis.

Cum *Magistro* Sententiarum (1º Dist. 39) S. Thomas (1 p., q. 14, a. 15), Suarez, immo *Durandus* aliique universim invariabilitatem profitentur, quam de fide habet Ruiz (1).

Pro Aristotele ipso: « Deus *una semper gaudet* simplici voluptate, quia mutatio est quidem iuxta poëtam dulcissimum omnium, sed ob quamdam pravitatem » (2). De scientia vero Dei: neque mutatur, ait, quia mutatio in deterius fieret (3).

839. — *Sensus propositionis:* Omnis in Deo scientia (de suis classibus statim) entitative ac terminative, extensive ac intensive, quoad termina-

---

(1) « Certa igitur est et de *fide* conclusio, scientiam Dei esse *invariabilem...* » (De Scientia Dei, disp. 37, s. 1, n. 1).

(2) VII Ethic., c. 14, in fine.

(3) XII Metaph., c. 9, text. 59.

tiones quidem sive absolute necessarias, sive absolute contingentes, quae semel fuit eadem semper manebit.

840. — *Prob.* 1º *Extensive.* Variatio (transitus) a paucis ad plura cognita, quamvis sine *entitativa* Dei mutatione dari posset, actualem diceret ignorantiam. *Atqui* ignorare quae absolute scibilia sunt, imperfectio est. *Ergo* scientia extensive non variatur.

2º *Intensive*, i. e. quoad claritatem, certitudinem... Variatio quoad haec supponeret sive in facultate sive in actu anteriorem imperfectionem. *Atqui* scientia Dei undequaque perfectissima est *essentialiter* (Cfr. de omniperfectione Dei), ideoque semper. *Ergo* etiam intensive invariabilis est.

841. — *Observa. Variatio* terminativa secum ferre videtur mutationem *entitativam.* Etenim *ratio* variationis *terminativae* alicubi esset assignanda. Atqui non extra Deum, i. e. non in obiecto; nam sive possibilia sive futura etc. necnon de his enuntiabilia *aeque semper* in se intellegibilia stant (patet); unde quod antea quaedam ex his aut nullatenus aut remissius perciperentur, non ab ipsis veniebat; igitur a Deo, defectu scilicet alicuius Deo *intrinseci*, in ratione aut virtutis, aut speciei, aut operationis. Ergo cum deinde *nova* percepit aut nove, etiam entitative mutatus erat (1).

Articulus II.

CLASSES SCIENTIAE IN DEO

842. — I. Scientia Dei varie sub aspectibus variis dividitur, primo quidem in *speculativam* et *practicam.*

Speculativa (a speculando) dicitur, quae in mera sistit contemplatione rei, ad eius attendens naturam nec ullam ad praxim faciens ordinationem; tales sunt scientia visionis et media, talis scientia ipsa possibilium mere talium, in signo scilicet priori ad decretum creandi.

Practica ea est, quae res in ordine ad praxim considerat; hanc Deus actu formaliterque de rebus creandis habet necnon de concursu eisdem praebendo.

Differunt *obiecto*, *modo* et *fine* (ap. S. Th.). *a*) *Obiecto. Speculativa* enim pro obiecto etiam non *factibilia* habet, v. g. Deum; *practica* autem factibilia tantum; creaturas. *b*) *Modo. Speculativa*, etiam dum res *factibiles* aut factas contemplatur, ad praxim eas deque iis cogitationes non ordinat, sed mere eas theoretice perpendens cum aliis comparat, quasi artifex decidens in quonam praecellentia unius statuae supra aliam consistat, etc.; *practica* vero tota ad praxim ducitur proque meliori operis exsecutione regulis studet. Hinc differunt *c*) *Fine. Speculativa* enim in toto quod instituit etiam *factibilium* examine nonnisi veritatem artisque regulas novisse quaerit; porro studiosus musicae, litteraturae... in haec passim incumbit amore cuiusdam aut culturae aut oblectamenti; *practica* vero singula prospicit in ordine ad exsecutionem.

Hinc Deus habet: *a*) de *seipso* scientiam *speculativam tantum; b*) de rebus creandis *simpliciter practicam* et undequaque, i. e. ratione sive *finis* sive *obiecti* sive *modi; c*) de *pure* possibilibus *speculativam* secundum quid, i. e. ratione *modi* ac *finis* (*non intendit* illa creare), *practicam* vero secundum quid,

---

(1) Cfr. Ruiz, d. 37, s. 3, n. 7.

i. e. ratione *obiecti*, quod in se *factibile* est, immo in virtute ac *potentia* simpliciter practicam, quia *res de se* hoc permittebat.

843. — II. *Ratione obiecti* divina scientia dividitur in scientiam simplicis *intellegentiae, visionis* et *mediam.*

1. *Scientia simplicis intellegentiae* ea est, qua Deus rationes omnium possibilium percipit; est notitia de possibilibus atque etiam de omnibus rebus *in signo* merae possibilitatis. Per hanc Deus scit: *a*) quid possit esse, minime vero quid erit; *b*) quid agere posset creatura libera si his aliisve poneretur adiunctis, minime autem quid *determinate* tunc ageret. Scit quod Tyrii, si coram ipsis virtutes fierent, possent converti vel non converti; ignorat quod *converterentur;* minus adhuc scit futura absoluta. Est scientia simpliciter absoluteque necessaria, ab omni hypothesi, ab omni decreto independens, ordine quasi historico prima (Cfr. de signis, n. **833**).

2. Scientia *visionis* ea nominatur, per quam Deus res aliquando exsistentes simul omnes qua tales novit cum omnibus ipsarum actibus etiam liberis; quasi totam simul videt historiam mundi ab initio ad finem et in aeternitate actuum beatorum a parte post. Cum haec scientia *liberum* praesupponat decretum creandi, absolute contingens est.

Age vero neque in priori neque in altera scientia attingitur futuribile liberum. « Tyrii... converterentur »; pro *novo* hoc obiecto, cuius notitia in oeconomia providentiae momenti capitalis est, nova adest scientia.

3. *Scientia media.* Est cognitio certa liberorum futuribilium, in ipsa creatura praevie determinatorum independenter ab aliquo *actuali* decreto; « Tyrii, si apud eos miracula fierent, converterentur ».

1. *Eius natura.* 1) Est scientia *contingens* quoad praesentem constitutionem; i. e. quoad obiecta, quae de facto cognoscit. Si enim foret ut sub iisdem hypothesibus voluntas eligeret aliud, ut potuit, tunc scientia media in Deo fuisset *alia;* hoc *solo* sensu contingens est, i. e. quoad praesentem specificationem; *aliquam* enim Deus necessario habere debebat. Videlicet: si verum non erat creaturam tunc ad A sese inclinaturam, verum erat sese ad A *non inclinaturam*, sed vel ad B vel ad nihil; quod sane Deus scire tenebatur. Igitur haec scientia *in vago* sumpta *necessario* in Deo exsistit. 2) Duo sunt *de essentia* scientiae mediae, seu *essentialia* ipsius constitutiva: *a*) Cognitio *certa* de *determinato* libero futuribili; *b*) Praevia eiusdem futuribilis determinatio, non aliunde quam a creatura proveniens, praesertim *non a decreto aliquo absoluto* seu actuali (1).

844. — *Nota* 1. Praedicta duo essentialia, in definitione Bastida brevius ponuntur: *a*) cognitio certa liberi futuribilis; *b*) antecedenter ad omne decretum *absolutum.* Censemus tamen subaudiri additum a nobis, i. e. quod determinatio debeatur *creaturae;* nec satis esse si quis v. g. intellegat ab *essentia* Dei *ante* omne decretum iam futuribile determinari. Cum enim finalitas scientiae mediae duplex sit, α) vindicare *factum cognitionis*, insuper β) *modum* cum creata libertate *cohaerentem*, quod determinatio debeatur decreto vel essentiae pro casu idem est, i. e. si determinatio ipsimet non debeatur creaturae, per utrumque libertas aeque perimitur.

Nota 2. Post duplex *essentiale* elementum, varietas in aliis minutioribus

(1) Decretum *condicionatum* evidenter necessarium est, ideoque ingreditur inter hypotheses et adiuncta « *Si ego decernerem* creare hunc ordinem et concurrerem hoc auxilio, creatura eligeret A »; sed non sic: « *Decerno* quod si creem hunc ordinem, creatura ponat actum A ».

substantiam mediae scientiae minime degenerat. Hinc *a*) Quod cognoscibilitas in *ipso* insit futuribili tam universaliter iam accipitur, ut id essentiale credi posset; attamen Molina et Bellarmino sub media scientia cognoscibilitatem futuribilis in *causa* futuribilis reperiri voluerunt. *b*) Multo autem minus dices essentiale futuribilia *in seipsis directe* percipi etiam non prius essentia cognita; plures enim cum Suarez, Ruiz..., mediam scientiam sub contraria amplectuntur differentia (Cfr. prop. XXXVIII).

845. — 2. *Cur ita nominetur. — Omnino acceptanda. a*) Quoad primum: appellatur sic ratione sive *obiecti*, sive *necessitatis*. α) Pro *obiecto* habet non pure possibile sed maius quid, non aliquid exsistens sed minus (quod exsisteret sub hypothesi); igitur ratione *obiecti* visionem inter et intellegentiam *media* est. β) Est *in vago necessaria;* i. e. *aliquam* habere tenetur Deus (n. **843**); per quod iam a visione differt, quae simpliciter *contingens* est; seu potuit Deus *nullam* habuisse. Non est *necessaria* in specie; quae enim *nunc datur*, contingenter datur; hinc a *simpliciter necessaria* differt; haec enim non aliqua solum, sed ea praecise quae nunc datur, dari debuit. Igitur ratione quoque necessitatis inter duas alias media est. *b*) Quoad alterum: unicus apparet modus rationaliter res explicandi; igitur exsistit (1).

846. — 3. *Extensio.* In obiecto suo, in facto condicionato: *a*) *Nexus* requiritur inter antecedens et consequens, secus non erit propositio condicionalis; non est haec « Si Pontifex orat, Turca dormit ». *b*) Nexus debet esse non *necessarius* « Si sol luceat, dies erit », sed contingens; secus habebitur quoddam futuribile *materiale*, quod a Deo *naturali* scientia cognoscitur (ait Ruiz), non autem *formale*, i. e. ex his, quae sub scientia media cadunt, haec enim pro suo obiecto *contingentia* solum admittit ut *specialis* difficultatis. *c*) Denique (ut suo loco notavimus) se extendit ad *omnia* condicionata contingentia etiam ad ea, quae ex purificatione condicionis in absoluta transiere « Si Petrus in atrio tentetur, Dominum negabit ». Restrictio a paucis volita ad ea solum, quorum condicio nunquam erit verificanda, ratione caret, immo positivam rationem neglegit (supra relatam) pro maiori extensione: haec nempe scientia, consiliis praelucens providentiae, praedestinationis, etc. decreta creandi anteire tenetur respectu *praecise eorum* futuribilium, quae vi decretorum convertebantur in futura; atque ideo praecise decretum libertatem futurorum non tollit, quia eadem per prius et in signo futuribilium *liberorum* praevisa erant.

847. — 4. *Discrimen leve.* Ad dictam divisionem ea quoque facile trahetur, quae scientiam distinguit *abstractivam* et *intuitivam. Abstractiva* coincidit cum simplici *intellegentia; intuitiva* autem cum *visione*. Quod autem Patres quandoque *intueri* ac *videri* indistinctim alteri et alteri applicuerint obiecto, insinuat membra in utraque divisione leviter solum invicem distingui respectu Dei. Videlicet: Pro *homine* intuitiva ab abstractiva vehementer in claritate differt, nec minus in *modo obtentionis;* intuitiva enim ex activa rei praesentia obtinetur facultatem vivide tangente; immo si res actu

---

(1) Ad rem Suarez: « Et haec scientia vocari solet condicionalium contingentium, et a nonnullis appellatur *scientia media*, inter *simplicem* intellegentiam et scientiam *visionis*. De qua propter eius difficultatem, et quia ab antiquis Scholasticis non videtur *tam aperte tradita*, moderni theologi nonnulli *subdubitant:* alii etiam *negare* audent, quod repugnantiam involvere videatur. Ego autem existimo iuxta *doctrinam* antiquorum Patrum clarissimis Scripturarum *testimoniis munitam esse, nec posse in dubium revocari*, quin Deus hanc scientiam eminentissime habeat » (Opera Suarii, T. X. Opuscula « De Concursu », Lib. 1, c. 15, n. 2).

physice non exsistat, visione carere tenemur; ideoque vel actus ipsi abstractivi ab intuitivis specifice differunt. Pro *Deo* autem haec fictio vitanda. Claritas in eo pro omnibus aequa, actus idem simplicissimus (unicus *intuitus* simplex) omnia aeque facile attingens est, quaedam ut meras quidditates (pure possibilia), quaedam ut per notam actualitatis iam tacta sive absolute (futura), sive condicionate (futuribilia). Unde discriminum intensitas vix quidquam pro Deo; scientiarum *classes* proprie ibi non sunt; in nobis certe sunt; vel (ut cum Molina exponit Ruiz) distinctiones scientiarum non *intrinsecae*, sed *extrinsecae* sunt, i. e. ratione solum obiecti, signati, non signati, aliter ac aliter signati.

5. *Nec tam leve* tamen, ut etiam ex parte obiecti *scientia media* quasi *pars* haberi queat simplicis intellegentiae, ut haec *adaequate* sumpta utrumque capiat obiectum (1). — Profecto, cum obiectorum *specifica* diversitas ostensa nuper sit, nec nisi inde scientiarum in divinis discrimina desumantur, *una eademque* perperam dicetur scientia de obiectis tam diversis; unde et futuribile esse *partem* extensionis τοῦ *pure possibilis* tam falsum est quam τό esse *cognoscitivum* facere partem extensionis τοῦ esse *vegetativi*, aut similiter.

848. — III. 1º *Scientia approbationis et improbationis.* 2º *Approbationis et simplicis notitiae.*

Nova partitio duplici hac forma in auctoribus reperitur, praeferenter sub priori forma; intra quam varias adhuc accipit interpretationes seu membrorum limites.

1º *Scientia approbationis* ea est, quae respicit *bona* in quovis *exsistentia* tempore, quaeque Deus ob eorumdem bonitatem sua *complacentia* atque beneplacito non probare non potest. Praeter meram igitur notitiam rei, ex parte voluntatis positivam involvit approbationem operis. Tunc *scientia improbationis* respicit *mala moralia* (libere a creaturis electa), quae Deus nec per se amat nec per accidens, unde nec ea ullatenus probat, sed simpliciter *improbat*, prohibet ac punit, ob fines tamen altissimos permittit.

Divisio autem sic sumpta potius quaedam scientiae visionis *subdivisio*, quam divisio *scientiae* dicetur; omnis enim divisio *adaequata* sit oportet (nihil totius extra membra relinquens); haec autem relinquebat pure possibilia saltem. Igitur scientia sub aspectu tertio in scientiam *approbationis* et simplicis *notitiae* melius dividetur. Hinc

849. — 2º *Scientia approbationis et simplicis notitiae.* Rursum varie: *a*) Scientia *approbationis* est cognitio rerum *bonarum* cum adiuncta *approbatione* voluntatis; *simplicis notitiae* est cognitio mera bonorum *malorumque* sine adiuncta approbatione voluntatis [S. Thomas cum Magistro Sententiarum (2)]. In hac igitur explicatione scientia *approbationis* visioni saltem adaequatae non est identificanda; visio enim ad mala quoque sese extendit, non sic approbatio. *b*) Scientia *approbationis* cum visione adaequate coincidit, hinc se extendit et ad *bona* et ad *mala*, etiam ad peccata, quia Deus *videt* peccata de facto committi (Alvarez). Sed hoc universim reicitur. Suavius Ioa.

---

(1) Ita v. g. Remer: « Cui divisioni (in visionem et intellegentiam) addi potest iure scientia media, *si scientia simplicis intellegentiae* inadaequate accipiatur », n. 127.

(2) *a*) « Scientia simplicis notitiae communis est omnibus bonis et malis, scientia autem approbationis est bonorum tantum » (S. Th., De Verit., q. 7, a. 8). *b*) « Cognoscit ergo Deus et bona et mala per scientiam; sed bona cognoscit etiam per approbationem et per beneplacitum, mala vero non » (Mag. Sent. 1º Dist. 36). — *NB.* Mala, etsi vere cognita, quia tamen approbari a Deo non possunt, ideo metaphorice *nesciri* dicuntur: « Nescire dicitur dupliciter; uno modo metaphorice ad similitudinem nescientis se habere... » (S. Th. 1º Dist. 36, q. 1, a. 2, c.).

a S. Thoma: Visioni identica est, quia *approbatio* hic voluntatem sonat *efficacem;* est igitur cognitio cum adiuncto decreto, i. e. cum voluntate efficaci, quae quidem respectu bonorum est *verae approbationis*, respectu autem malorum merae *permissionis* (1). Neque sic admitti potest; *permittere* enim non est *approbare*. *c*) Scientia *approbationis* cum *simplici intellegentia* identificatur, prout haec dictat modum faciendi bona dirigitque decretum faciendi bona. Cum igitur omnem praevertat visionem, cum hac (etiam ad bonum restricta) identificari nequit. Ita Ruiz (2). *d*) Idipsum alii paulo aliter cum Raynaudo: Scientia *approbationis* est scientia simplicis *intellegentiae cum* adiuncto *decreto;* per hoc decretum Deus quasi approbat scientiam possibilium, eamque convertere decernit in proxime et actu practicam (fecundam), cum de se nonnisi *remote practica* esset (3).

850. — *Resolutio.* Explicationes *a*), *c*) et *d*) verae sunt; hoc differunt: Forma *a*), prout *exsistentia solum* complecti videtur, est divisio non *scientiae* sed *visionis;* sub qua quidem obiecti restrictione clarius sonat divisio in scientiam *approbationis* et *improbationis* (bonorum ac malorum actualium). Formae autem *c*) et *d*) ei melius aptantur divisioni, cuius membra dicantur scientia *approbationis* et scientia *simplicis notitiae;* vix tunc a divisione differunt in practicam et speculativam; eruntque evidenter *adaequatae*, i. e. *totam* dividentes scientiam Dei. Iam membrum *approbationis* praeter bona actualia etiam *possibilia* capit in res actuales convertenda; hinc *non meram* significat notitiam, sed cui *decretum* accessit creandi; immo scientia *approbationis*, ut membrum huius partitionis, principaliter id significare tenetur; Deus enim proprie in iis sibi complacet, quae ipse *facere decrevit*. Reliqua a Deo scita pro altero manebunt membro, videlicet: possibilia a decreto non tacta, futuribilia, futura sive mala sive etiam bona, quae Deus mere contempletur (4).

851. — IV. *Necessaria et libera.* — *a*) *Necessaria* dicitur scientia, quae independenter a decretis actualibus (ab hypothesi creandi) exsistit in Deo, nec aliter quam nunc est esse potuit. Tali scientia Deus seipsum cognoscit et possibilia, non autem nec futura, nec futuribilia libera; haec enim potuerunt *alia* esse, ideoque scientia de his potuit et ipsa *aliter* constitui. *b*) *Libera* seu *contingens* ea est, quae absolute potuit aut non dari, aut aliter dari. In hypothesi scilicet non creationis scientia *visionis* de futuris nulla fuisset; in hypothesi autem diversae futuribilium electionis e parte creaturae scientia *media aliter* fuisset constituta. Ceterum hypothetice etiam hae scientiae necessariae sunt; i. e. posito decreto creandi, hisque determinatis futuribilibus, *haec* iam *visio* et *haec media scientia* haberi debuerunt; cum divina perfectio aliquid scibile aut nesciri, aut non vere sciri fixeque quoad signationes, quoad status, permittere nequeat.

Denique scientia *necessaria* coincidit cum scientia simplicis *intellegentiae;* libera autem cum *scientiis visionis* et *media*.

---

(1) Ioa. a S. Thoma, « De Deo », disp. 18, a. 3.
(2) Disp. 18, s. 3, n. 18.
(3) « Unde necesse est, quod sua essentia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam. Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia *approbationis* » (S. Th. I p., q. 14, a. 8, c.).
(4) Cfr. Urráburu, 8, n. 20.

Articulus III.

CAUSALITAS DIVINAE SCIENTIAE

Propositio XLVIII. **Scientia Dei, quae vere causat res, solum adiuncta voluntate, est scientia simplicis intellegentiae.**

852. — *Praenotanda. St. q.* Quaeritur utrum, quomodo et quaenam scientia Dei sit *vera rerum causa.*

1) Quod *aliqua* Dei scientia, nec materialiter solum sumpta (sic enim *Deus* ipse est) sed etiam formaliter seu sub formalitate *cognitionis* sit vera rerum causa, habetur quasi dogma in theologia et philosophia.

2) Quod *mera* scientia ad hoc non sufficiat, nisi efficax ei accedat voluntas, facile evincitur, licet clare concessum non semper apparere soleat.

3) Vera igitur quaestio circa *speciem* versatur *scientiae*, cui dictus tribuatur titulus.

853. — *Pars* 1ª. « Scientia Dei est *vera causa* rerum ». *Prob.* Ut in naturali corporum operatione causalitas tribuitur *qualitati* (calori...), proximo operationis principio, cui effectus assimilatur, ita in operatione agentis *intellectivi* causalitas ipsi est accensenda *intellectui*, cuius typis opus assimilatur. *Atqui* conditor mundi est agens *intellectivum*, cuius opus typis perceptis conformatur. *Ergo* scientia Dei vera rerum causa est.

Maior in artifice elucet creato, in cuius opera (quoad formam, directionem...) manifesto influunt sive phantasia sive in difficilioribus intellectus cum suis calculis ideisque iis, quas artefactum imitatur. Ergo a fortiori in divino opifice. « Unde oportet quod forma *intellectus* sit *principium* operationis sicut calor est principium calefactionis » (1).

854. — *Pars* 2ª. « *Nonnisi adiuncta voluntate* ». *Prob.* 1. « Scientia secundum *rationem scientiae* non dicit aliquam causalitatem » (2). *Ergo* ad hoc ut scientia vere causet, aliquid ei accedat oportet, quod e voluntate veniens erit decretum efficax res exsequendi.

Conseq. Etenim in *intellectuali* operante sola concipitur *voluntas* dominans, quae intellectum impellat ut ad externa se applicet.

Antec. Agitur enim de causatione alicuius *ad extra* et pro opere *externo* conficiendo; ideoque requiritur inclinatio ductiva *ad extra.* Atqui mera scientia de se *ad intra* ducitur tota; est enim *immanens*, mera contemplatio. Ergo sola scientia res *ad extra* causare nequit.

855. — *Prob.* 2. Si scientia sola res causaret, omne factibile a Deo scitum ad extra poneretur aeterneque poneretur. *Atqui* infinita sunt possibilia (factibilia), quae non causantur, ab aeterno quidem nullum. *Ergo* scientia nonnisi adiuncta voluntate causare potest.

856. — *Coroll.* Ergo si scientia causans *approbationis* nuncupetur, scientia *approbationis* in uno saltem ex suis sensibus decretum *voluntatis* involvit (Cfr. a. II); pro Aquinate clare: « Unde necesse est quod sua scientia sit causa

---

(1) 1 p., q. 14, a. 8.
(2) De Verit., 2, 14.

rerum, secundum quod habet *voluntatem* coniunctam. Unde *scientia* Dei, secundum quod est *causa* rerum, consuevit nominari scientia *approbationis* » (1).

857. — *Pars* 3ª. « Scientia causans est scientia *simplicis intellegentiae* ». *St. q.* Huic doctrinae communissimae obstant praedeterministae cum scientia *visionis* varie. Scientia causa rerum (aiunt) est scientia *visionis;* res scilicet *ideo* sunt quia *visione* praesciuntur; simplex enim intellegentia cum adiuncta voluntate (res faciendas seligente) causa quidem est sed *remota;* venit *imperium intellectuale* « fac hoc » impositum Omnipotentiae *liberamque* praesupponens voluntatis electionem; atque hoc imperium et haec scientia (visionis) sunt *proxima* rerum causa. Ita iuniores thomistae.

Si obicias: Qui fieri possit ut imperium, *anterius* rebus, quippe quod eas *causare* debet, sit tamen *visio*, nisi ponatur visio non *exsistentis* contra essentiam visionis; visio distinguenda duplex (respondent): *speculativa* et haec quidem rebus posterior est, de rebus factis; *practica* de rebus faciendis, quas intuetur quidem sed ut deinde exstituras, cum ipsa praecise (quia practica) Omnipotentiam ad earumdem *effectionem applicet.* Igitur *una* in se scientia et *visionis* et *approbationis* est; qua *visionis* (qua rerum consideratio in esse quieto) non est practica, sed supponit eas antea fuisse factas a seipsa quatenus per prius fuerat scientia earumdem *practica* i. e. *approbationis;* fere sicut intellectiva *operatio* (realiter unica) *a*) in quantum est intellectio in esse *quieto* (i. e. contemplatio verbi) non est causans, sed videns aliquid (verbum), quod intellectio inquantum erat dictio seu actio productiva verbi per prius causaverat (2).

858. — *Declaratur magis.* Tria hic distinguenda signa: 1) simplex *intellegentia* proponens *omnia* creabilia; 2) *electio* voluntatis (libera) *horum* prae aliis ad creandum; 3) *imperium intellectus* (proin scientia) Omnipotentiae imperans ut electa exsecutioni mandet. Hoc tertium est scientia *causa rerum* ac practica; simul scientia *visionis* et *approbationis: visionis*, quia quasi anticipate res factas contemplatur; *approbationis* autem, quia libere prius volita fuit; *causa* denique *rerum*, quia influit in Omnipotentiam et in terminum (3).

Nostra sententia, multo simplicior inque clarioribus scientiae signis quiescens, in formula theseos continetur; res non *ideo* erunt, *quia videntur*, sed ideo videntur quia erunt, ut de *liberis* saltem futuris dicere omnes *tenemur.*

859. — *Prob.* 3ª *pars.* Cum de signo agitur scientiae pro munere tituloque praesenti, ea est dicenda rerum causa, quae rem factam *antecedens* in eiusdem *influit* effectionem. *Atqui* scientia *simplicis* intellegentiae non autem visionis sic se habet. *Ergo* illa, non haec, causa rerum est.

Maior. Causa prior est effectu; prius est esse quam operari. Ergo scientia *rerum causa*, seu signum, in quo scientiae (unico actui) hic competat titulus, res causatas *anteire* debet in ipsasque influere.

Min. 1ª *pars. a*) *Antecedit.* Haec enim scientia, dirigens actum voluntatis electivum (qui est decretum efficax), a fortiori antecedit *rem*, quae solum sub decreto non prius determinatur ad esse, nec alius requiritur influxus ut

---

(1) I p., q. 14, a. 8.
(2) Cfr. *Gonet*, « Clyp. Theol. Thomist. », 1°, disp. 3, a. 2, n. 2; *Viva*, « Curs. Theol. », 1 p., d. 3, q. 5, n. 111; ap. Urráb. 8, n. 24.
(3) Cfr. Ioa. a S. Thoma, « Curs. Theol., » in 1 p., q. 14, dist. 18.

ponatur in esse. *b*) *Influit.* Nam ex 1ª et 2ª parte scientia causa rerum (influens in res) est cognitio, cui voluntas adiungitur (per decretum). Atqui talis est simplex intellegentia. Ergo influit.

Min. 2ª *pars. Non visio.* Haec enim, quia supra determinata ad esse cadere tenetur, res *supponit per prius* iam ad esse determinatas. Ergo ipsas qua tales *non praeit.*

Ad antec. Simplex intellegentia adiuncto decreto res ad esse determinaverat quin aliud e parte omnipotentiae exspectaret. Atqui visio in determinata ad esse cadit. Ergo *supponit* (non praeit) res per prius ad esse determinatas.

Nota. Etiam in hypothesi distinctionis voluntatis (decreti) ab omnipotentia, respectus ad omnipotentiam hic nihil facit. Nam scientia causa rerum (ex 2ª parte et iuxta omnes) intra classicam Aquinatis formulam est cui adiungitur *voluntas:* « Et ideo a scientia nunquam procedit effectus, nisi mediante *voluntate* » (1). « Et sic voluntas Dei potius dicitur causa rerum, quam *potentia* » (2).

860. — *Prob.* 2. Non esse visionem per modum imperii intellectualis « fac hoc ».

Nam: 1) Est *inutile.* Intellegunt illud imperium ut novam illustrationem postquam voluntas sub scientia possibilium posuit decretum « volo has res facere »; seu « fac hoc » mediat (aiunt) ut quid intellectuale (igitur ut *lux*) inter *voluntatem* quae iam decreverat et inter *potentiam* exsequentem, in hanc influens. Atqui *inutile* est. Voluntas enim sub plena simplicis intellegentiae luce decreverat « volo ». Atqui pugnat ut adhuc *nova* lux per « fac hoc » accedat, ut exsecutioni rem mandare possit; sicut etiam falsum est (ex Psych.) « fac hoc » esse *lucem* seu quid intellectuale. Ergo *inutile.* 2) *Nequit* esse *visio.* Porro visio praesupponit rem determinatam ad esse. Atqui iuxta illos anterior est et requisita ut res *fieri possit;* unde nisi praecedat visio « fac hoc » non datur *sufficientia in causa* ad faciendam rem, nec magis datur res determinata in esse, ad esse. 3) Pro S. Thoma (Cfr. citationes nuper in prob. 1ª allatas) scientia causa rerum « se habet ad opposita ». Atqui visio « fac hoc » non se habet ad opposita. Ergo non est scientia causa rerum. 4) Pugnat cum thesi illa classica Patrum, Theologorum, in primis S. Thomae, supra stabilita: res (maxime *liberas actiones*) non ideo esse futuras quia praevisas, sed ideo praevisas quia futuras. Ergo est theoria omnino expellenda.

861. — *Corollarium.* Ergo *a*) eadem scientia practica, simplex intellegentia cum adiuncta voluntate, est aliquo *vero sensu* ac *proxime* causa omnis necessitatis et contingentiae in rebus earumque operationibus. Etenim dicta scientia cum decreto est causa *rerum omnium* cum suis virtutibus ac operationibus. Quia vero aliis naturam dedit necessario operandi, aliis libere operandi, hoc sensu ipsa est causa omnis sive necessitatis sive contingentiae. *b*) *Remote* autem *essentia* Dei est fons, radix, ultima ratio possibilitatis exsistentiaeque rerum earumdem. Ergo *c*) causa omnis necessitatis et contingentiae in rebus ac operationibus ultimo remoteque non scientia sed *essentia* est Dei. Porro *essentia ipsa* imitabilitates in se dicit, non *in vago*, sed *determinatas* ac individuas, i. e. in determinatis individuis imitationem actualem habere capaces.

---

(1) De Verit., q. 2, a. 14. Et 1° Dist. 45, q. 1, a. 3, c. sic: « Sed quia scientia se habet ad opposita,... ideo oportet aliquid aliud addere, in quo perficiatur ratio causae. Et hoc est *voluntas* ». — « In scientia non perficitur ratio causalitatis, ut dictum est, nisi adiuncta voluntate » (ib. ad 1).
(2) Ib. ad 2.

Articulus IV.

IDEAE EXEMPLARES IN DEO

Propositio XLIX. In Deo dantur ideae exemplares; hae realiter et subiective una, obiective plures sunt; nec tamen proprie loquendo de pure possibilibus.

862. — *Praenotanda. Notiones. Exemplar* est quaedam forma, est forma sub una acceptionum eius; hinc minus late patet quam forma. *Exemplar* enim dicitur id, ad cuius imaginem vel similitudinem aliquid efficitur. « Tertio modo dicitur forma alicuius illud, *ad quod* aliquid formatur; et haec est forma *exemplaris*, *ad cuius* similitudinem aliquid constituitur » (1).

Ut autem forma sit vere *exemplaris*, eius imitatio obtenta sit oportet, non utcumque v. g. vel casu, vel *naturaliter*, sed ex *intentione* operantis; seu ut sit forma, « quam aliquid imitatur *ex intentione* agentis, qui determinat sibi finem » (2). Quod sane in dicta innuitur definitione per particulas « *ad quod* », « *ad illam* formari ». Igitur *exemplar* proprie est forma, cuius imitationem agens (artifex) in suo opere *intendit.*

863. — Exemplar autem duplex esse potest: *externum* et *internum.*

Externum est forma sensibilis extra operantem sistens, quam operans imitari intendit. *Internum* est similitudo operis, quam cognitive praeformatam operans reproducere nititur in suo opere, quaeque « Idea » nominatur. Unde « Idea » vel « Idea exemplaris » est similitudo (forma) cognitive praeformata, quam operans intendit suo operi imprimere ideoque (notat S. Thomas) *idea* pertinet ad scientiam *practicam* (3).

Idea proprie significat exemplar *internum;* externum improprie solum dicetur idea. — *NB.* Idea hic non pro quolibet sonat conceptu aut notione, licet et haec appelletur idea; v. g. idea seu notio, quam Deus de seipso habet, quam nos de Deo, de angelo etc. habemus, non est *idea sensus praesentis.*

864. — *St. q.* De ideis igitur propriis (exemplaribus) ponitur quaestio variis constans partibus. — Supponitur Deus mundi factor, creator; quique res non emanastice fataliter, sed ex *deliberata efficientia* condiderit.

865. — *Pars* 1ª. *Ideae exsistunt in Deo. Prob.* Qui opus deliberate conficit, normam praefigit seu exemplar internum (« ideam »), cui opus externum conformare intendit. *Atqui* Deus sapiens, in creando liber, mundum deliberate confecit. *Ergo* ideae rerum dantur in Deo.

Min. Partim constat ex perfectione Dei personalis, causae *efficientis* mundi; partim infra probanda quoad *libertatem* creationis.

Mai. Qui *naturali* clinamine ad naturalem vehitur operationem, in sua habet naturali forma rationem operis facti explicativam eiusque cum operante similitudinis. Ergo qui ex *intentione* deliberata externum exsequitur

---

(1) De Verit., q. 3, a. 1.
(2) « Non enim dicimus, quod forma hominis generantis est idea vel exemplar hominis generati » (ib.).
(3) Cfr. S. Th. 1 p., q. 15, a. 3.

opus, loco naturalis formae formam *praecognitam* habebit ut normam. *Cons.* Secus enim nec sapienter operabitur nec secundum intentionem; seu apta operis exsecutio inexplicata manebit. Profecto si internum *ideale* non dirigebat, cum internum naturale pro casu non valeat, externum vero impossibile (pro Deo) sit, ipsa operis interna ordinatio ratione carebit sufficienti; seu opus non externabitur quale *intenditur*. Ergo qui opus deliberate exsequitur, *ideam* habet.

Pars 2ª. *Ideae exemplares subiective una sunt.*

866. — *Prob.* Ideae exemplares in se seu *subiective* sunt aliquid divinum, increatum; sunt enim *actus ipse* intellectivus Dei. *Atqui* hic actus unus est. *Ergo* et ideae subiectivae *una* sunt.

Mai. Non sunt *typi externi*, formae Platonicae, aut quid simile, realiter *extra* Deum exsistens. Nam vel sunt a se, et tunc sunt *Deus* ipse; vel ab alio i. e. a Deo, et tunc Deus ad horum effectionem typorum *anterioribus* fuisset usus ideis, quas tandem esse diceremus ideas. Increatae autem externae non sunt; quia solus Deus talis est. — Ergo sunt quid *internum*, actus proin cognitivus.

Min. Nam actus intellectivus identificatus est cum essentia ipsa Dei. — Ergo actus subiectivus unus est. — Ergo et ideae subiectivae sunt *una*.

Pars 3ª. *Ideae obiective plures sunt.*

867. — *Prob.* Ideae, si obiective ac velut terminative sumantur, i. e. ut termini ideae subiectivae, tunc non aliud sunt nisi obiectivitates possibiles inquantum per practicam scientiam (subiective unam) inspectae ut determinate realizandae, seu inquantum inspectae ut normae *practicae*, ad quarum formam res conficiendae sunt. *Atqui* hae normae *plures* sunt. — *Ergo* ideae obiectivae *plures* sunt.

Mai. Sunt enim *potentiae obiectivae*, quarum actuatio sapienter decretata deliberate est exsecutioni mandanda. Ergo ideae obiectivae sunt formae possibilium individualium ac ipsae individuales prout scientiam practicam terminantes; solum enim prout individue concreteque configuratae, rebus physicis ut sigillum sigillato, imprimi possunt.

Min. Tot esse tenentur, *quot* individua possibilia exsecutioni destinata. Atqui haec plura sunt, tot quot res exsistentes, exstiturae. Ergo normae obiectivae *plures* sunt.

Pars 4ª. *De pure possibilibus non ideae* stricte tales.

868. — *St. q.* Sub duplici idearum acceptione: 1) Ideae *late* tales de pure etiam possibilibus dantur: *a*) *remote;* in quantum haec quoque aliquid sunt cognitum, hinc terminus *unius* operationis, cognitionis speculativae; id tamen in re minimum est; sic etiam de Deo datur idea, cum Deus cognoscat seipsum; *b*) magis *proxime*, in quantum vel pure possibilia de se factibilia sunt, ideoque intellectui *practico* subicibilia, *strictis* ideis subicibilia; quod sane Deo non competit. Sic sumptae ideae dicuntur *rationes* rerum. 2) Ideae stricte *proprieque* tales nuper (n. **863**) declarabantur; has de pure possibilibus negamus.

869. — *Prob.* Ideae stricte tales sunt formae internae, ad quas conformandae sunt res faciendae, seu res per efficax decretum exsecutioni destinatae. *Atqui* pure possibilia tali carent destinatione. *Ergo* ideae propriae de his non

sunt (1). — *NB.* De his autem excludimus ideas sive *subiectivam*, sive *obiectivas.* Illam quidem, quia cum *actu* ipso cognitivo confunditur ut hic scientia *practica* est, et de pure possibilibus nonnisi *speculativa* habetur scientia; has autem, quia sunt typi obiectivi, essentiae videlicet in individuo determinatae, prout ad esse actuale *destinatae* ideoque prout *practicam* terminantes cognitionem. Cum vero pure possibilia simili careant destinatione, etiam ideis carent obiectivis (2).

870. — *Corollarium.* Ergo sicut idea subiectiva, sic *essentia* Dei exemplar rerum est non formale, sed *radicale-virtuale-eminentiale.* Etenim essentia et idea *subiectiva* idem sunt, realitas divina, unica, infinita, fecunda, *aequivoca.* Unde qui essentiam Dei *exemplar* rerum *formale* conciperet, ipsam realiter conflatam conciperet pluribus limitatis formis. Ergo in Deo reali nec *essentia*, nec *idea*, nec species *impressa*, nec species *expressa*, sunt *exemplar formale* ac *univocum;* sunt enim una simplexque realitas, respectu omnium *aequivoca.* Ergo quoties exemplaria nominamus *formalia*, cognitio ad *terminos* est ducenda, nimirum ad ideas *obiectivas* creaturarum seu ad *formales* creaturas in signo essentiarum possibilium ad exsistendum destinatarum.

871. — *Scholion — Corollarium de formis Platonicis.*

1. *Non sunt quid divinum.* Ex tota propositione liquet *Ideas Platonicas* (*formas*) cum *divinis* ideis non identificari nec cum subiectiva nec cum obiectivis. *a*) Non cum *subiectiva;* haec enim actus divinus, cognitio ipsa practica Dei est, *una res*, infinita simpliciter, Deus. Atqui formae Platonicae sunt *plures res* singulae *limitatae:* planta, homo, leo... Ergo. *b*) Non cum *obiectivis;* hae enim α) nihil *actuale* sunt; β) sunt tot obiectivitates quot individua facienda; γ) tam singulares quam res factae, unaquaeque enim res facta sibi respondentem ideam (obiectivam) *totaliter* quasi evacuat. Atqui formae Platonis: α) sunt actu *exsistentes;* β) non tot, quot *individua* actualia formas participantia, sed *una realis* pro omnibus unius speciei individuis, in quibus *realiter* velut incarnatur, sicut in intellectibus *intentionaliter;* γ) nec sunt *singulares*, sed *universales* reales (Realismus universalium) extra-mundanae. δ) Unum mundi individuum *totam* formam non *evacuat*, sed ab alio participatur physice, sicut nec *intentionaliter* ab una mente sic absorbetur, ut et ab aliis infinitis repraesentari non queat. In his sane formae Platonicae plus ad subiectivam divinam quam ad *obiectivas* ideas accedunt.

872. — 2. *Neo-Platonici et Augustinus — Aristoteles et S. Thomas.*

Plato quidem suarum characterem formarum non satis definivit. Inde 1) *Neo-Platonici* (necnon *Augustinus*) ob reverentiam forsan, ideas Platonis cum *divinis* identificarunt. 2) Sed *Aristoteles* proprio utens Marte (ab auctore enim formarum lucem de his exposcere inutile censebat) formas nitide pinxit, easque despexit ut *realitates* autonome alicubi subsistentes (3). 3) Cuius premens vestigia S. Thomas in formas invehitur ut in magnas metaphysicas aberrationes; Augustinum autem et Ciceronem formarum *divinizatores* extra Platonis animum collocatos habet.

Igitur sive ab intrinseco sive ab extrinseco ideae Platonianae dicendae sunt *non divinae* nec divina mente exsistentes, ἀλλ'αὐτὸ καθ'αὐτό ... (Arist.). Atque ita iam de his universim sentire videntur auctores (4).

---

(1) D. Thomas scribens « Deus habet *ideas exemplares rerum, quas cognoscit* », videtur de rebus cogitare aliquando exsistentibus, non de pure etiam possibilibus.

(2) Ceterum usus iam fert ut voces « idea, ratio, exemplar... » indistinctim etiam adhibeantur; unde vel pure possibilia *typi* quandoque nuncupantur, etc. De his erudite Suarez, « De Deo », L. 3, c. 3.

(3) Cfr. Arist., Metaph., Lib. 13, c. 4.

(4) Eamdem referunt sententiam tenentque cum aliis cl. Klimke (S. I.), « Institutiones Hist. Philos. » (Vol. 1, p. 37); cl. *Dominguez* (S. I.), « Historia de la Filosofia » (Santander, 1922, p. 41).

TRACTATUS DE DIVINA VOLUNTATE

873. — *Rerum distributio.* In omni ente cognoscitivo cognitionem sponte sequitur inclinatio in cognitum; in ente intellectivo intellectum et intellectionem voluntas et volitio; nec aliter de Deo est. Hinc tractatui de divino intellectu brevis succedit de voluntate tractatio, duplici comprehensa capite:

Caput XI. — De Exsistentia et obiecto voluntatis divinae.
Articulus 1. — Exsistentia voluntatis in Deo.
Articulus 2. — Obiectum primarium voluntatis divinae.
Articulus 3. — Obiectum secundarium voluntatis divinae.
Articulus 4. — Amor possibilium et impossibilium.

Caput XII. — De Proprietatibus actibusque voluntatis divinae.
Articulus 1. — Necessitas ac libertas volitionis divinae.
Articulus 2. — Conciliatio libertatis cum immutabilitate.
Articulus 3. — Causa vel ratio voluntatis divinae.
Articulus 4. — Classes voluntatis divinae.
Articulus 5. — Actus et virtutes voluntatis divinae.

Conclusio. — De vera vita Dei.

CAPUT XI.

De Exsistentia et obiecto voluntatis divinae.

Articulus I.

EXSISTENTIA VOLUNTATIS IN DEO

Propositio L. Est in Deo proprie dicta voluntas, non per modum potentiae, sed per modum actus.

874. — *Praenotanda.* Voluntas est inclinatio entis intellectivi in bonum ab intellectu propositum. Quae inclinatio esse potest sive in bonum absens, quod volens desiderat, sive in praesens, cuius possessione gaudet; et quia evidenter voluntas ad utrumque se habere potest, data definitio indubie vera est. Aliam breviorem « voluntas est *appetitus* rationalis » ideo quidam refugiunt, quia *appetitum* audiunt ad bona *solum absentia* relatum, nec raro ab Aquinate sic restringitur; Scholae autem usus restrictione deleta phrasim consecravit (Cfr. Psych.).

Propositio ad *dogmaticas* pertinet, ut in ipsa nominali Dei definitione aut expresse aut implicite contenta « ens... intellectu ac voluntate praeditum », omniumque animis tam firmiter posita, ut si Deus sine intellectu et quidem subtilissimo *verus* Deus a nullo dicatur, non magis Deus sine voluntate constitutus, sine infinita mundum hominesque complectente benevolentia, possibilis credatur.

Hinc Aristoteles, Plato, illorumque discipuli, verbo tenus hic adversarii, phrasibus enim utuntur contrariis (citatis ab Alb. M. et Ruiz), id unum intendebant, ut a Deo aut desiderium *absentis* amoverent, actui puro manifeste oppositum, aut etiam bonum *realiter motivum* seu physice voluntatem movens, ut Plato loquitur; nullatenus autem Deo denegarunt internam de summo bono complacentiam, aut in pleno gaudio beatitudinem.

875. — *Prob.* 1. *A priori.* Voluntas est inclinatio entis intellectivi in bonum ab intellectu propositum; est appetitus rationalis. *Atqui* in Deo, ente intellectivo, talis inclinatio datur. *Ergo* voluntas exsistit in Deo.

Prob. Min. In omni ente inclinatio datur in bonum sibi conveniens ita, ut eo possesso inclinatio quiescat, secus in illud tendat; quae sane inclinatio pro entis natura aut naturalis est in naturalibus, aut elicitus in intellectivis. *Atqui* Deus est ens naturae intellectivae, suam cognoscens perfectionem suumque bonum (prop. XXXIV). *Ergo* in Deo inclinatio datur ad bonum suum *elicita*, praelucente nempe cognitione. « Quiescit in bono, quod habet, et sibi in eo complacet » (S. Th.).

Ad mai. Prima entis inclinatio est ad primum bonum, ad seipsum, ad specificam sui perfectionem: « quidlibet amat suum esse »; deinde nascuntur additionales tendentiae ad accidentales perfectiones et bona; v. g. in intellectu ad actualem intellectionem, in corpore ad densitatem sibi debitam, etc. (1).

876. — *Prob.* 2. Prima causa operatur propter finem (5ª via). *Atqui* non propter finem *ab alio* formaliter intentum. *Ergo* ob finem *a se* immediate ac formaliter volitum. *Ergo* Deus vere vult, proin voluntate donatur.

Min. Secus enim prima causa non Deus, sed illud *aliud* esset, quod immediate formaliterque finem intendens, Deum ad eius duceret exsecutionem.

877. — *Prob.* 3. Deus in se formaliter continet perfectiones omnes simpliciter simplices. *Atqui* esse volitivum seu formalis volitio perfectio est simpliciter simplex. *Ergo* ponenda in Deo.

Min. Actui volitivo imperfectio misceretur, inquantum vel essentialiter *desiderium* involveret motumque versus bonum *absens*, vel saltem inclinationem diceret ad bonum a volente distinctum huiusque *perfectivum*. Atqui de essentia volitionis neutrum est. Ergo volitio *ex se* imperfectionem non involvit.

Ad min. Velle *seipsum*, in hoc gaudere, est volitio boni *praesentis* a volente *indistincti*. Atqui talis volitio utramque fugit imperfectionem. Ergo volitio *de se* imperfectionem non dicit.

878. — *Pars* 2ª. *Per modum non potentiae sed actus.* Probatione non eget. Voluntas enim in Deo cum essentia identificatur. Atqui divina essentia, actus

---

(1) Scite Toledo: « Unde aliter ad rationem S. Thomae exponendam dico quod si *vigorem* habet, sic est intellegenda. Unumquodque habens perfectionem aliquam, habet inclinationem in ipsam: at natura intellectualis habet suam perfectionem propriam, erga quam sic se habet, quod *cognoscit* et intellegit eam: ergo habebit inclinationem in perfectionem talem, *cognitione* comprehensam. Talis inclinatio voluntas est, qua in bonum intellectu cognitum ferimur, vel in ipso quiescimus: Ubi igitur intellectus est, ibi etiam inest voluntas. — Ad hunc sensum trahenda est ratio; aliter vim non habet demonstrandi » (In Summam S. Th. T. I, q. 18, a. 1, in fine).

Alludit ad celebre aprioristicum (quo usi sumus) S. Thomae argumentum (I p., q. 19, a. 1, c. et alibi), de quo acriter disputabatur utrum necne et quomodo validum. Caietanus illud magis intricaverat, atque ita composuerat, ut prout tale a Vazquez aliisque simpliciter nullum reputaretur, aliis tamen etiam prout tale vindicantibus, quos inter Ioa. a S. Thoma (T. 3, q. 19, disp. 4, a. 1, nn. 4, 5, 6...), qui ab obiectionibus Vazquezii illud extricare omni via tentat, sine successu tamen. — In se tandem, et prout a Toledo conformatum, efficax esse vidimus.

purus et simplicissimus, omnem a se potentialitatem avertit, consequenter sive facultatem sive habitum ab operatione distinctum. Ergo voluntas in Deo per modum *operationis* exsistit.

879. — *Corollarium.* Ergo quod divinam voluntatem non omnia comitentur quae humanam, minime significat divinam non esse *proprie dictam* voluntatem; significat solum eam non esse *qualis* humana est, sed aliam omni carentem compositione. Voluntas scilicet ex se nec potentiam dicit cum habitibus, nec absentium desideria; dicit solum inclinationem ad bonum cognitum, utcumque haec constituta reperiatur. Distingue inter ea, quae competunt voluntati *qua voluntati*, et *voluntati* qua *finitae*.

880. — *Scholion I.* Sicut humanum, sic divinum velle « appetitus » dici potest. Est enim « appetitus » vaga vox, inclinationem entis in *bonum philosophice* significans, nec ex se characterem boni magis determinans. Appetitus, si est boni absentis, erit *desiderium;* si praesentis, *gaudium;* si ab utroque praescindentis, *amor;* si identificati secum, « *omne* ens *appetit suum* esse »; si a seipso distincti, « bonum est quod *omnia appetunt* ». Quod bonum « appetitus » esse teneatur sive *absens* sive ab appetente *distinctum* est bina condicio, quam sat arbitrarie reclamares, in idiomate inquam sensuque philosophico; ceterum quod appetitus vulgari usu boni absentiam passim connotet, concedi potest, sed vulgus etiam exclusive bonis *sensibilibus* vocem applicat, attamen philosophi appetitum elicitum in *sensitivum* dividunt et *rationalem.* Hinc nec invocatus usus nec etymologia « petere *ad* » (absens) lex sint restringendi; nec fuere tempore S. Thomae. Idem enim, qui in Distinctionibus scripserat « appetitus proprie est rei non habitae » (1), in *Summa* ait quod nostra *voluntas,* etsi ab *appetendo* appelletur appetitus, « non tamen hunc *solum* habet actum ut appetat quae *non habet;* sed etiam ut amet *quod habet,* et delectetur in illo » (2).

881. — *Scholion II.* Appetitus ipse innatus Deo concedendus est totali immo extensione, i. e. sive relate ad *se* seu ad bonum *internum,* quale est suum esse, bonum sibi (cuius *identificatio* cum appetente fuit ratio negandi pro Compton aliisque), sive relate ad se sub ratione *principii* activi fecundi ac imitabilis. Omne enim ens appetit naturaliter (innate) suum esse.

Profecto: volitio divina *naturalis* (appetitus innatus) amat se absolute et respective, seu se bonum sibi et se bonum aliis; se diffusivum sui, ad extra imitabilem; utroque modo amat se *necessario* ex essentiali determinatione, proin *naturaliter,* sicut et alia entia proprium esse *naturali* amant appetitu.

Attamen Deus se diffusivum sui naturaliter amans, suam simul extrinsecationis *libertatem* amat, plenum videlicet dominium de reducenda in actum communicabilitate sui esse. Unde appetitus *innatus* est τοῦ *posse* se communicare, in quo et de quo *necessario* gaudet; non autem est *innatus* appetitus τοῦ communicare se *de facto* seu de *actuatione* diffusivitatis; porro Deus creaturas *libere* vult (prop. LIV).

Articulus II.

DE OBIECTO PRIMARIO VOLUNTATIS DIVINAE

Propositio LI. **Obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis ipsa Dei bonitas est.**

882. — *Praenotanda.* Ut in simili circa intellectum quaestione notabamus, nunc etiam quaedam exstat in dicendo varietas, quoad *rem* tamen mens una est omnium.

---

(1) 1° Dist. 45, q. 1, a. 1.
(2) 1 p., q. 19, a. 1, ad 2.

Notiones psychologicae brevi recolendae:

Obiectum voluntatis id est, in quod voluntas inclinatur, seu quod voluntas amat; aliquid conveniens, bonum.

Materiale est obiectum prout in se est.

Formale est obiectum sub ratione sub qua a voluntate attingitur, i. e. sub ratione convenientis et boni. Quod pro *qualibet* voluntate est ens ut bonum.

Sed sub tali *generico* obiecto formali, quaerimus nunc *formale specificum*, divinam a ceteris discriminans voluntatibus, et intra seipsam specificans, ob eius plenam cum hac voluntate proportionem, omnino ut supra de intellectu (Cfr. prop. XXXVIII).

Ulterius autem a *formali* obiecto nunc exigendum non est, ut volitionem Dei vere *causet*, sicut vere causat volitiones *creatas*. Pro divina, quia sub *reali* moventis et moti identificatione *causatio* pugnat, satis si *ratio* sit volitionis (motiva late) et huius *specificae*, quae nunc est, volitionis; ita nempe ut tali non exsistente bonitate, nec voluntas et volitio exsisteret, sed sub alia constitutione, aut sub nulla.

Materiale autem *primarium* erit illud, in quo talis bonitas reperiatur, *Deus*, concretum prout in se est; quia vero respectu Dei concreta et abstracta non realiter solum, sed vel formaliter identificantur, materiale primarium dici potest sive *Deus bonus* sive rursum *bonitas Dei*.

Dicitur autem materiale, quia est *id quod* amatur; *primarium* autem, quia *primo* et *per se* ac ratione sui amatur, ita ut etiam si nihil aliud amaretur, voluntas utique et amaret et eadem esset, quae nunc specifice est.

883. — *Prob. thesis tota.* Obiectum stricte formale, simul materiale primarium, respectu divini velle, illud dici debet, quod ob perfectam voluntati adaptationem eamdem specificat, a ceteris separat; est ratio τοῦ esse facultatis ac velle, simul quod ab illa primo, per se, et ratione sui attingitur, reliqua autem secundo et ob illud per prius attactum. *Atqui* talia divinae solum bonitati competunt, nec alteri bono aut enti. *Ergo* ipsa solaque Dei bonitas est obiectum formale et materiale primarium divinae voluntatis.

Mai. in praenotandis.

Min. Voluntas, quia essentia ipsa, est potentia entitative *infinita*. Atqui potentiae specificantur per actum, actus per obiectum. Ergo etiam inclinatio (actus) necnon bonum inclinationi per se respondens ac proportionatum, et ipsa infinita erunt. Atqui nonnisi divina bonitas infinita est, divina vero perfectio reliquorum bonitatem ad se ordinari obque se amatum amari praecipit seu secundo amari obque se prius amatum. Ergo esse tantum Dei universa adimplet munera obiecti sive formalis, sive materialis primarii.

Articulus III.

DE OBIECTO SECUNDARIO DIVINAE VOLUNTATIS

Propositio LII. **Deus volendo se, de facto etiam creaturas amat, ut obiectum materiale secundarium.**

884. — *St. q.* 1. Pro divina volitione Deus tantum est obiectum motivum (late), sive formale sive materiale primarium (prop. LI). Unde: *a*) si quid a se diversum Deus amet, vel etiam *b*) si, ab hoc praescindentes, Deum saltem

posse contemplemur *fines partiales* ac velut individuales in aliorum profectum amare, hae amandi *rationes* erunt solum *proximae*, atque in ipsis amores de his bonis sive actuales sive saltem possibiles *proxime* quidem subsistere poterunt, remote autem finaliterque sive *rationes* sive amores in vi solum subsistent obiecti *per se motivi* amorisque primarii, ut motiva haec (formalis) ratio et primarius ille amor sub rationibus amoribusque secundariis velut celari teneantur, appetibilitatem ipsismet sicut exsistendi possibilitatem dantes; tam necessario sane tamque dominative, ut primario in fundo ceterorum non exsistente amore, ceteri amores cum suis rationibus evanescere teneantur; dum autem sunt, bono inserviant primario, non *augendo* quidem, sed *communicando;* ideoque τοῦ esse eorumdem ratio bonum *primarium* ultimo sit.

2. Atque haec pro omni valent *hypothesi* sive creationis sive non creationis; solum enim dicunt amores secundarios, si dentur, cum suis rationibus subiciendos esse primario, a quo dependent, quin addant tales *de facto* amores *dari.* Id nunc addimus: Deum *de facto* etiam *alia* a se *amare;* attendimus autem ad physicas creaturas, i. e. aliquando in seipsis *realiter exsistentes;* de pure possibilibus separatim.

3. Quia autem de amore agitur, non ad Deum, sed ad alia terminato, evidenter creaturae amatae intelleguntur hic *formales* seu in esse cuiusque *formali;* in *eminentiali* enim non creaturae, sed « creatrix essentia » sunt, proin ut tales in obiecto primario et ut *primarium* amantur.

885. — *Prob.* Divinus intellectus seipsum intellegens, seu essentiam Dei adaequatam primario intellegens, secundario creaturas, imitationes, quoad esse illarum formale distincte percipit. *Ergo* a pari voluntas seipsam amans, seu bonitatem sui adaequatam primario amans, secundario creaturas, participationes, quoad formalem cuiusque bonitatem amat.

Conseq. Cum de potentiis agatur ordinatis, voluntas in obiectorum extensione primatiisque intellectum sequitur, nisi speciale adsit pro voluntate incommodum. Atqui creaturae, propria non minus *bonitate* quam veritate praeditae, potius amorem positive reclamant; pro actuatione enim divinae diffusivitatis non utiles solum, sed in actuali etiam sunt servitio. Ergo Deus sui amator boni, creaturas quoque, si exsistant, amat, seu primario seipsum amans, etiam creaturas de facto amat ut obiectum secundarium.

886. — *Coroll.* 1. Ergo Deus, se et alia volens, se vult *ut finem*, alia ut *ad finem* (S. Th.); se propter se, alia rursum propter se. Porro divina bonitas, suimet ex se diffusiva, de facto quidem *voluit*, amavit, participationes sui dari, de facto voluit diffundi; quia vero se ad alia unquam ordinari propria vetabat perfectio, in electa diffusionis hypothesi praecepit mundum ad se ut ad finem ordinari; ideoque res a Deo amantur, quin Deum moveant; respectu videlicet voluntatis, non *motivum* sed *terminativum* sunt. « Tota ratio movendi est *finis;* et hoc est quod movet voluntatem... Unde cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, nisi bonitas sua » (1).

887. — *Coroll.* 2. Ergo quod Deus velit alia ordinetque ad suam bonitatem non significat ad *acquirendum* bonum, quo sua careret bonitas, et pro intrinseco eiusdem incremento, sed ut partem infinitae communicabilitatis aliis *communicaret.*

---

(1) 1 p., q. 19, a. 2, ad 2.

888. — *Coroll.* 3. Ergo, licet volitio cum esse *realiter* identificetur, sola iam *rationis* distinctio verificat illud: *esse* Dei habitudinem ad alia (actualia) *non dicit; velle* Dei habitudinem ad alia *dicit;* quasi sic: esse Dei cum actuali creatura nexum non dicit (libere creat); *velle* actuale eum dicit; de facto enim volitio, unicus actus, iam ad utrumque terminatur: ad se et ad creaturas.

889. — *Scholion. De paritate voluntatis cum intellectu.* Allegata voluntatis cum intellectu paritas non adeo est protendenda, ut sicut Deus sese primario intellegens, alia a se *necessario* licet secundario intellegit, ita se primario amans etiam alia necessario, licet secundario, amare teneatur.

Nam 1º intellectus, cuius perfectio intellectio est seu possessio rerum *intentionalis* solum, omnia tenetur cognoscibilia cognoscere; voluntas autem, cuius perfectio in reali consistit possessione boni *realis*, ea velle minime tenetur, quae beatitudini innecessaria conspiciuntur. 2º Comparatio, si placeat, extendatur sic: *Intellectus* intellegit possibilia absolute necessario, actualia autem (qua talia) hypothetice necessario, i. e. sub hypothesi creationis; voluntas necessario possibilia (de hoc statim agemus), actualia contingenter amat; libere enim creavit, creare autem est amare. — Disparitas remanens: intellectui necessitas actualia intellegendi a voluntate imponitur (seu terminatio ad haec actualia intellectui fixatur a voluntate); voluntati autem amor actualium non ab intellectu imponitur, sed electio sua est; hinc voluntas ne *hypothetice quidem necessario* amat actualia, quia hypothesis est praecise quod *amaverit*, et haec fuit libera; intellectus autem *hypothetice necessario* intellexit actualia, sub hypothesi scilicet ab alio determinata perque cognitionem (terminationem) ab hypothesi ipsa distinctam.

890. — *Obi.* Si Deus amaret creaturas, ex iisdem bonitatem acciperet seu perfectionem. Atqui id dici nequit. Ergo creaturas ne secundario quidem amat. — *Prob. Mai.* Si Deus etiam ut mere materiale amaret aliquid, quod in creatura immorale est, ex hoc *malitiam* in se acciperet. Ergo a pari si amat bonitatem creaturae, bonitatem exinde accipiet.

R. N. M. — Ad cuius prob. — *C. Antec.* — *N. C.* et *parit.* duplici ratione: 1ª Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Sic obiectum mere *materiale*, bonum (creatura), bonitatem volitionis infinitam augere nequit, cum haec volitioni ex obiecto *formali* accedat infinito. — Sed ut malitia volitioni accedat, sufficit obiectum *materiale malum*. Hinc: 2ª Si volitio *malitiam* amaret, iam non esset bonitatis *infinitae;* hinc sive malitiam sive bonitatem recipere capax esset. Ex *amore* autem creaturae talia incommoda minime sequuntur. Vel sic:

Essentia Dei et volitionis cum volitione pugnat destructionis sui; essentialis enim volitio tenetur esse amativa sui esse. Atqui amare malitiam in creatura esset amare *destructionem sui*, i. e. suae suprematiae, dominii, recti ordinis a se essentialiter ubilibet reclamati... Ergo. — Igitur malitiam in se reciperet, non tam ex malitia creaturae formaliter, quam ex propria *implicita* secum contradictione. Cum enim supponatur ex necessitate sui per prius voluisse contrarium malitiae, i. e. bonitatem moralem, velle nunc malitiam contradictio esset; bonum autem creatum *amatum* nihil horum secum ducit.

Articulus IV.

de amore possibilium

Propositio LIII. **Deus consequenter ad amorem sui necessario amat, licet amore solum simplicis complacentiae, omnia possibilia.**

891. — *Praenotanda. St. q. a*) Agitur de amore possibilium *formalium*, seu stricte possibilium, in propria scilicet cuiusque obiectivitate *formaliter*

constitutorum. — Eminenter enim et virtualiter sunt ipsa « creatrix essentia » ideoque obiectum amoris *primarium.*

b) Amor creaturarum aliquando *exsistentium*, quae iuxta omnes obiectum secundarium constituunt (prop. LII), amor *contingens* est et liber (infra ostenditur, n. **904**). Nunc autem contendimus amorem pure *possibilium*, licet minori haec quam actualia bonitate polleant, dari tamen *necessarioque dari;* ubi iam amoris classes insinuantur.

c) Duplex distinguitur amor: *efficax, inefficax.*

Efficax seu *effectivus* ille est, qui bonum vult et de facto causat in creatura, hanc creans, cum hac ad actus perfectivos cooperans. *Inefficax* autem seu simplicis complacentiae, qui in bonitate aliqua ab intellectu exhibita complacet nihil de exsistentia ei danda decernens aut pro obtinenda laborans. — Plura bona sic nos amamus. Deus creaturas actuales amore efficaci, pure possibiles, si amet, amore *inefficaci* amat.

892. — *Sententiae. a*) Maior thomistarum pars negat ullo amore possibilia a Deo amari, in primis Ioa. a S. Thoma ac Gonet; Suarez quoque in id magis inclinat (« satis probabile est », D. M. 30, s. 16). *b*) Nostram tamen *plerique* tenent sententiam; i. e. omnes Scotistae; fere omnes Societatis doctores et Struggl (1), nec pauci ex thomistis, v. g. Card. Gotti, Serra et Compton... cum Caietano (2). De mente Aquinatis non satis constat (3).

893. — *Prob.* 1. Deus suam essentiam absolute ac relative totam, quae in se est, primario tam perfecte intellegit, ut simul et necessario intellegat secundario quidquid intrinsecus cum illa conectitur, i. e. singula possibilia formalia, qua talia. — Probatum est. *Atqui* id esse nequit, quin et voluntas sic se habeat amore complacentiae respectu possibilium. *Ergo* Deus consequenter ad amorem sui necessario ipsa possibilia amat.

Min. Voluntas primario amat essentiam Dei totam, absolute ac respective, qualis nempe ab intellectu eidem exhibetur. Igitur primario amat etiam *imitabilitates* quas essentia continet suntque essentia Dei; unde id adhuc est amare *seipsum.* Atqui tunc voluntatis complacentia tenetur supra *terminos* ipsos imitabilitatum ferri, qui sunt possibilia *formalia.* Ergo repugnat voluntatem Dei, sese amando, ad *possibilia* utcumque non extendi.

Ad min. Secus enim amor essentiae imperfectus aut etiam secum *pugnans* sisteret. Etenim vellet imitabilitates essentiae et non vellet ea, *sine quibus* illae redderentur *vanae*, impossibiles. Quasi qui amans loquendi facultatem, loquelae tamen cogitatam possibilitatem conscie non amaret. Ergo amor essentiae sisteret imperfectus, immo sibi incohaerens.

Ad antec. Sine possibilitate quidem possibilium formalium, imitabilitates essentiae ad nihil inservirent, in actum enim reduci nunquam possent. Ergo qui vere eas amat, amare tenetur illud, sine quo et ipsas perire necesse esset (4).

---

(1) Apud quem vide nomina ut apud Vazquez, Ruiz, Valentia, maxime apud Borull (De Vol. Dei, disp. 5, s. 1).

(2) In 1 p., q. 34, a. 3, ubi plures rentur, teste Gotti, *Caietanum* tueri amorem complacentiae versus possibilia.

(3) *Gotti* sic: « In D. Thoma *utraque* opinio fundamentum habet... Dico 2° Probabile est, Deum creaturas possibiles amare amore... simplicis complacentiae. Indicat hoc S. Thomas 1° c. G., c. 84 » (Gotti, T. 3, De Vol., q. 1, dub. 3, § 1, VI).

(4) « Quicumque vult aliquid, necessario vult ea, quae necessario requiruntur ad illud... Si igitur Deus volendo se, vult aliquid aliud a se, necessarium est eum velle omne illud, quod ad volitum ab eo de necessitate requiritur; sicut necessarium est Deum velle animam rationalem esse, supposito quod velit hominem esse » (1° c. G., c. 83); i. e. si vult hominem exsistere, vult etiam animam spiritualem exsistere, quia hac non exsistente, nec homo exsistere poterit.

894. — *Prob.* 2. *A posteriori.* Sicut de *nostra*, de *divina* etiam constat voluntate plura ab eadem vere amari, quae tamen inter pure possibilia esse remansura Deus praescivit. *Atqui* pro reliquis possibilibus amandis parilis exstat ratio. *Ergo* amat *omnia*, etsi amore simplicis complacentiae.

Min. Ratio enim possibilia ab amore excludendi assignatur illorum non esse actuale, in quo sane omnia ex aequo conveniunt.

Maior. a) *De nostra.* Quaedam mere nobis possibiles beatitudines, excellentiae, dignitates... passim amantur ab homine, qui in eis sibi complacet; voluntas iucunde fertur in pulchra ab intellectu ad instar mere possibilium exhibita, in novos soles, regiones nostris suaviores...

b) *De divina.* Ut fide scimus, Deus « *omnes* homines vult salvos fieri » (1), i. e. vere amat aeternam *omnium* salutem. Atqui tamen *plurium* salutem inter pure possibilia fore remansuram Deus ab aeterno scit. Ergo *vere*, licet amore simplicis complacentiae, plura Deus amat *pure possibilia.*

895. — *Coroll.* 1. Ergo entia pure possibilia, sicut actuali gaudent intellegibilitate a Deoque necessario cognoscuntur, ita et *actuali amabilitate;* si autem ad primum actualitas ipsorum non requiritur, nec ad secundum erit exigenda. Pro utroque ratio una haec est: ens reale (contra *logicum*) sub sua extensione capit sive *actualia* seu physica sive potentialia seu metaphysica; ex utrisque enim componitur ens reale, obiectum Metaphysicae (ut ibidem explicatur). Cum autem ens (nomen), unum, *verum*, *bonum* convertantur, aeque extendantur, *omne* ens reale, hinc et mere *possibile*, actuali pollet bonitate, actuali *amabilitate.*

896. — *Coroll.* 2. Ergo *a*) in signo priori ad decretum creandi, omnes omnino creaturas sive pure possibiles sive exstituras Deus simplici *complacentia* est prosecutus, necessario inquam non necessitate solum *specificationis* sed etiam exercitii, i. e. non solum ea odisse incapax sed actu amans; contra distinctionem a quibusdam inductam theologis, sub qua concedentes necessitatem specificationis negarunt necessitatem exercitii. Sed necessitas *exercitii* apparuit in probationibus; si enim actu amabilitatem exhibent, actu amari debent ab actu volitivo ad boni amorem determinato, ab actu puro ad nihil velut in suspenso. *b*) Cui universali necessariaeque de omnibus complacentiae, postea (in signo scilicet decreti contingentis) amor successit *efficax* pro *quibusdam* ex infinitis possibilibus.

897. — *Coroll.* 3. Ergo necessitas amoris non a possibilibus ipsis est repetenda in se sumptis, sed a *divina* potius bonitate, cuius adaequata constitutio cum communicabilitate possibilia vindicat; unde et Deus cum possibilibus intrinsece conectitur tanquam cum termino extrinseco ad sui diffusibilitatem necessario.

898. — *Observa.* 1. Phrases *negativae* in Aquinate audiendae sunt de amore *efficaci;* ille quidem, de creaturis loquens, ad actuales se referre solet, ut etiam ens ac entia vix non semper exsistentiam sonant.

2. Dicta melius probare videntur (aiunt, v. g. Suarez) quod Deus amet *omnipotentiam* suam, quam quod amet creaturas *possibiles.* — Id de amore

(1) 1 ad Timoth. 2, 4.

efficaci concedimus, sed nec obscure amor *complacentiae* supra possibilia ipsa formalia apparuit necessarius (1).

899. — *Scholion. De amore impossibilium.* Omnes cum S. Thoma negant ullum in Deo impossibilium amorem: « Voluntas Dei non potest esse eorum, quae secundum se sunt impossibilia » (1º c. G., c. 84 initio); seu Deus ea, quae *metaphysice* impossibilia sunt, amare nequit. Etenim: 1) Voluntas ut inclinatio elicita in ea solum fertur, quae *ut bona* ab intellectu ei offeruntur. Intellectus autem impossibile ut bonum exhibere nequit, sed ut negationem bonique destructionem. Porro bonum est ens, sequitur ens; impossibile autem est destructio entis. — Solum ex ignorantia proponi ut quid positivum bonumque posset, angelus alatus, etc.; sed ignorantia in Deo non datur. 2) Deus vult alia a se, in quantum *imitationes* divini esse; imitatio autem solum per *positivum* obtinetur. — Atqui impossibilia sunt *negatio;* ergo nequit ea velle. Ergo nequit « velle quod affirmatio et negatio sint simul *verae* » (*l. c.*).

CAPUT XII.

De Proprietatibus actibusque divinae voluntatis.

Articulus I.

DE CHARACTERE VOLITIONIS DIVINAE

Propositio LIV. **Deus seipsum necessario vult, creaturas autem libere. Unde perfectio liberi arbitrii in Deo exsistit.**

900. — *St. q.* Decretamus exsistentiam in Deo *liberi arbitrii.* 1. Deus ex probatis seipsum diligit et alia (mundum); seipsum primario ac propter se; alia secundario rursumque propter semetipsum; bonitatem sui ob se, eiusdem imitationes ob exemplar.

Iam quaerimus non praecise aut de *obiectiva* unius amatorum supra aliud *primatia*, aut de *entitativo* primarii ad secundarium amatum *respectu* aut habitudine (per se patent), sed de nexu *subiectivo*, de necessitate inquam aut contingentia voluntatis in sese *ducendo* versus unum et aliud; cum enim utrumque diligat, in utrumque fertur. Solutio: ad amorem sui *necessario*, ad amorem mundi fertur *contingenter* (libere); mundum autem intellegimus omnes aliquando *exsistentes* creaturas.

2. Quae volitionis sive necessitas sive libertas consideratur unice quoad

---

(1) Adversarii non raro fere totum nobis concedunt de proprietate potius sermonis solliciti. Quos inter Suarez: « Quod si quis ita priorem sententiam (nostram) interpretetur, quod Deus amando omnipotentiam suam, necessario amat et gaudet, quod creaturae sint possibiles, quia non potest ipse esse omnipotens, quin creaturae sint possibiles; et *hunc vocet* simplicem amorem creaturarum possibilium, nihil dicet improbabile, sed re ipsa *verissimum* » (Disp. M. 30, s. 16, n. 42). Aliud non intendebamus; dicimus id sufficere ad veritatem propositionis « Deus amat possibilia »; contra quod *obicitur:*

« Tamen si vere ac *proprie* loquamur (pergit Suárez) hic amor non tam est creaturarum, quam omnipotentiae Dei, quia nullum *actuale* bonum amat creaturis, sed solum Deo » (D. M. 30, s. 16 « Quod si... »).

R. N. Assertum. Si enim de possibilitate gaudet creaturarum, proprie possibilia amat. *Rat. D.* Id requiritur ad amorem *efficacem*, *C.* Ad amorem vel merae complacentiae, *proprie* tamen amorem, *N.*

exercitium actus. Pro obiecto scilicet Deo *odium* impossibile esse per se liquet, cum seipsum odisse possit nemo; hinc de libertate *contrarietatis* tacendum; de libertate autem *exercitii* suspicari quis posset Deum velut in suspenso manere absolute posse, quin sui amorem actu exerceret. Circa aliud obiectum (creaturas), utraque sane, quia exsistit, sive *exercitii* sive *specificationis* libertas perpendi posset; adhuc in solo *exercitio* cogitemus; id sane sufficit ipsaque quaestio commodius sic, clarius procedet.

901. — *Pars* 1ª. « Deus seipsum necessario vult ». Libertatem excludit (ut diximus) *exercitii*, possibilitatem scilicet *abstinendi* se ab *actuali* amore sui.

Prob. 1. Voluntas in Deo cum velle actuali identificatur; hinc *actu velle* absolutae necessitatis est. *Atqui* hoc velle sui (saltem) volitio est. *Ergo* Deus *seipsum necessario* vult, amat.

Min. Actus specificatur ex obiecto formali. Atqui formale divinae volitionis obiectum est divina bonitas. Ergo divinum velle (necessario exsistens) sui volitio est.

902. — *Prob.* 2. Facultas, *in actu* secundo de se consistens, nequit sese indifferenter habere respectu *obiecti formalis* attingendi convenienter sibi propositi. Atqui divina voluntas volitio actualis est, bonitas autem Dei (formale obiectum) ipsimet ut quaquaversus amabilis apte ab intellectu proponitur. Ergo Deus seipsum necessario vult.

Mai. Secus enim voluntas in actu posita, aut non illa sed alia esset cum *alio* obiecto formali; aut esset quidem illa sed actu nihil amans; quin enim prius a suo determinetur formali obiecto, amare nihil potest (prout de intellectu ostensum est). Atqui pugnat ipsam non esse ipsam, nec minus actum volitivum exsistere nihil actu volentem. Ergo facultas, ex se operatio, circa formale obiectum indifferenter se habere nequit (S. Th. 1º c. G., 80).

Dices: Humana voluntas, bonum in genere odisse incapax, ad actualem tamen eiusdem amorem minime nunc rapitur. Ergo a pari voluntas Dei circa suum obiectum formale. *R. Nego parit.* 1º Nostra voluntas essentialiter actus non est nec in *actu* operationis specificae; divina utique. 2º Humanae voluntati exercitium amoris ut undequaque bonum neutiquam proponitur; molestias enim secum fert cogitandi actu, amandi actu, cum defatigatione organica in vita praesenti; in beatitudine vero, quia omne disparet malum, voluntas ad exercitium necessitabitur (Cfr. Psych.).

903. — *Scholion. Ratio adaequata* operandi, hinc obiectum *formale adaequatum* pro voluntate ut sic, dici solet *finis; causalitas* enim seu ratio operandi est in *fine*, nec alibi; est autem in fine non respectu solum sui, sed et *mediorum*. Similia vero, de causalitate finis dicta, minus proprie in Deo sonant. Profecto divina bonitas (respectu Dei) finis cum propria *causalitate* esse nequit, cum nullam Deus *causalitatem* etiam *a se* provenientem pro se permittat. Adhuc, quia sua bonitas bona est obque se amabilis, proportionem *cum fine* habet eique comparatur. Ergo *bonitas Dei* est obiectum formale *adaequatum* divinae voluntatis, ut *ratio* unica volendi, nec tamen adaequatum *simpliciter volitum;* cum etiam *alia a se* vere amet; unde bonitas Dei est obiectum *extensive inadaequatum*. Brevius nunc tacta, magis infra evolvuntur (1).

904. — *Pars* 2ª. « Mundum vult libere ». *Declaratur.* 1) Non agitur de volitione *entitativa;* haec enim unica *absoluteque necessaria*, Deus ipse est;

(1) Cfr. Suarez, « De ult. fine hom. », disp. 1, s. 5, n. 3.

sed de secundaria volitionis *terminatione;* de hac statuimus: *terminatio*, quam divina volitio de facto ad mundum habet, contingens est ac libera, quam non habere *potuit.* 2) Dicta *contingentia a*) non significat Deum res iam semel creatas deinceps non amare posse, eas derelinquere... Bonitas Dei eiusque *moralis* immutabilitas id prohibent; *b*) significat igitur Deum nulla nec extrinseca nec intrinseca necessitate ad volitionem mundi fuisse compulsum, sed aut nullum velle, aut alium potuisse mundum velle.

905. — *Prob.* 1. *A priori.* Creaturas necessario, hasque prae aliis ideo solum vellet, quia beatitudinem videret sine illis perfectam non fore. *Atqui* nulli id creaturae competit. *Ergo* nullam Deus necessario amat.

Mai. In universum ratio aliquid necessario volendi nonnisi eius ad finem volitum necessitas esse potest; vicissim: non « ex necessitate volumus equum ad ambulandum, quia *sine hoc possumus ire* » (1 p., q. 19, a. 3); indifferentia scilicet (obiectiva) iudicii *radix* libertatis est. Igitur si Deus pro suae plenitudine beatitudinis conspicit nulla opus esse creatura, nullam necessario vult; motus voluntatis sequuntur rationem.

Min. Deus sibi sufficiens ex nulla potest creatura compleri aut in sua quiete plenior reddi. Divina nempe bonitas, licet essentialiter diffusiva sui, adhuc sine actuali sui diffusione possidentem perfecte beat, eoque perfectius, quo in sua independentia minus ad sui externationem necessitatur, quo magis sui dominam se contemplatur.

Suam quidem inter nos magnificus dives beatitudinem sine fastoso liberalitatis externatoque profluvio perficere non solet; id tamen *per accidens* et ob intrinsecam evenit divitis *limitationem.* Etenim: *a*) Si actu ille infinitus sibique sufficiens esset, si ex gloria signisve gratitudinis nihil ei accederet incrementi, eo esset in se beatior, quo ditiorem se nulloque egentem contemplaretur, nulli ligatum externationi. *b*) Diviti pauper *actualis* obviam fit, externationem munificentiae provocans, fere reclamans; non sic Deum actualis creatura sollicitat premitque, agitur enim de *primo* esse creaturis dando.

Igitur Deus ad creandum non solum physice non necessitatur (Spinoza), sed ne moraliter quidem, prout Rosminianis dicere placuit.

906. — *Prob.* 2. Si Deum sua diffusivitas ad creandum necessitaret, cum diffusivitas extensivo-intensive infinita sit, ad aeternam infinitorum infinite pulchrorum creationem necessitasset; quod falsum esse videmus. *Ergo* sua bonitas Deum ad creandum non necessitat. — *Ant.* Secus enim Deus aliquando perfecte beatus non fuisset ob non expletam exigentiam; unde ab aeterno omnia producere debuisset.

907. — *Pars.* 3ª. « Ergo divina voluntas gaudet perfectione *liberi arbitrii* ». Sequitur ex praecedenti. Ut autem quid 3ª pars 2ae addat clarius innotescat, arbitrium in *nobis* dominium fert supra *positionem* actus. Si igitur arbitrium de se tale exigeret dominium, iam perfectio liberi *arbitrii*, etiam probata libertate creationis, a Deo abesset. At arbitrium etiam aliter immo sublimius exsistere potest, ut dominium scilicet, non supra *actum* sed supra secundariam actus terminationem. Quod sufficere tenemus ut Deus *vere* proprieque (i. e. non mere metaphorice) ens praedicetur *liberi arbitrii.*

908. — *Prob.* 1. Perfectio liberi arbitrii vere proprieque in ea dicenda est adesse voluntate, quae ita aliquid vult, ut *non velle* potuisset. *Atqui* ita est de Deo. *Ergo* liberum arbitrium in Deo proprie adest. — *Min.* Si Deus

mundum non fecisset, verum esset Deum *noluisse* mundum, velle enim et facere pro Deo unum sunt. Atqui mundum non fecisse potuit, quia mundum libere fecit (2ª *pars*). Ergo voluntas Dei mundum de facto ita voluit ut illum *non velle* potuisset.

909. — *Prob.* 2. Homo ens liberi arbitrii ideo dicitur, quia *dominus* suorum actuum eosdem et ponere et non ponere potest. *Atqui* vel Deus suarum ad extra actionum dominus est, cum ad eas nec a se nec ab alio necessitetur (2ª *pars*). *Ergo* Deus est *ens liberi arbitrii.*

910. — *Scholion I.* Deus in volendo mundum *tripliciter* est liber prout a triplici in hoc liberatur necessitate: 1º a *coactione;* 2º ab *indigentia* ex parte *sui;* 3º ab *exigentia* ex parte *alius. a*) Primo quidem externa *coactio* in nulla voluntate, minus in divina, locum habere potest sive ad volendum sive ad nolendum. *b*) Secundo *indigentia* ex parte sui esset necessitas complendi beatitudinem cum bonitatis externatione; hanc expresse nuper exclusimus. *c*) Tertio *exigentia* oblique et ex parte creaturae tunc adesset, cum creatura exigens sibi esse sibique illud dare impotens, Deum ad creationem urgeret; sed et hoc cum contingentia creaturae non conciliatur. Ergo tripliciter est liber.

911. — *Scholion II. Libertas* est de amore mundi *efficaci*, non vero de amore simplicis complacentiae, quem vidimus *necessarium* esse circa omnia possibilia qua talia. Hic amor simplicis complacentiae (quo non tam alia a Deo quam Deus ipse amatur), amor necessarius, praecedere debet ut *condicio sine qua non*, efficacem mundi *liberum* amorem. Qui enim efficaciter aliquid vult, non amare nequit illud, quod per necessariam praecedentiam cum obtentione voliti conexum videt. Iam vero ut libere possit hunc aliumve decernere mundum, per prius videt omnes possibiles esse debere; ideoque per prius amore complacentiae singulos possibiles necessario amat, ut quasi novus *secundus* amor, qui *liber* exsistit, *efficax* sit amor de mundo actuali.

912. — *Obi. I.* Si Deus mundum libere vult, potuit eum non velle. Atqui mundum non velle non potuit. Ergo mundum non libere vult. — *Min.* Velle mundum in Deo est ipsum esse Dei. Atqui ipsum esse Dei absolute necessarium est. Ergo etiam mundum velle est absolute necessarium.

R. C. M. — *N. m.* — *Ad prob. D. M.* Velle mundum est ipsum *mere* esse Dei, *N.* est ipsum esse *cum terminatione* ad creaturas, *C. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Velle mundum est absolute necessarium quoad *entitatem* volitionis, *C.* Quoad terminationem volitionis ad creaturas, *N. cons.*

Explico. Terminatio ad mundum, quae nunc de facto habetur per « volo mundum », potuit a Deo afuisse (saltem extrinsece, ut art. II, § III, n. **940** explicatur); quo in casu eadem entitative volitio diceretur non volens mundum; tam perfectus enim actus est, ut immutatus manens terminari possit ad « volo mundum » et ad « nolo mundum ».

913. — *Obi. II* (Inst.). Voluntas Dei, se ad creaturas contingenter habens, implicat. — Virtus enim, se ad utrumlibet habens, est virtus *potentia*, non actus. Atqui voluntas Dei non est virtus potentia seu in potentia. Ergo nec se contingenter ad creaturas habet.

R. D. M. Virtus se habens ad utrumlibet *actum*, est in potentia, *C.* Se habens ad utramlibet *terminationem* eiusdem actus determinati est in potentia, *Sd.* Si se ita habet ex defectu sui, *C.* Si ex perfectione sui, *N. M.* — *C. m.* — *D. par. c.* per actus positionem aut non positionem, *C.* Per actus determinati terminationem vel non terminationem ad creaturas, *N. c.*

Explico. Virtus in quaestione est determinate unus actus, *ex se actus*, nec moventibus egens variis nec specificantibus ad varias terminationes; sed cum eadem sua fixa dynamicitate *capax* sese ducendi vel secus ad creaturas.

914. — *Obi. III.* Quod alterutrum eligit, per prius est in potentia ad utrumquè. Atqui quod se habet in potentia ad duo, mutabile est. Ergo Deus, si liber est, mutabilis est.

R. D. M. Si eligit per actum *de novo* positum ab ipsoque receptum, prout in creata evenit voluntate, *C.* Si eligit per actum essentialiter aeterneque in se necessarium, *Sd.* Est in vera potentia *entitativa* ad actum vel modalitatem actus physicam in semetipso recipiendum, *N.* Est in actu, qui in eo tamen signo aeque possit ad « volo » et ad « nolo » terminari, *C. M.* — *Ctr. m.* Quod in potentia se habet ad unum et alium *actum*, mutabile est, *C.* Quod in uno actu perfecto capax est huius ac alius terminationis, mutabile est, *N. m.* — *N. c.*

Explicatio eadem ac in praecedenti.

915. — *Obi. IV.* Eumdem actum necessarium esse ac non necessarium pugnat. Atqui hoc ponitur in libertate Dei. Ergo Deus non est liber.

R. D. M. Si sit finitus, *Tr.* si sit *infinitus*, *Sd.* pugnat ut idem *secundum idem*, sit necessarius et non necessarius, *C.* Ut idem *secundum diversa* sit necessarius et non necessarius, *N. M.* — *Ctr. m.* Ponitur actus idem secundum idem, i. e. secundum *entitatem* necessarius et non necessarius, *N.* Secundum diversa, i. e. secundum entitatem necessarius et secundum terminationem omnem non necessarius, *C. m.* — *N. c.*

Quidquid in actu volitivo est eique intrinsecum, simpliciter necessario est; 1º quoad *entitatem* ac amorem sui; immo 2º quoad *intrinsecum* terminationis ad mundum (ut infra art. II, § III probatur).

916. — *Obi. V.* A contradictorio in contradictorium, ab « amo » ad « non amo », transire non licet, quin mutatio in alterutro evenerit extremorum i. e. vel in amante vel in amato. Atqui actus Dei volitivus ponitur e necessario transiens in non necessarium (in liberum), quin nec amans Deus, nec amatum mutetur obiectum. Ergo Deus liber non est.

R. N. suppositum; agitur enim hic de amore *duorum* obiectorum, non unius. Ergo non transitur, sed *statur*. Daretur transitus obiectus, si se necessario amaret, ac rursum se *eumdem* non necessario.

917. — *Obi. VI.* Libertas sonat quid *contingens* aut id secum fert. Atqui in Deo nihil est contingens. Ergo Deus non est liber. — *R.* In creatis, *C.* In Deo, *Sd.* aliquomodo, *C.* Entitative, *N. M.* — *Ctr. m.* Entitative, *C.* Nullo modo, *N. m.* — *N. c.*

918. — *Obi. VII.* — Quod unam perfectionem ita possidet, ut eadem carere potuerit, mutabile est. Atqui si Deus liber est, perfectionem mundi volitivam ita possidet, ut illa carere potuerit. Ergo Deus liber non est.

R. D. M. Si agatur de ipsa perfectione, *C.* Si de aliqua denominatione pendente etiam ab aliquo extrinseco, *N. M.* — *Ctr. m.* vera perfectione, *N.* denominatione volentis mundum, *Sd.* quae etiam ab extrinseco pendet, *C.* ab intrinseco solum, *N. m.* — *N. c.*

Determinatior divinae libertatis character.

PROPOSITIO LV. **Nec divina tamen circa mundos libertas ea est, sub qua mere negative et quasi suspensive Deus se habere queat.**

919. — *St. q. Quid nunc addatur.* Additur fixa quaedam creatam inter increatamque libertatem differentia: Creatura libera ab omni actu electivo, positive elicito, abstinere capax est; Deus non ita. Videlicet: Libertas Dei est sive exercitii sive contrarietatis ac specificationis versus singulos mundos, i. e. sicut de facto *hunc* voluit, sic illum non velle potuit, immo po-

sitive nolle seu per *positivum* « nolo » odisse potuit. Atque ita de singulis mundis.

Iam quod libertas *exercitii* in reliquis necessario *includatur* Psychologia ostendebat, deque exercitio circa *idem obiectum* per se patet; si odisse potuit, ergo et potuit *non* velle; si *aliud* elegisset, ergo hunc mundum omisisset, *non amasset;* seu sub decretis positivis « nolo hunc », aut « volo alium », includitur *omissio* exercitii τοῦ « volo hunc », inconciliabilis cum « nolo hunc » et cum « volo alium » (supponitur plus quam unum non esse eligendum).

Sed per haec non solvitur utrum necne Deus *ab omni* potuerit *electione* positiva se abstinere, *suspensus* manere, mereque se negative habere, nullum ponens actum (terminationem) nec amoris nec odii versus ullum mundum. Creaturam id posse facile constat. Dubitatur de Deo. Arbitramur Deum *non posse.* Nos quidem circa determinatum obiectum, v. g. studium, possumus nec ponere « volo studere » nec ponere « nolo studere ». De Deo dicimus: si non posuit « volo mundum » posuit « nolo mundum »; seu in hypothesi omissionis primi tenebatur ponere secundum; id sibi vult suspensum manere *non potuisse*, i. e. sine positione actus (terminationis aut ad *volo*, aut ad *nolo*). Atque hoc ad singula extendimus a Deo cogitata e factibilibus; ita ut de singulis decretum habuerit aut positivum « volo » aut negativum « nolo ».

Est sententia thomistis communior (Ioa. a S. Thoma, Billuart, Gotti, Salmant...), vix non communis apud alios cum Suarez, Vazquez, Fonseca, Ruiz,...; contrarium opinantur Cai., Ferrar., Gonet, Godoy aliique (1).

Qua in re cum maiori quadam probabilitate contenti esse tenemur, cum neutra pars apodictice demonstretur.

920. — *Prob.* 1. Perfectius est *omnia* in intentos fines dirigere *formaliter*, *expresse*, *active*, quam mere *interpretative*, *implicite* et quasi *desidiose*. *Atqui* per decreta *reiectiva* « nolo », vel ipsa multorum *non creatio* dirigitur formaliter et *active* ad obtentionem *huius* gloriae cum *his* creaturis, cum *hoc* mundo; sine decretis autem et per puram omissionem τοῦ « volo » dirigitur solum *interpretative* ac more desidiosi et dormitantis. *Ergo* libera volitio Dei non se habet mere negative, sed *positive* respectu omissorum.

921. — *Prob.* 2. *Dominium* perfectius, pleniorque exhibetur iurisdictio, positive sese circa omnia habendo et active « id exsistat, illud non exsistat, hoc sic, illud aliter...», quam de pluribus non cogitando aut saltem nihil decidendo, quasi ad sua non pertinerent dominia. Maxime cum sciamus decretum creandi esse bonum, sed aeque bonum non creandi, eo quod utroque dominium ac libertas aeque gloriose manifestetur, et quasi dispositio suorum. Utroque scilicet modo rerum mensuras velut reflexive *conscienterque* imponit iustas, sine excessu, sine defectu; perfecteque tunc perspicimus *nullam* divino actui iam deesse terminationis perfectionem, cum habeat *omnes*. *Ergo* libertas Dei per hunc modum esse constituta videtur.

922. — *Prob.* 3. Actus purus expostulare videtur ut non entitas solum actus, sed eiusdem etiam terminatio *actuata* sit, in potentia vero ad nihil. *Atqui suspensa* voluntas, in potentia subsistit, actuari potens sed non actuata. *Ergo* divina voluntas respectu omnium se habet dicens aut « volo » aut « nolo ».

Per id sane actuatio purissimi actus habetur *quam maxima* esse potest; cum enim actu deque omnibus aut « volo » dicat aut « nolo », cum « volo » ac

(1) Cfr. Ruiz, « De voluntate Dei », Disp. 8, s. 3, n. 2.

« nolo » aequalis sint perfectionis nec *simultaneare* circa idem possint, sequitur actum purum in *maxima* tunc actuatione reperiri.

923. — *Coroll.* 1. Ergo multo minus suspensio ita admittenda, ut cum ab aeterno nec « volo » nec « nolo » dixerit, in tempore alterutrum pronuntiare possit. Id evidenter cum *immutabilitate saltem morali* pugnat.

924. — *Coroll.* 2. Ergo circa plurimas adiunctorum non verificationes pro operationibus intra *actualem mundum*, Deus non negative sed positive se habet, v. g. fecundationes in plantis ac beluis possibiles nec verificatas tamen Deus non *mere* omisit, sed positive *voluit* non esse. Seu: ergo quaestio sive *generalis* circa mundos plures, sive *restricta* ad praesentem (quidam sic restringunt), pariter solvenda ex paritate rationis.

925. — *Obi. I. Non esse* rei est absolute *malum*. Ergo Deus positive illud decernere nequit.

R. D. Ant. Est malum *physicum* et particulare, *C. Morale* aut physicum universale intra finem intentum, *N. Ant.* Habet igitur *bonitatem* ratione ordinis universalis intenti.

926. — *Obi. II.* Libertas exercitii perfectior immo apparet sub capacitate ab omni *abstinendi* actu, quam sub eiusdem incapacitate. Ergo talis esse in Deo dicenda est.

R. D. Ant. Pro voluntate *potentiali* creaturae, *Tr.* Pro *actu puro* activo, *N. Ant.* — Pro hoc enim ex probatis perfectius est positivo actu carere non posse.

Revera in voluntate creata, quae est *potentia*, libertatem exercitii describimus indifferentiam ponendi vel omittendi actum, circa determinatum obiectum. Sed haec pura omissio ne ipsi quidem creatae, minus libertati exercitii *ut sic* proin et divinae, essentialis est. Qui enim « volo » ac « nolo » ponere potest, si posuit « nolo » potens est *omittere* « volo » et de facto *omisit;* in utraque igitur hypothesi respectu amoris de illo obiecto libertas etiam *exercitii* habetur.

927. — *Obi. III.* Deus respectu mundi habet libertatem contradictionis. Atqui haec in eo reponitur quod actum exercere vel mere *omittere* possit. Ergo Deus respectu mundi mere negative sese habere potest.

R. C. M. — *D. m.* Haec ut sic in eo est reponenda, *N.* Concrete, *Sd.* creatam clarius ita explicamus, *C.* Increatam, *Sd.* per hoc quod poni possit actus (i. e. terminatio) sicut et contrarius, involvens *omissionem* prioris et qua involvens, *C.* Per hoc quod poni possit sicut etiam *pure* omitti, *N. m.* — *D. p. c.* Id est, potest negative se habere respectu τοῦ « volo » seu potest omittere « volo », *C.* Potest *mere* negative se habere respectu τοῦ « volo », seu potest pure omittere actum, non posito contrario ullo, *N. c.* Declaratio in probationibus (1).

---

(1) Sunt qui distinguunt: Exsistit in Deo « libertas contradictionis, contradictione se tenente *tantum* ex parte obiecti..., *C.* Contradictione se tenente etiam *ex parte actus*..., *N.*» (Urráb. 8, n. 140). At melius concedes; si enim *obiectum non amari* potest, etiam *terminatio* (actus) amoris ad mundum vero aliquo sensu abesse poterit; licet utrumque prout *involutum* in actu opposito odii eiusdem obiecti, in « nolo », ut explicuimus.

Articulus II.

LIBERTAS CUM IMMUTABILITATE CONCILIATUR

§ I. — *Solutio generalis.*

Propositio LVI. Libertas in volendis creaturis cum immutabilitate Dei non pugnat.

928. — *St. q.* Deus intrinsece *immutabilis* est; aliunde mundum ita voluit, ut eum noluisse potuerit, seu in volendo mundum vere *liber* est. Igitur Deus *immutabilis* ac *liber* est. Si haec de facto consociata in Deo insunt, sequitur ea, prout in Deo sunt, invicem non pugnare; sequitur suam Deo inesse libertatem sine ulla suae immutabilitatis iactura; hinc aliter in Deo, aliter in creatura libertatem reperiri. Videlicet:

a) Libertas in creatura physicam *infert* mutabilitatem necnon compositionem; α) quia est facultas receptiva actus, quo carebat; β) quia licet essentialiter actus esset, in potentia ad *novum* actum esset contingenter in se recipiendum; unde in omni hypothesi mutationem involvit et compositionem. Hinc prima *generalis* omnesque cogens formula:

b) In Deo actus volitivus unicus est ac simplex, *entitative* necessarius, *terminative* partim necessarius partim contingens.

Cuius quidem formulae necessaria veritas vindicata erit, si eius non pugnantia ostendatur (nec enim alia est exigenda demonstratio). Quia vero per ipsam immutabilitas libertati consociatur, habenda erit ut *solutio essentialis*, cuius ulterior determinatio pleniusque systema e maiori pendebit singulorum ad casum coaptatione.

Ut ordinem teneamus: *primo* generalem damus solutionem (§ I). Haec erit basis pro *secunda* quasi parte (§ II), cuius id munus erit ut proximius magisque in concreto essentiam fixet volitionis in ratione liberae, totumque illud aperiat, quod in sublimi Dei volitione contineri opus est. Denique (§ III) terminationem contingentem examini subicimus.

929. — *Prob. thesis.* Libertas immutabilitati obstaret, inquantum vel facultatem indifferentem *actus* receptivam, vel actum indifferentem actus *novi* receptivum secum inferret. *Atqui* neutrum in Deo infert. *Ergo* immutabilitati non opponitur.

Maior; sunt unica pugnantiae capita assignabilia.

Min. Voluntas Dei, quae tota volitio Dei est, ita constituta esse dicenda est, ut in se *actus unicus* sit, entitative necessarius sub identitate tamen sui capax habendi ab aeterno vel non habendi terminationem contingentem ad mundum actu volitum. Atqui tunc nec est facultas in potentia ad actum, nec actus in potentia ad novum actum. Ergo exsistit libertas, quae neutrum infert.

Ad mai. Volitio (ipsa Dei essentia) ut in ratione *entis*, sic in ratione *amoris*, actus infinitus est; igitur sicut quatenus in ratione *entis* actus purus est totam possidet rerum *entitativam* perfectionem, ita quatenus in ratione *amoris* (seu volitionis) actus pariter purus est totam tenetur possidere *volitivam* creaturae perfectionem, per quam creatura varie se versus varia habet bona

pro bonorum in ordine ad finem meritis; versus aliqua necessario, versus alia contingenter. Atqui volitio Dei talia non aliter obtinet, quam si *una* simplexque sit, simul capax se necessario, creaturas contingenter attingendi; pro cuiusque scilicet merito, pro cuiusque ordine ad finem, qui est bonitas ac beatitas Dei; atque hic ordo in Deo quidem necessitatis est, non vero in aliis. Ergo voluntas Dei actus unicus est, entitative quidem necessarius, terminationis tamen capax non necessariae solum ad se, sed etiam contingentis ad mundum.

§ II. — *Solutio magis in concreto. — Systemata. De formali constitutivo volitionis liberae in ratione liberae.*

930. — *St. q.* 1. Essentia libertatis, liberique arbitrii constitutivum, in divinis virtus illa est atque perfectio, qua Dei voluntas ad mundum hunc, alium, vel nullum sese terminare potest (prop. LIV). Quaestionem de hoc finitam dices (prop. LIV, LV, LVI); finita quidem est de facultate libera qua tali; adhuc autem satis in vago ac indeterminate. Intime enim facultatis indolem non ante capimus, quam eius actum penitius penetraverimus; neque nunc liberum Dei arbitrium satis erit perspectum, nisi e vicino quid in volitione divina sit perspiciamus habitudo ad mundum. Immo si eiusdem cum attributis concordia nullatenus reluceret, generalior ipsa thesis aut derelinquenda, aut vix non caece esset admittenda. In natura igitur insistendum intentionis illius actui volitivo necessario velut additae, vi cuius volitio capax est terminari ad « volo mundum », sicut et ad « nolo mundum ». Per quid nova haec perfectio sive terminabilitatis sive terminationis ad mundum in concreto constituatur; consequenter per quid in concreto natura liberi arbitrii qua talis constituta esse dicenda sit in Deo. Totum meritum in eo erit, ut illa terminabilitas ad opposita (necnon actualis ad mundum terminatio) notis certo divinis comparata a contradictione liberetur.

931. — 2. *Ratio difficultatis.* 1) Si nihil esse nisi actum necessarium dicatur nihilque actui addere, tunc volitio erit simpliciter necessaria et libertas inexplicata manebit. 2) Si quid addere dicatur, tunc additum aut *intrinsecum* Deo est Deumque compositum facit ac mutabilem; aut *extrinsecum* est, tunc vero libertas non perfectio *Dei* sed denominatio extrinseca erit vel *metaphora*, contra propositionem LIV. 3) Si dicatur: sive aliquid addat sive secus, omni modo *intrinsecum* Deo est, adhuc quaerendum remanet: an illud tale sit, quod (sub ratione saltem actualis ad mundum terminationis) a Deo abesse potuerit, necne; utrum qua est terminatio praecise ad mundum, *defectibiliter*, an indefectibiliter insit Deo atque ita, ut etiam in hypothesi nolitionis mundi terminatio ad mundum Deo adfuisset. Si primum, sequitur in Deo potentialitas cum compositione; si secundum, ergo si Deus noluit mundum, adhuc *voluit* mundum, quia habuit terminationem ad illum; nolle autem simulque velle idem fieri nequit. Hinc solutio *a*) veram libertatem non perimat; nec *b*) immutabilitatem; seu concretae problematis explicationes duo intacta servent: immutabilitatem, libertatem.

Tres exsistunt sententiae.

1ª sic: Constituitur per aliquid *adaequate extrinsecum* actui volitivo et Deo.

2ª sic: Constituitur per aliquid *inadaequate intrinsecum* actui volitivo.

3ª sic: Constituitur per aliquid *adaequate intrinsecum* actui volitivo.

Praevie tamen notatum velim nunc sive sub *capacitate* terminationis duplicis, sive sub *terminatione* ad mundum (utroque enim loquuntur modo), veram quaestionem esse de *libertatis* constitutivo plusquam de constitutivo praecise *terminationis* ad « volo mundum »; illud est simpliciter necessario in Deo exsistens; hoc autem quadantenus contingenter. Videlicet:

a) Libertas ipsa, in Deo perfectio est necessaria, est enim *capacitas* habendi terminationem ad « volo » et ad « nolo »; quae sane *capacitas* non est quid contingenter exsistens in Deo; *b*) quadantenus (saltem) contingenter exsistens est terminatio « volo mundum ». Sicut in creatura *liberum arbitrium* non est contingens seu mihi liberum; sed actus A prae B est contingens. Igitur contingens se refert hic non ad *libertatem*, sed ad membrum a libertate electum prae alio seu ad terminationem « volo » prae « nolo ». Nunc autem proprie *non* agitur de hac terminatione in se perpendenda (id expresse in § III), sed de *capacitate* ad varias terminationes, seu de constitutivo actus liberi in ratione liberi.

932. — 1ª *Sententia. a*) *Exponitur.* Actus liber, qua liber, in Deo est mera denominatio *extrinseca;* i. e. Deum *libere velle* ut aliquid extra se sit, significat Deum facere aliquid, quod non facere potuisset; si facit, *dicitur* velle; si non facit, *dicitur* nolle. Igitur velle et nolle mundum sunt denominationes mere *extrinsecae;* quod enim diverse Deum denominent non ex eo provenit, quod *Deus* ac volitio ipsa aliquid contineat, unde sese diverse habere possit, sed ex eo solum, quod res externae aliter ac aliter se habent [Aureolus, Altissiodorus, Gregorius, Capreolus (1)].

b) *Iudicatur.* Libertati parum, immutabilitati nimis concedit. Porro Deus iam metaphorice solum esset *liber in volendo*, nolendo, mundum. Atqui proprie ac intrinsece in ipsa *volitione* est liber; mundus enim ideo contingens est, quia per prius libere *voluerat* Deus mundum esse; non e converso ideo sic voluit, quia mundus est contingens; seu productio externa et effectus confundi non debent cum volitione Dei. Hinc 1ª solutio, evasio potius problematis, quasi Scripturae Patribusque contraria passim damnatur nec iniuria; vera enim libertas, his libris Deo concessa, dos est *voluntatis.*

933. — *Secunda sententia* est *connotatorum.*

a) *Exponitur.* Constitutivum actus volitivi Dei in ratione liberi partim intrinsecum est, partim extrinsecum actui volitivo; formatur enim per duo *realia:* primo per *tendentiam vitalem* ac effectivam, secundo per extrinsecum *connotatum* (mundum), quod vi illius tendentiae ponitur in esse rerum; i. e. principaliter et in recto libera volitio importat *tendentiam* vitalem, per quam volitio libera dicitur Deo simpliciter *intrinseca*, aeterna, vitalis (2).

In hac igitur sententia (varie a variis conformata) *essentialis constitutio* liberae volitionis duo exposcit actualia, quorum alterutro deficiente, volitio libera non datur integra; unde volitio libera incepit esse integra in tempore, momento creationis, nec talis ab aeterno erat ob defectum *termini* essentialis; similiter locutio « Deus *est liber* in volendo creaturas » incepit esse *integre* vera, in tempore, ut omnes concedunt de denominationibus *Creatoris, Domini...*, quae *temporales* sunt, non aeternae.

---

(1) Cfr. Suarez, D. M. 30, s. 9, initio « Haec difficultas... ».

(2) Ita post Vazquez, Granado aliosque Platel: « Divina volitio completur in esse volitionis liberae per aliquem terminum realem, Deo extrinsecum, vi illius contingenter exsistentem in aliqua temporis differentia » (De Deo Uno, c. IV, § 1, n. 142).

b) *Refutatur.* Eius meritum est, quod *lineae* aptetur *generali*, ulteriorum determinationum regulatrici: aliud est subiectiva, aliud obiectiva terminatio, seu vitetur confusio voluntatis cum termino eiusdem, utrumque sane inevitabiliter in hac confluit quaestione. Insuper in tuto relinquere conatur sive germanam libertatem, hanc *principaliter* voluntatis faciens, sive intrinsecam Dei immutabilitatem. *Peccat* in physico *connotato* extrinseco, quod ut *constitutivum* intrudit volitionis liberae; unde a recentibus merito derelicta est. Nam:

1º Libertas dos est *voluntatis;* hinc volitio vere libera etiam in ratione liberae per intrinsecum est *adaequate* constituenda pro priori ad terminum volitum; immo mundus libere exsistens inde affirmatur, quia a causa profluens in ratione libere agentis *per prius* constituta. Ergo si res producta titulum liberae ab *actu accipit per prius libero*, res ipsa ne partialiter quidem *essentiam ingreditur liberae* volitionis.

2º Deus *ab aeterno* mundum *libere volens* exsistit. Atqui non sic, si mundus ipse physicus *constitutivum* ingrederetur volitionis liberae. Ergo mundus extra essentiam cadit volitionis liberae. — *Mai.* Ab aeterno *decrevit* libere. Ergo ab aeterno *voluit.*

Min. Mundus physicus *in tempore* est nec ab aeterno. Atqui nulla datur essentia sine adaequato sui constitutivo. Ergo... Ideo praecise attributa Creatoris, Domini, Salvatoris, Omnipraesentis, etc. in tempore solum de Deo verificantur, cum sine *actuali* creatura, quae nonnisi in tempore exstitit, eorumdem essentia non constituatur.

934. — *Observa.* Modificatio systematis. Cum data explicatio sub *physicis actualibus* connotatis durior proderetur, consilium fuit rem per *idealia* connotata mitigare; hinc Silv. Maurus, Pallavicini aliique contendunt pro constitutione volitionis liberae connotata physicis *minora* sufficere, sufficere *futuritiones* rerum. Ab aeterno (sic illi) vera sunt haec: « Petrus creabitur, faciet actum amoris Dei... ». Volitio autem aeterna ad has veritates terminatur, atque hae veritates constitutionem intrant volitionis liberae, ut quid connotatum. — At frustra; dictae enim veritates (futuritiones) nonnisi *post* liberam constituuntur volitionem; unde haec ab illis constitui nequit. Praeterea *volitio* libera, utpote immanens ac vitalis, tota *intrinseca* est, divina, Deus, tota realis. Atqui entia illa diminuta quid a Deo distinctum sunt ut possibilia; sunt entia idealia, maxime in nolitione mundi libera, quae in Deo dari potuit; tunc sane esset « non mundus », nihil.

935. — 3ª *Sententia.* Unica iam restat via. Volitio libera in ratione liberae adaequate pleneque per aliquid constituitur Deo *intrinsecum* cum volitione necessaria identificatum, huic realiter non additum, nec formaliter ex natura rei. Haec sententia, quae plures habuit semper patronos (maxime post pleniorem Suarezii expositionem), nunc vix non communis apparet, videturque unica solutio nodi, non pugnans, aliquomodo intellegibilis (1).

Proponitur. Voluntas Dei (volitio Dei) unicus est actus simplex, *essentialis* sui amor, virtutem simul continens sese actu secundo ad volitionem mundi, ad eiusdem nolitionem terminandi. Voluntate iam adaequate quasi in actu primo constituta, libera deinde mundi volitio non aliud est nisi prior

(1) Salmanticenses praeclaros pro hac citant thomistas, quibus addendi doctores fere omnes S. I. aliique passim; nuper Fosse, Jougman...

illa necessaria volitio cum *actuali* ad mundum terminatione. Quorum sane possibilitas necnon necessitas initio in generali solutione (§ 1) apparebat.

Declaratur magis. Libera mundi volitio aliquid in Deo *absolutum* est, ut essentia Dei, non *relativum;* videlicet: nec est *realis* relatio voluntatis ad mundum (reales relationes exclusimus a Deo), nec relatio *rationis;* haec enim a nostro fingitur intellectu, cum libera volitio *reale* quid ac divinum sit. Adhuc pro commodiori plurium explicatione ad instar *relationis* a nobis concipitur (1).

Etenim eminens illa realitas, in se absoluta, cum omnium ferat voluntatum perfectiones ac volitionum, hinc etiam liberi cuiusvis arbitrii liberaeque volitionis, *fundamentum* praebet ut utramque volitionis terminationem (ad Deum, ad mundum) ad instar aeternarum accipiamus *relationum*, quarum alia absolute necessaria, contingens alia sit. In volitione tamen ipsa realiterque totum scimus *absolutum* esse.

936. — *Entitas diminuta.* Pro Caietano volitio libera Dei in ratione liberae per aliquid constituitur volitioni necessariae additum ab eaque realiter distinctum; unde volitio libera mundi qua talis, Deo quidem intrinseca est, sed non actui necessario; nova est perfectio, *minorata* tamen, eo quod alia eidem opposita (*nolitio* mundi) pariter perfectio sit, ipsa quoque *minorata.* Inde fit ut indifferenter una vel alia adesse aut deesse Deo possit; una aderit aeque perfecta ac alia. De facto perfectionem habet *volitionis;* si autem non creare decrevisset, perfectionem (aequalem) *nolitionis* habuisset; neutra tamen hypothesi Deus *vera* aliqua privatur sibique necessaria perfectione.

Brevi: *volitio* libera in Deo *realis* perfectio est, volitioni necessariae realiter superaddita ab eaque separabilis, licet solum per substitutionem (2).

937. — *Refutatur.* Haec sententia (solum per epikeias a paucis exhibita) communiter subque omni forma perpetuo displicuit; nec immerito (3). Nam 1º Divinae simplicitati necnon immutabilitati nimis clare obstat. Etenim libera volitio, etiam qua libera, quid divinum (iuxta illos) est. Atqui aliunde realiter a Deo separabilis est. Ergo cum est, Deum componit mutabilemque facit, statuens Deum sine ea esse potuisse cum alia aequivalenti, qua nunc caret. Ad *modalem* confugiunt distinctionem; verum haec non minus quam *absoluta* a Deo amovenda est; immo *reales modos* Caietanus in iis solum ponere consuevit substantiis, quae totam sibi convenientem perfectionem ex se non habent; quod de Deo dici nequit. 2º Dicta perfectio esset *minorata.* Atqui enti simpliciter inque linea *entis* infinito aliqua perfectio non infinita discon-

---

(1) Ad rem Salmanticenses: « Dubium IV. Addatne actus liber supra actum necessarium aliquam relationem rationis, ad eius intrinsecum complementum spectantem. Non defuere plures Doctores, qui partem tuerentur affirmativam... Dicendum tamen est, actum liberum nec consistere, nec compleri relatione rationis formaliter sumpta. Hanc tuentur omnes doctores quos infra dub. 7 referemus (plures thomistae), et probatur efficaciter sic... ». De Vol. Dei, disp. 7, dub. 4, n. 32.

Ad n. 58. « Dicendum est actum liberum Dei consistere in formalitate necessaria divinae voluntatis seu volitionis terminata ad creaturas... ». De thomistis advertit: « Non loquuntur de ea (relatione) *formaliter*, ut dicit quid fictum per intellectum, sed fundamentaliter accepta... ».

(2) Caietanus: « Concedere autem quod Deum velle alia est perfectio *voluntaria* et *omnino libera*, nullum inconveniens est. Neque enim ex hoc sequitur, quod Deo potuit *deesse* aliqua perfectio, scilicet velle alia, sed quod *potuit deesse* aliqua perfectio voluntaria ac omnino libera. Haec enim est condicio *diminuens* rationem perfectionis, respectu eius in quo est, quoniam significat suum oppositum non esse imperfectionem » (In I p., q. 19, a. 2, K).

(3) In Societate Iesu non licet eam docere aliasve, verbo tenus solum ab ipsa alienas (Congreg. Gener. IX). — Salmanticenses habent non « ita certum hanc esse Caietani sententiam » (De Voluntate Dei, disp. 7, dub. 1, § 2, n. 8). Tamen hanc in eo maculam nec satis delet Ioannes a S. Thoma, qui et ipse id multis persequitur.

venit. Ergo... Denique *dualitas* perfectionis, quarum una undequaque perfecta sit, alia non, in divinis pugnat.

938. — *Conclusio necessaria. Verum systema a*) *In compendio:* Ergo liberum arbitrium volitioque libera in Deo realiter exsistunt, licet necessariae voluntati volitionique realiter identificata sub simplicissima entitate, unica, contingenter terminabili.

b) *Evolutius.* Solutio vera tribus clauditur effatis, quorum duo *exclusiva*, tertium *positivum*, constitutivum.

1. Deum *posse* creaturas libere velle non significat aut facultatem in potentia ad *actum* amativum mundi, aut actum in potentia ad *novum* actum amativum mundi. Utrumque enim claram secum mutabilitatem infert.

2. Deum *voluisse* libere creaturas non in eo *praecise* et *solum* consistit, quod creaturae *sint factae*, sed in *intrinseco* Dei.

3. Deum *posse* creaturas *libere velle* significat actum simplicem per necessariam in seipsum terminationem tam perfecte eminenterque constitui, ut sine mutatione aut additione possit ad volitionem aut nolitionem mundi contingenter terminari (1). Haec *virtus, libertatis constitutiva*, in Deo indefectibilis est. De ipsa actuali ad mundum *terminatione* disceptatur utrum et quonam sensu defectibilis sit aut indefectibilis. Hoc punctum solvitur § III.

§ III. — *De indefectibilitate terminationis.*

Propositio LVII. **Actualis ad mundum terminatio intrinsece indefectibilis in Deo est.**

939. — *Praenotanda. St. q.* Quaeritur utrum terminatio, quae nunc de facto datur ad mundum, absolute *defectibilis* sit in Deo, an *indefectibilis.*

Declaratur quaestio. Novum hoc quaesitum, post refutationem Caietani, otiosum videri posset; ostendimus enim volitioni superaddi nihil posse, nihil ab ea tolli.

At dubium manet. Terminationem omnes dicimus *contingentem;* contingens autem sonat quid absolute *defectibile;* sane in quantum significat: « potuit Deus non esse *volens mundum* », admittimus defectibilitatem huius denominationis. Quo posito neve pugnantia dicamus:

940. — *Observa.* 1º Ut nuper notabamus, non agitur de *capacitate* seu virtute se contingenter terminandi ad mundum, ad non mundum; haec enim, quia est ipsa *libertas* Dei, evidenter nec contingens nec defectibilis esse potest. Quaestio est de *terminatione* ad mundum, quae iam exsistit, prae terminatione ad non mundum, quae non exsistit.

2º Sed circa *terminationem* ipsam in duobus cogitamus: *a*) in *mundo*, ad quem terminatur voluntas; *b*) in ipsa *terminatione*, quae actualis *inclinatio* est voluntatis ad mundum. Mundus non est terminatio, sed *terminus* terminationis; est terminatio *extrinseca.* Terminatio est inclinatio, quae est volitio concipiturque ut *actus* capacitatis (libertatis) volitioni necessariae velut additus; est terminatio *intrinseca.*

3º Rursum haec terminatio, volitioni velut *addita*, bifariam sumitur: *a*) prout est *forma* volitionis divinae et huic identificata; *b*) prout per ipsam

(1) Cfr. Remer, n. 138; Schaaf, n. 378.

Deus denominatur « *volens mundum* ». Concipitur autem formam indefectibiliter exsistentem sufficere ut terminatio *intrinseca* dicatur indefectibilis, quin sufficiat ut Deus denominetur « volens mundum » ob defectum scilicet termini *extrinseci* aut actualis aut per decretum signati. In hoc praecise consistit solutio.

941. — *Adversatur Godoy* statuens terminationem, utut actui *intrinsecam, absolute* tamen *defectibilem* esse, quaeque in hypothesi nolitionis mundi ab actu divino afuisset (1). Similiter Struggl, Mayr, paucique thomistae cum Gonet (2). Moderni *indefectibilitatem* universim tuentur (3).

942. — *Prob.* 1. Terminatio voluntati intrinseca, *defectibilis* tamen, in fundo cum theoria coincidit Caietani. *Atqui* hanc eiecimus. *Ergo* terminatio non est defectibilis.

Mai. Aliquid reale Deoque intrinsecum a Deo realiter deficere concipi nequit, quin aliquam in eo compositionem faciat. Ergo terminatio defectibilis vitium infert in illa theoria capitale, vel secus idem *ab eodem* separari posse admittitur.

943. — *Prob.* 2. Nihil divinum, cum volitione necessaria identificatum, ab hac deficere potest. Quidquid enim enti a se intrinsecum est, ipsimet *essentiale* est, quod nec augeri, nec minui, neque perire possit. *Atqui* terminatio conceditur volitioni intrinseca. *Ergo* indefectibilis est.

944. — *Obi. I.* Terminatio, quae nunc ad mundum habetur, aliqua erit perfectio; quae vel defectibilis est vel indefectibilis. Atqui neutrum. Primum enim Deum mutabilem facit; altero concesso, tunc in *omni* hypothesi Deus fuisset *volens* mundum, quod falsum est. Ergo terminatio non datur.

R. C. M. — *C. m.* 1am partem cum sua probatione. *N. m.* 2am partem; eius prob. *D.* Deus tunc sub omni hypothesi fuisset « volens mundum », i. e. in se habens quidquid nunc dum « est volens mundum » habet, *C.* Immo sicut nunc etiam tunc denominaretur volens mundum, *N.* vel *Sd.* si ad hoc intrinseca sufficeret perfectio, *C.* Si extrinsecus requiratur *terminus* (*obiectivus*), *N.*

Explico. Tunc Deus « volens mundum » dici non posset ob defectum *termini;* utique ex parte Dei seu ex parte perfectionis, quam nunc habet volens mundum; haec enim *indefectibilis* est, eademque omnino esset in Deo sub hypothesi nolitionis mundi: i. e. *terminatio* volitionis ad mundum, quae nunc de facto habetur, eadem *intrinsecus* subsisteret in hypothesi *nolitionis* mundi; quamvis tandem *denominatio* « volentis mundum » deficeret. Haec dure sonant sed necessario.

Inst. Tunc τό velle mundum ac τό nolle mundum idem essent. Atqui diversificantur. Ergo terminatio defectibilis est.

R. D. M. Quoad id, quod *in Deo* ponunt sive in linea entitativa sive in terminativa *intrinseca, C.* Quoad id totale, quod denominationes volentis, nolentis mundum supponunt *complexive* (etiam quoad id quod *extra se* in mundo ponunt), *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* Vel sic: Terminatio, quantum ad id, quod importat *in recto* indefectibilis est ab actuque inseparabilis, perfectio *actus; separabilis* autem quantum ad id, quod importat *in obliquo,* quantum ad terminum extrinsecum, qui non est perfectio *actus.*

---

(1) « Dicendum est 3°: Actum liberum superaddere ad perfectiones necessarias terminationem, ratione distinctam in ratione terminationis, et prout sic *defectibilem*, ac proinde actum liberum consistere in actualitate actus necessarii, ut ad creaturas libere terminata » (Godoy, De Vol. Dei, q. 19, tract. 6, disp. 48, § 5, n. 85).

(2) Cfr. Ioa. a S. Thoma et Salmanticenses.

(3) Pesch Chr., Mendive, Hontheim, Boedder, Urráb....

945. — *Obi. II* (Inst.). Terminatio etiam ab intrinseco *defectibilis* est: Stante forma denominante subsistit effectus eius formalis, denominatio. Atqui in hypothesi *nolitionis* mundi, deesset in Deo effectus formalis formae terminationis ad mundum, nempe deesset denominatio « volens mundum ». Ergo et ipsa forma deesset, seu: Ergo terminatio volitionis mundi est *defectibilis* ab intrinseco.

R. D. M. Subsistit effectus formalis primarius et intrinsecus, debitus *soli* formae, necnon denominatio debita *soli* formae, *C.* Effectus formalis inadaequate debitus formae, et denominatio supponens etiam aliud, *N. M.* — *Ctr. m.* Deesset effectus formalis *intrinsecus*, qui est *aptitudo* intrinseca ad denominationem actualem, *N.* Deesset effectus formalis *complexus*, qui est ipsa denominatio actualis « volens mundum », *Sd.* ideo quia haec completur a termino extrinseco, ut a condicione sine qua non, *C.* Si a sola forma intrinseca compleretur, *N. m.* — *N. conseq.*

Explico. Haec forma actus talis est, qui exsistens indefectibiliter in Deo, dat quidem indefectibiliter quasi effectum suum formalem primarium ac intrinsecum, qui est perfectio liberae volitionis; haec perfectio in omni hypothesi *eadem* est; per hanc constituitur Deus *aptus* qui appelletur « volens mundum », « nolens mundum », sine ulla ipsius mutatione aut desitione. Neutra tamen denominatio per ipsam adaequate constituitur, petit enim determinationem *mundi* aut *non mundi*, quorum alterutrum *actu* respiciat; ideoque si respicit *non mundum*, forma nequit Deum denominare « volentem mundum », licet et tunc retineat quidquid habebat, dum respiciens mundum appellabat Deum « volentem mundum »; et vicissim.

A simili. In Deo datur immensitas essentialiter, indefectibiliter, haec tamen forma, mundo non exsistente, Deum *omnipraesentem* appellare nequit; posito mundo, utique. Forma intrinseca *eadem* exsistit in Deo sub utraque hypothesi; denominationes ipsae pro terminorum varietate variant. — Idem accidit cum virtute creativa et denominatione creatoris. Ratio est quia actuales illae denominationes reclamant terminum extrinsecum *actualem.*

946. — *Obi. III.* Eadem forma non dat effectus formales contrarios. Atqui terminatio indefectibilis tales cogeretur dare effectus. Ergo indefectibilis non est.

R. D. M. Primarios, *C.* Secundarios, *Sd.* mere intrinsecos ipsique formae adaequate debitos, *C.* extrinsece complendos, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Inst. Haec sunt connotatorum, *R. N.* Hi enim illud ad constitutivum trahunt *perfectionis*, vi cuius Deus *est* libere volens. Nos autem ad constituendam mere *denominationem* « volentis mundum », « nolentis mundum ».

947. — *Obi. IV.* Tunc *a*) libera volitio in aliquo consistet necessario; *b*) volitio confundetur cum nolitione; *c*) terminatio ad mundum, et terminatio ad non mundum idem erunt. *R.* Concedo omnia ex parte Dei; nec enim aliter esse possunt.

Explico. a) In homine liberum arbitrium est in se *necessarium*, i. e. homini *naturale* nec eligibile; adhuc potens habere actum vel non actum; ideoque quoad actus positionem perfectio contingens est ac libera. In Deo autem liberum arbitrium est actus ipse volendi, necessarius semperque idem permanens; hinc contingentiam (defectibilitatem) non in ratione actus sed *alibi* induit, in *termino* scilicet posito vel non posito; libertas in ente infinito *elevatior.*

b) Si finita voluntas cum unico identificaretur suo actu, eius libertatem non aliter explicaremus. Actus ille in se immutatus pro libito tamen ambulationem respiceret aut sessionem..., i. e. causans rem unam, plures alias ad non esse damnaret, neque eligens A aliquid in se haberet, quo in alia hypothesi caruisset; sublimior quaedam libertas esset.

Articulus III.

Causa vel ratio divinarum volitionum

Propositio LVIII. Voluntas divina est causa rerum; divinarum autem volitionum non datur causa sed utique ratio.

948. — *St. q.* Quaeritur de causatione activa et passiva divinae voluntatis volitionumque; tria de hoc dicimus, quorum sensus in probationibus.

949. — *Pars* 1ª. « Voluntas Dei causa rerum est ». — *Prob.* Deus est primum agens intellectuale. *Atqui* agens intellectuale operatur praestituendo sibi finem, quem operando *persequitur*. *Ergo* volitio finis est ratio, cur Deus agat, seu ergo voluntas est causa rerum. Igitur Deus non operatur per *naturam* solum more causarum *naturalium* (appetitu pure naturali causantium), ut monistae aiunt, sed per intellectum et voluntatem.

950. — *Pars* 2ª. « Divina vero voluntas volitionesque sui *causa* carent, stricte tali ».

Prob. 1. Quod eae *entitative* sumptae causa careant sive efficiente sive finali, per se patet; sunt enim *ens a se*, nihil autem causa sui efficiens esse potest nec magis finalis, quae efficientem praecedit movetque.

2. Quod eaedem etiam prout *operatio* sunt *amativa* causam *finalem* non permittant, sic ostenditur: vel enim feruntur in *bonitatem* ipsam Dei, vel in externas eiusdem *participationes*. *Atqui* pro neutro amore vera exsistit *causalitas*. *Ergo*.

Min. 1ª *pars*. Bonitas Dei non est *causa* amoris sui; quia *a*) nihil est causa sui ipsius, bonitas autem voluntas est ac volitio; *b*) voluntas est ipsa *possessio* bonitatis Dei. Ergo bonitas nequit influere in sui amorem ut *finis obtinendus*.

Min. 2ª *pars*. Bonitas Dei (amata) non est *causa* divini amoris creaturarum. Nam: *a*) hic amor (creaturarum) identicus est cum amore bonitatis sub *unitate actus* volitivi (de primario et secundario obiecto). Ergo si bonitas pro amore sui non est causa, nec poterit esse causa pro amore creaturarum; secus idem actus esset *non causatus* (finaliter) simulque *causatus* (finaliter) ab aliqua causa finali. *b*) In nobis volitio finis ideo *vere influit* in volitionem mediorum, quia utriusque amorem per duos exercemus actus; quod si per unicum exerceremus, aliter se res haberet. *c*) Cum intellectus (divinus) unico actu conclusionem eiusque principium tangit, cognitio principii non influit in cognitionem conclusionis. A pari.

951. — *Coroll.* Ergo sicut *motio* finis in causalitate finali, ubi finis *vera causa* est, dicitur motio *metaphorica*, tamen *causatio propria* (Cfr. Met. Gener.); in casu praesenti *de Deo* ipsa *tota causatio* finis simpliciter metaphorica est, i. e. *non propria* causatio.

952. — *Pars* 3ª. Datur tamen *ratio* volitionum, i. e. datur *ratio*, cur Deus amet creaturas actuales, ita ut vere dici possit Deum *propter aliquid* velle creaturas. Vindicatur id pro amore *creaturarum;* nam ratio *amoris sui* evidenter propria bonitas est; nec de hoc dubitare licet.

Prob. Quarundam volitionum *rationem* dari etsi non causam, significat quaedam fuisse *ordinate* volita obque aliquid aliud, cum quo ita conectuntur,

ut hoc alio non amato, nec illa amarentur; unde hoc aliud ratio sit cur illa amentur, quamvis illorum amorem stricte *non causaverit. Atqui* ita se habent in Deo volitiones creaturarum et operationum in his respectu bonitatis divinae. *Ergo* volitionum Dei *ratio* datur.

Min. Deus amat bonitatem suam ut *finem*, creaturas ut *media*. Atqui amor finis est ratio amoris *mediorum*. Nam amor finis habet *prioritatem conexivam*, sine eo scilicet praesupposito amor mediorum desineret esse. Ergo... Similiter ac essentia Dei est *ratio* attributi; quin enim sit *causa*, habet *prioritatem conexivam* respectu attributi: non praesupposita essentia, attributum non est.

Hinc a vero recedit illud: unica ratio, cur Deus haec voluerit vel fecerit, est haec tautologica « quia voluit, quia fecit ». Ratio est *bonitas sua*. Nec verum est similia nobis *indemonstrabilia* esse, eo quod antecedens et consequens non sunt *causa* et *effectus* defectu *realis* distinctionis. Id non requiri constat ex tractatu de attributis; S. Thomas perpetuo sic demonstrat.

953. — *Scholion I. Volitio* divina totaliter sumpta carebat *causa* finali (2ª *pars*); sed *operatio ad extra* Dei et *opus* (mundus) habent *causam* finalem; quae est *bonitas* Dei (1). Pro quorum intellectione: aliud est *volitio*, aliud *exsecutio* volitionis seu externa operatio et effectus; comparanda iam est *volitio* ipsa divina cum externa rerum effectione et effectu quoad influxum finalem *bonitatis* Dei in utrumque. *Bonitas* Dei: *a*) Respectu *volitionis* nequibat esse *causa finalis* (2ª *pars*); erat tamen *motivum* atque formale volitionis *specificativum* seu ratio (3ª *pars*); sic erat bonitas *amanda*, amor ipse *sui*. *b*) Respectu operationis *externae* ac *operati* non solum *potest*, sed debet esse *causa finalis;* sic est bonitas *danda*, aliis communicanda (2), ut *danda* est finis finaliter *causans;* ut *data* est effectus *realiter* a causa distinctus; ideoque bonitas ut danda vera causa est sive efficiens sive finalis *duorum:* α) *operati* mundi seu rerum (1ª *pars*), β) *operationis externae*, quae quia *transiens*, hinc recepta in operato (in mundo), realiter a causa (bonitate) distinguitur.

Declaratur magis. Finis causat movens (alliciens) causam efficientem ad operandum, unde efficientem causalitatem praecedit ac comitatur; finalizatio finis in actu secundo est *effectus ipse* a causa efficiente productus. Finis *in nobis* causat (influit finaliter in) *tria:* 1) *amorem* sui, qui est *actus* internus immanens, qualitas producta, et sive a *fine* ipso sive a *causa* efficiente realiter distincta; 2) *operationem ad extra*, quae nec qualitas est nec proprie res facta, sed *fieri rei*, in re facta receptum: « aedificatio est in *aedificato* » (in templo) non in aedificante (operario), et a re facta modaliter distinguitur; 3) *rem*, seu effectum. Finis in Deo causat 2) et 3), non vero 1), quia cum eo identificatur (2ª *pars*).

Ubi: *a*) Tota proditur extensio effati « omne agens agit *propter* finem ». — Si particula « *propter* » significet strictam finis *causalitatem*, tunc pro *omni transeunter* operante valet; si contenta sit cum significatione *rationis*, tunc pro *omni utcumque* operante valet. *b*) Elucet veritas illius: Deus *propter* finem *ut sibi* acquirendum agere nequit (possidet enim: est *ipsemet*, amor sui), utique *propter* finem (bonitatem) *ut aliis* communicandum. Clare iam fluunt.

954. — *Scholion II. De gloria extrinseca.* Ex communicatione bonitatis *aliis*, quam Deus intendit, seu *propter* quam operatur *ad extra* (*Sch. I*), *sequitur* gloria *extrinseca Dei*, quam *sibi* vult et ordinat. Hinc novae difficultates; prius tamen notiones repetendae. I. *Gloria* est « clara notitia cum laude »; petit notitiam rei seu excellentiae eius; amorem, gaudium eo quod perfectio a laudato possideatur (3). Gloria *obiectiva* est *perfectio ipsa*, operatio..., cuius notitia provocat laudem in cognoscente; dicitur

---

(1) « Universa *propter* semetipsum *operatus* est Dominus ». Prov. 16, 4.

(2) « Actio divina est *essentia* eius, et ex *hac* parte non quaeritur *finis* eius, sed ex illa parte, qua effectum *creaturae* communicat » (2º Dist. 1, q. 2, a. 1, ad 4); agit de actione creativa.

(3) « Gloria est quidam effectus honoris et laudis; ex hoc enim quod aliquis laudatur vel quaecumque reverentia ei exhibetur, redditur *clarus* in notitia aliorum » (2ª-2ae, q. 132, a. 2).

etiam *fundamentalis* eo quod gloriam fundet formalem. *Formalis* est notitia ipsa cum laude. Pro Deo utraque dividitur in *intrinsecam* et *extrinsecam*. *Obiectiva intrinseca* est excellentia *Dei in se*, ob quam dignus est laude; *formalis intrinseca* est cognitio et gaudium *Dei de propria* excellentia. *Obiectiva extrinseca* est creata excellentia, ob quam eius creator laude dignus est; *formalis extrinseca* est notitia apud rationalem creaturam, cui notitiae admiratio adiungatur, veneratio, laus de excellentia Dei aut relucente in mundo (pro hac vita), aut directe visa (in beatitudine). II. Hanc *formalem extrinsecam* gloriam intendit sibi Deus mundum creans; ipsa est finis ultimus *qui*, Deus est finis ultimus *cui*. Propter eamdem sed *sibi* procurandam Deus fecit res (1). Inde difficultas duplex: 1ª Dicere solemus: Deus agere nequit ob finem ut ob bonum *sibi* acquirendum vel ob *sibi utile* et commodum, sed ob bonum *aliis* communicandum (n. **953**). Ita quidem; at honestas necessaria seu ordo subordinationis inter inferius ac superius petit ut Deus ultimo in creatura non sistat, sed in seipso seu in sua *bonitate*, non quidem *augenda*, quasi auctio fuerit finis intentus, sed utique communicanda in *bonum, commodum* et *beatitatem creaturae*. 2ª Amor *benevolentiae* potius tunc in amorem incidit *concupiscentiae*. Nec ita tamen. Profecto obligatorius ille ad Deum reditus, refluentia in Deum, non a propria imponitur *utilitate*, sed aliunde, ut diximus, fluit; utilitas vero (ac incrementum) intenditur tota alteri et pro altero; in hoc autem est amor benevolentiae (2). Quod sistatur vel non in amato, in amorum classificationes non influit, seu: utriusque discrimen non ex hoc praecise desumitur quod amor benevolentiae sistat *in amato*, amor autem concupiscentiae in *amante*, sed ex hoc quod 2um est ob utilitatem amantis, non autem 1um, licet aliunde etiam teneatur forsan in amato ultimatim non sistere. Vel homo ipse ex *benevolentia* creaturam amans, in ea ultimatim sistere prohibetur ne proximum finem in *ultimum* convertat. Ratio id Deo impediens: Nam finis praesertim *ultimus* se habet ut *movens* ad motum. Sed Deum etiam ad *extra* agentem ab aliquo a se *distincto moveri*, absonum est. Ergo ultimatim in alio sistere nequit, sed *in se*, in sua *bonitate*. *Si ais:* Ens est propter operationem, ideoque et Deus sistere deberet in *operatione*, non in bonitate. *R. a*) Id de creaturis dicitur; *b*) in Deo quoque (licet late solum) id impletur, in quantum videlicet bonitas est operatio *essentialis* ad intra; nullatenus vero inquantum operatio est accidentalis *ad extra:* de hac tamen erat quaestio. Immo etiam operatio essentialis improprie tantum id verificat; si enim « propter » sonet causalitatem finalem, hanc ne ipsa quidem bonitas et operatio essentialis in voluntatem Dei exercet (2ª *pars*) (3).

Articulus IV.

CLASSES VOLUNTATUM IN DEO

955. — Ex variis voluntatis divinae partitionibus tres nunc declarabuntur: 1) in voluntatem *beneplaciti* et *signi;* 2) in *antecedentem* et *consequentem;* 3) in *efficacem* et *inefficacem.*

Divisio 1ª. Voluntas *beneplaciti* est actus ipse *volitivus*, quo Deus formaliter ac interne aliquid vult; quasi illud bene ei placet; v. g. sua gloria, mors Christi, salus hominum. Sufficit quaelibet *volitio*, sive antecedens sive consequens, sive efficax sive inefficax, sive absoluta sive condicionata, si sit actus *internus*. Voluntati internaeque volitioni in tota hac latitudine sumptis contraponitur voluntas *signi*. Voluntas *signi* est aliquod *signum*, voluntatis manifestativum; et quia non est voluntas, solum metonymice voluntas dicitur, v. g. mandatum scriptum est voluntas *in signo;* ut inter homines nuntia

(1) « Totum universum cum suis partibus ordinatur *in Deum*, in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur *ad gloriam Dei* » (1 p., q. 65, a. 2).

(2) Seu, ut habet D. Thomas, Deus non operatur « *ex desiderio* suae bonitatis », sed « *ex amore* bonitatis suae ».

(3) Cfr. Urráburu, Vol. 3, a p. 317 ad 346.

muro affixa, testamentum... stant pro *voluntate* superioris, morientis... A S. Thoma quinque numerantur: praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio (1).

Varietates voluntatis *signi* quandoque sic describuntur: 1) quae *nunquam* coincidunt cum *beneplacito*, v. g. permissio peccati; 2) quae *semper* coincidunt; sic operatio a *solo* Deo facta, v. g. creatio mundi; 3) quae *fere semper* coincidunt, v. g. praeceptum; sed non semper: v. g. praeceptum occidendi Isaac. Attamen quoad 1) dici posset coincidere etsi non cum beneplacito *peccati*, sed utique cum alio, i. e. cum beneplacito *reverendi* libertatem creaturae; quoad 3) coincidebat cum beneplacito non *exsecutionis* seu *facti mortis*, quod non fuerat volitum, sed utique cum beneplacito *dispositionis* submissae ex parte Abraham; haec enim fuerat a Deo *volita*. Igitur cum signum sit manifestatio voluntatis Dei *essentialiter veracis*, signo semper respondet voluntas *aliqua* proprie talis, quam Deus manifestare vult, quamvis forsan non *illa praecise*, quam homines *ex signo colligunt*. Tunc error non Deo decipienti, sed homini leviter signum interpretanti est tribuendus.

Divisio 2ª. Voluntas *antecedens* et quasi *prima* seu de prima intentione dicitur ea, qua Deus per prius ad praevisa merita aut demerita creaturae in vi sola propriae bonitatis vult aliquid; haec voluntas et volitio non *condicionatur* a creatura. Deus voluntate *antecedente* vult salutem *omnium*.

Consequens et secunda «quasi de secunda intentione» (S. Th.), est illa, per quam Deus per posterius ad praevisa merita et demerita liberae creaturae vult, statuit, aliquid; v. g. cruciatus Iudae. Haec voluntas condicionatur a creatura.

956. — *Varia partitionis ratio. Antecedens* et *consequens* sunt nomina *relativa*, seu respectu *alicuius* sunt talia; hinc quaeritur *quisnam* terminus ille sit, prae quo, coram quo, vel relate ad quem, voluntas (volitio) dicatur antecedens, consequens; utrum sit *electio creaturae*, *an electio Dei;* patet enim ad alterutrum ultimo rem referri. Graves inde nec vocis solum emergunt differentiae, quae in tractatu de praedestinatione erunt sedulo perpendendae.

957. — *Discrimen capitale.* Supra varias verbales potius differentias una *vere realis*, in se gravis, eminet. 1) *Nostra*, quae est classica explicatio, rationem voluntatis *antecedentis* desumit ex *voluntate* ipsa *Dei*, i. e. ex primigenia, ex insita ac velut *per se* voluntatis inclinatione, omnium hominum amativa «volo omnibus bonum, salutem»; rationem autem voluntatis *consequentis* ex *creata* voluntate, ex meritis vel demeritis a creatura contractis, quae praevisa quasi *secundam* formant voluntatem; haec iam modificans primam pro omnibus aeque bonam, ait: «volo pro Petro beatitudinem, supplicia pro Iuda». — Sed «volo...» prius est etiam *sincerum* velle, quo Deus *proprie et serio vult* etsi inefficaciter (ob deficientiam creaturae) *omnium salutem*.

Hinc iuxta nos cum Patristica traditione, cum Bonav., S. Thoma, et universa schola, quae suam fecit Patrum doctrinam, terminus ille, *prae quo*, et coram quo una voluntas *antecedens*, *consequens* alia dicitur, est *electio* creaturae; est meritum, demeritum creaturae (2). — Idipsum *re* S. Thomas paulo etiam aliter «ex parte volitorum» graphice per iudicem describit. Iudex

(1) «Praecipit ac prohibet, permittit, consulit, implet».

(2) *Damascenus* ex Chrysostomo: «Nosse oportet, quod Deus *antecedenter vult* omnes salvos fieri; non enim ut nos puniret, sed ut participes essemus eius bonitatis, nos condidit utpote bonus. *Peccantes* autem vult puniri ut iustus. Dicitur igitur voluntas prima, *antecedens* et *beneplacitum*, quae *ex ipso* est; voluntas autem *secunda* et *consequens* et *permissio*, quae est ex *nostra* causa» (Fid. orthod. 2, 29).

voluntate antecedente seu de se (ex primigenia inclinatione et quantum in se est) vult *omnes* homines vivere atque haec volitio versatur circa volitum *absolute* consideratum (vitam hominis in se); sed *sub adiunctis* sceleris homicidam suspendi vult voluntate *consequente*, atque haec volitio versatur circa volitum *cum adiuncto* consideratum; sed nota adiunctum non a iudice sed a *scelerato libere* operante poni. Sic Deus salutem omnium vult voluntate antecedente, sed voluntate consequente vult salutem aliorum (efficaciter) et damnationem aliorum (efficaciter). Sed volitum primum ait non esse *simpliciter volitum*, sed secundum quid; alterum *simpliciter volitum* (efficaciter) (1).

2) *Alii* rationem et caput partitionis non ex voluntate Dei sed ex *diverso statu* assumunt, in quo *obiectum* a Deo volitum consideratur, independenter a voluntate creata. Unde pro his voluntas *antecedens* ea est, quae amat (amaret) obiectum *praecisive* a particularibus adiunctis, seu bonum *secundum se* consideratum, ideoque *in specie* non in *individuo; consequens* autem voluntas, quae etiam *in individuo* sub determinatis adiunctis vult obiectum, vel odio habet (2). — *NB.* Si haec adiuncta, ob quae fit ut voluntas consequens non amet quod antecedens amabat (*omnium* salutem), dependerent a *creatura* libera, tunc inquam explicatio sub 2) vix a nostra reapse differret; maxime prout verbis Aquinatis vestita. At hi, generalem explicationis typum ex citata sumentes quaestione 19ª, rem aliter concipiunt, sine ulla scilicet a peccatrice libertate dependentia. Quod quidem severitas sententiae est.

958. — 3) *Differentiae.* Atque una in fundo conceptio non uno ab illis proponitur modo. Etenim α) Nonnulli (Bañez, Zumel...) Deum aiunt talia *eminenter* solum velle, tropice, non formaliter, non proprie; sunt obiecta voluntatis antecedentis. β) Alii: Deus salutem omnium *vellet*, nisi inde « pulchritudo universi et Bonum *universale iustitiae* et misericordiae » impediretur (Alvarez); « *vellet* salutem omnium, nisi hoc opponeretur iustitiae et manifestationi attributorum Dei » (Gonet). Voluntas *antecedens* fit tunc antecedens ipsam praesentis ordinis electionem ex parte Dei, seu in signo priori ad electionem collocatur ideoque fit mere *condicionalis;* condicionatur autem non a creata *libertate*, sed ab obiecto electionis *absolute* perque prius *a Deo volito*, ab ordine scilicet universali iustitiae ac misericordiae. Hinc Deum salutem omnium velle amplius non tenet; *vellet*, si non hunc elegisset Deus ordinem, sed *elegit* sine ulla creatae libertatis respicientia; quia vero ordinem (harmoniam) iustitiae cum misericordia non minus fletus et stridor dentium quam laudes beatorum integrant, salus omnium chimaerica redditur, postquam Deus, coram se solo elector constitutus, *elegit* in hominum cruciatibus aeque iucundari ac gaudiis, ut duorum attributorum explanaret exhibitionem (3). — Sed de his plura in tractatu de Praedestinatione.

---

(1) 1 p., q. 19, a. 6, ad I. — Clare in 23 de Verit., a. 2, ad 2: « Aliquem hominem vult Deus salvari, voluntate *antecedente*, ratione humanae naturae, quam ad salutem fecit; sed vult eum damnari voluntate *consequente propter peccata*, quae in eo inveniuntur ». — Paulo ante sic: « Cuius distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit » (ib. c.).

(2) Cfr. *Gotti*, « Theol. dogm. Schol. », T. 1, tract. 5, q. 1. — *Billuart*, « De Deo », dissert. 5, q. 1.

(3) Alvarez O. P. sic: « Dicitur voluntas antecedens, non quia antecedat bonum vel malum *usum nostri* arbitrii; sed quia antecedit voluntatem, qua *Deus fertur* in obiectum consideratum cum aliquo adiuncto, quae est consequens consideratio eius ». « Si consideretur salus reproborum secundum se et absolute, sic est a Deo volita; si autem consideretur ut habet adiunctam privationem aut carentiam *maioris boni*, videlicet boni universalis *providentiae* divinae, *pulchritudinis universi*, manifestationis *iustitiae* divinae in reprobis, et maioris splendoris misericordiae eius in electis, sic *non est volita* a Deo... ». « Voluntas antecedens importat formaliter in Deo actum *condicionatum*, quo *vellet* salutem omnium, nisi ex hoc impediretur *pulchritudo universi* et bonum universale divinae iustitiae et misericordiae » (De Auxil., disp. 34, nn. 3, 4, 5).

959. — *Divisio* 3ª. Voluntas *efficax* ea est, quae obtinet effectum volitivum, v. g. salutem aliquorum. — *Inefficax* vero seu simplicis *complacentiae*, quae non coniungitur cum effectu volito; sic Deus « vult *omnes* homines salvos fieri ».

Quasi huic synonyma quandoque proditur 4ª divisio voluntatis in *absolutam* et *condicionatam;* differre tamen videntur, nec in forma solum *externa* ac velut dialecticali, sed etiam *in re*. Nam *a*) inefficax est *actualis* volitio, seu actus exsistens, et non actus, qui *exsisteret*, si... Per illam Deus formaliter serioque *vult* omnium *salutem*. *Condicionalis* autem voluntas non est *actualis* volitio, non est actus, sed *esset*, si...; per illam enim Deus *vellet*, si..., sed *non vult;* non habet actum. *b*) *Condicionalis* voluntas est potius (saltem habetur ut) membrum in subdivisione voluntatis *efficacis* in *absolutam* « *volo efficaciter...* », i. e. coniungendo volo cum effectu, et *condicionalem* « vellem efficaciter, si... ». — *Inefficax* autem est aut potest esse *absoluta*, ideoque esse nequit secundum membrum in subdivisione efficacis, prout erat condicionalis. Ergo differunt; licet invicem accedant.

Magis adhuc accedit 3ª ad 2ªm et sic de utraque eaedem moventur quaestiones, quas in 2ª iam innuimus.

Articulus V.

DE ACTIBUS ET VIRTUTIBUS DIVINAE VOLUNTATIS

960. — *Quaestio et solutio generalis.* Actus Dei volitivus, evidenter *unus* ac simplex, omnium tenetur aliquomodo actuum perfectiones includere, quos divisim nostra elicit voluntas in ordinibus diversis *passionum* et *virtutum*. *Quaeritur* utrum formaliter an aliter ei talia insint, i. e. utrum *proprie*, an *metaphorice*.

Responsum generale evidens: Quae virtutes affectionesve nulla inuruntur imperfectionis macula, *formaliter;* reliqua vero vel *improprie*, vel *nullatenus*. Consequenter: Passiones sex concupiscibilis, quinque irascibilis, prout *proprie* passiones compositi sunt organoque affixae, ab anima ipsa, a fortiori a Deo simpliciter absunt. *Improprie* tales seu quoad partem *specificam* passiones, at spiritualizatae seu omissa organicitate, in nostra quidem adesse possunt voluntate; in divina aderunt *formaliter* eae solum, quae in formali sua ac specifica nota imperfectionem non dicant; reliquae ad summum *metaphorice*.

§ I. — *De singulis in concreto actibus.*

961. — I. *De passionibus.* 1) *Amor* sui et creaturarum *proprie* in Deo est; « complacentia enim boni » seu inclinatio in bonum a praesentia et absentia praescindens, nullam dicit imperfectionem. — *Gaudium*, seu fruitio boni *praesentis*, sive propriae sive beatorum felicitatis, evidenter *adest*.

Delectatio, sive synonyma cum gaudio, sive *restrictior*, restricta ad *suam* beatitudinem, evidenter adest. — *Zelus*, seu amor vivus, ardens, gloriae Dei a creaturis accipiendae, adest. 2) *Odium* duplex distinguitur: *a*) *Abominationis;* est affectus aversativus, quo malum detestamur, reprobamus, et terminatur ad *malum;* in Deo adesse potest. *b*) *Inimicitiae;* est affectus, quo malum volumus alicui *personae*, qua huic malum est; hinc quia directe detestatur

personam, communius Deo non tribuitur *nisi improprie*. Igitur *peccatorem* qua talem vere abominatur, *odio tamen inimicitiae* probabilius non persequitur, nec praedestinatum nunc peccantem, nec reprobum adhuc viatorem, nec reprobum in termino; Deus enim reprobum puniens intendit primo *restitutionem* ordinis iustitiaeque a reprobo violatorum, nec in malo personae fruitur, quia et *qua ei* malo. *Tristitia* est affectus ex malo praesenti qua realiter aut putative tali; excluditur a Deo ut et *dolor*, quia pugnans cum beatitudine; solum *metaphorice* de malis alienis dolere conceditur.

3) *Desiderium*, inclinatio in bonum absens, futurum, *a*) respectu *boni sui* seque perficientis a Deo abest; hoc enim bono carere nunquam potest; *b*) respectu boni *aliorum* « vult omnes salvos fieri » Deum vere *desiderare* plures concedunt; alii (cum S. Th.) solum *metaphorice*.

Fuga, aversio a malo futuro impendente, non admittitur in Deo.

4) *Spes* est desiderium boni absentis supponens arduitatem obtentionis ob periculum non obtinendi aut ob incertitudinem, aut simpliciter ob arduitatem seu nisum. Cum Deo nihil vere arduum sit, spes *metaphorice* solum Deo tribuenda.

Desperatio, recessus a desiderato ex impossibilitate saltem putata obtentionis, infert tristitiam et iram, ideoque ne metaphorice quidem Deo tribuitur, sicut nec

5) *Audacia;* connotat enim *difficultatem* intenti, *ignorantiam* caecumque quasi impetum necnon incertitudinem, quae omnia indigna Deo sunt (1).

6) *Timor*, trepidatio mentis ex imminentia proprii mali difficile vitabilis, cum Deo pugnat.

7) *Ira proprie* talis Deo negatur; coram variis tamen irae sensibus: Si pro « *iusta vindicta* » (cum S. Aug. et S. Th.) sumatur, quae et « motus animi insurgentis ad coërcendum peccata » dicitur, in Deo adest; minime vero si appetitum sonet vindictae cum mixtione doloris turbationisque, nec magis prout a philosopho ira definitur « appetitio doloris vicissim adversario referendi ».

962. — II. *De actibus circa finem et media.* Proprie adsunt in Deo, ideoque recte tria haec Deo tribuuntur: *Intentio* finis; *Electio* mediorum; *Exsecutio* electorum per usum mediorum.

1) *Intendere* finem est velle finem; velle autem finem (suam bonitatem divinam) non conciliabile solum cum Deo, sed ipsa eius voluntas est, seu actus circa obiectum primarium; hinc Deo in sensu omnino proprio *necessarium*.

2) *Electio* imperfectionem sonare solet ob praevias *deliberationes* cum dubiis, discursibus... Sed talia *per accidens* electionem comitantur, in nobis nempe; *ex se* enim eligere media ad finem proprium est sapientis, nec nisi alia acceptare, relictis aliis, dicit. Si electio praeterea cum *volitione* finis *identificetur*, non est cur a defectibus liberata, Deo proprie non insit.

3) *Exsecutio* seu *usus* evidenter adest, ne aut impotentiae arguatur Deus, aut insipientiae (media inutilia reddentis), aut ignorationis aut neglectus.

---

(1) Cfr. S. Thomam, 1° c. G., c. 92. Singula copiosius evoluta cfr. apud Urráb. Vol. 8, n. 174.

§ II. — *De virtutibus.*

963. — 1. *Regula generalis. Proprie* Deo qua tali non inerunt illae virtutes: *a*) *passionales*, seu quarum operatio in *organo* fiat, v. g. continentia, castitas, sobrietas, modestia; nec magis *b*) eae, quae respectum dicunt *inferioris* ad *superiorem*, v. g. humilitas, oboedientia, religio, observantia, cultus, adoratio, reverentia, etc.

2. *In specie. Ex theologalibus fides* ac *spes*, propriae creaturae qua talis et qua in via, evidenter alienae Deo sunt. *Caritas* perfecta adest, creaturas amore *amicitiae* amplectens.

Ex *cardinalibus* 1) *Prudentia* « rectum iudicium agendorum » perfecta et infallibilis in Deo est. 2) *Iustitia* perfecta pariter: *iustus iudex*. 3) *Fortitudo* sicut 4) *Temperantia* proprie in Deo non sunt (ita expresse cum D. Thoma communis theologorum); obiectum enim utriusque passionum moderatio est, ut *temperantia* delectationes *concupiscibilis*, *fortitudo* autem timorem audaciamque *irascibilis* respective regere assumant. — Improprie quidem *fortitudo* a theologis cum Scriptura attribuitur Deo, *temperantia* ne *improprie* quidem quoad plures eius partes (S. Th.), cum nimis a Deo distent sobrietas, castitas, etc. quoad alias partes certe, v. g. quoad *Clementiam*, cuius est *vindictam* mitigare iustitiaeque punientis rigores et quoad *Mansuetudinem*, quae *iram* furoris frenat: « Clementia est diminutiva poenarum, mansuetudo vero est mitigativa irae » (S. Th.).

Misericordia est virtus inclinans ad alienam sublevandam miseriam; psalmis perpetuisque Ecclesiae cantibus adeo celebrata, in Deo esse dicenda est et quidem iuxta *Suarez* (probabilius cum S. Thoma) pluresque alios *proprie et formaliter;* iuxta *Salmeron* cum aliis *improprie* solum seu metaphorice; eo quod proprie sumpta haec virtus per duo constituatur, quorum alterum sit *voluntas* miseriam levandi, alterum mixtio *doloris* compassivi de aliena miseria. At non constat haec duo sicut ad *nostram* ita et ad misericordiam *ut sic essentialia* esse.

Liberalitas seu *largitas* definitur virtus inclinans ad donandum aliquid, non ratione commodi donantis, sed ob bonitatem ipsam donationis. Etiam *proprie* concedenda Deo videtur *in genere* sumpta; minime vero, si pro virtute *humana* sumatur, et quidem prout ad pecuniae largitionem restricta, ut a S. Thoma quandoque restringitur.

Magnificentia, virtus inclinans ad res magnas, mirabiles patrandas « Fecit mihi magna... », tam proprie quam veritas, prudentia et ars in Deo reperitur (S. Th.); etsi enim comparative ad Deum quidquid ad extra Deus operatur, velut umbra sit, at in se magnum est, aliunde vero arduitas illa ex dispendiis veniens, quaeque a magnifica creatura necessario superanda est, de essentia non videtur magnificentiae *ut sic*.

Simile quid sonant *Magnanimitas*, spes in bonum distans, longinquum..., eiusque synonyma *Longanimitas*, intime cum *patientia* unitae. « Patiens quia aeternus ». — Minus proprie, vere tamen, de Deo dicuntur.

De *Veracitate* et *Fidelitate*, quae proprissime Deo insunt, egimus supra in tractatu de Veritate Dei (prop. XXXI, pars 3ª) (1).

---

(1) Plura apud auctores citatos aliosque. Cfr. S. Th. 2ª-2ae, q. 80, a. unic.

Conclusio. — De vera vita Dei.

964. — 1. Ex tota intellectus voluntatisque tractatione colligitur Deum non solum *vere* ac proprie sed etiam perfectissime vivere. In linea pure spirituali intentionali-volitiva totam peragit vitam, tam in actu vitam, ut totum sit *actu vivere*, ut ne terminum quidem internum ullum producat, quasi ab actu vivere distinctum. Hinc Deus est *ipsa vita* (Arist.); « omnia in ipso *sunt ipsa vita divina* » (S. Th., 1 p., q. 18, a. 4).

Videlicet Deus est intellectus; intellectus est intellectio et intellectum (primarium). Iamvero, ut « vigilare est magis vivere quam dormire » (Arist.), sic *actu* intellegere perfectior vita est, quam potentia intellegere. Ergo vita perfectissima erit, actu intellegere seipsum, actualem intellectionem puram; seu ergo omnia in Deo sunt *ipsa vita*.

2. Nec huic desunt vitae ad vitam in genere requisitae condiciones. Etenim Deus *a*) *movet se*, operatur enim *ad intra*, independenter ab omni extrinseco sibi et operationi vitali, qualiter nullum aliud vivens; proin *b*) immanenter agit immanentia perfectissima, cum non solum operatio in agente maneat, sed agens sit operatio ipsa immanens; exclusivum Dei. *c*) Et operatio superat vires physico-chemicas, organicas; dependentiam renuit ab organo et a materia; excludit potentialitates in ipsa elevatione spirituali, umbras quoque compositionum spiritualium, quae in aliis spiritualibus vitis insunt. *d*) Tandem vitat compositionem actus cum obiecto. — Ergo *est vita* undequaque *perfecta*.

PARS QUINTA

DE ATTRIBUTIS RELATIVIS ACTUOSIS

(seu: DE POTENTIA, CONCURSU ET PROVIDENTIA DEI)

965. — Ordo. Agendum iam de attributis *actuosis relativis*, quorum efficacia a Deo in opera exit *externa;* fundamentale est divina *Potentia.*

Intellectus quoque et voluntas actuosa erant, sed *immanenter* ad intra operantia, Deum faciebant pro se intentionalem vitam. Actuositas potentiae, tota se *ad extra* profundens essentiaeque velut dynamicitatem mensurans, fecunditati respondet entis ac bonitati, qua esse purum, bonum boni, esse suum amoremque alteris communicare consentit.

Ordine tractantur: exsistentia, natura, protensio divinae potentiae; varia deinde externatio potentiae, dum Deus mundum *a*) creat, *b*) conservat, *c*) energetice complet, *d*) provide gubernat. Hinc quatuor capita:

Caput XIII. *De Potentia ipsa Dei.*

Articulus 1. Exsistentia Potentiae activae in Deo.
Articulus 2. Comparatio Potentiae ad voluntatem et intellectum.
Articulus 3. Omnipotentia Dei; eius relativitas.

Caput XIV. *De operibus Potentiae*, et primo de opere creativo.

Articulus 1. Creatio mundi.
Articulus 2. Natura actus creativi et creationis.
Articulus 3. Subiectum vis creativae.
Articulus 4. Conservatio mundi.

Caput XV. *De Concursu.*

Articulus 1. Exsistentia divini concursus.
Articulus 2. Concursus prae-determinans.
Articulus 3. Concursus indifferens simultaneus.
Articulus 4. Concursus ad peccatum; auctor peccati.

Caput XVI. *De Providentia, Gubernatione et Dominio.*

Articulus 1. Providentia.
Articulus 2. Gubernatio.
Articulus 3. Dominium.

CAPUT XIII.

De Potentia ipsa Dei.

Articulus I.

EXSISTENTIA POTENTIAE IN DEO

Propositio LIX. **Deo inest potentia activa eaque infinita.**

966. — *Praenotanda.* I. *Notio potentiae. Potentia* opponitur *actui*, ab actu nominatur, ex ipso dignoscitur, specificatur; atque haec in activis potentiis manifestiora, de qualibet tenent potentia respectu sui actus.

Potentia universim definitur *capacitas ad aliquid;* et hoc aliquid est *actus* potentiae respondens, capacitatem explens potentiae. Hinc potentia, quia aptitudinem dicens ad actum, eiusdem connotat carentiam (in ordine in quo est potentia), *imperfectionem* sonat; quia vero ad actum ordinatur sui completivum, sibi *finis* esse nequit.

967. — II. *Classes potentiarum et actuum.* 1° Potentia dividitur: in *obiectivam* et *subiectivam. a*) *Potentia obiectiva* est mera possibilitas seu aptitudo alicuius ut sit; eius *actus* est *esse reale* aptitudinem explens ad esse. Quidditates possibiles totidem potentiae *obiectivae* sunt, actus autem expletivi eaedem sunt *physicae* quidditates; actus enim est illud, *ad quod* erat potentia; in casu autem potentia rei possibilis erat ad seipsam physicam; erat aptitudo Lunae possibilis ad physicum esse sui. Unde si potentia obiectiva (quidditas possibilis) erat substantia essentialiter *composita* ex materia et forma (ut sunt in hylemorphismo omnia corpora), actus ei respondens fuit corpus physicum utraque constans essentiali parte; actus enim est id, *ad quod* erat potentia. Sed in hoc actu, qui primus est primaeque respondens potentiae, quia componebatur (sicut ipsa potentia), contingit quod una eiusdem physica pars (materia prima) *ex se* indeterminata physice sit ad esse primum cum forma constituendum (*sub hac* prae alia specie), in physica scilicet versetur potentia ad primum esse (substantiale completum) seu ad *ens simpliciter* constituendum, et quod haec potentia (physica) ad actum trahatur per formam substantialem, et quod esse huius formae incompletum, dum actuat esse pariter incompletum potentiae, cum hoc constituat esse completum (substantialiter perfectum), primum ens, simpliciter ens (1). Contingit insuper quod esse totale substantiale, substantialiter scilicet perfectum, adhuc pro finibus naturae activo-passivis, per accidentia obtinendis, non sit *absolute* totaliter actuatum; unde sicut materia ad formam, sic compositum ipsum in potentia sistat ad novas induendas, dandas

(1) Paucis Aquinas: « Cum materia prima a Deo sit, oportet ideam eius aliqualiter in Deo esse; et sicut attribuitur *sibi* (materiae) *esse*, ita attribuitur sibi idea in Deo: quia omne esse, inquantum perfectum est, exemplariter ductum est ab esse divino. Esse autem *perfectum*, materiae non convenit in se, sed *solum* secundum quod est in composito; *in se* vero habet *esse imperfectum*... Quia essentia divina est imitabilis a *composito* secundum *esse perfectum*, a materia secundum *esse imperfectum*, sed a privatione nullo modo » (1° Dist. 36, q. 2, a. 3, ad 2).

formas, i. e. ad accidentia. Iam *b*) *potentia subiectiva* est capacitas *physica* ad aliquid; est physica subiecti aptitudo ad formas in se recipiendas, aliis dandas. Materia prima relate ad formas substantiales; substantia completa relate ad formas accidentales; potentiae ipsae accidentales ad actus ponendos, recipiendos.

968. — 2º *Potentia subiectiva* dividitur in *passivam* et *activam*. *a*) *Passiva* est capacitas recipiendi in se formas sive substantiales sive accidentales, v. g. materia prima, substantia completa, sive corporea sive spiritualis. *b*) *Activa* seu *operativa* (sic nunc « activa » sumitur) est capacitas operationes ponendi sive immanentes sive transeuntes. — Activa *immanenter* erit potentia subiectiva *activa simul et passiva* eiusdem, maxime si *perfecte* immanens sit, seu si operationem factam (qualitatem) non in *substantia* sed in ipsa ponamus recipi facultate.

Igitur *actus*, qui *passivis* respondeant potentiis, erunt *formae sive substantiales sive accidentales*, et accidentales quidem ad modum qualitatis sive permanentis, sive transeuntis. Activis quoque potentiis formae rursus respondebunt sive substantiales sive accidentales; substantiales semper in alio, accidentales autem sive in alio sive in se. Qui actus sive substantiales sive accidentales, si permanentes sint, dicuntur actus *primi* (remotus, proximus, respectu operationis quam ponent); si vero transeuntes, dicuntur actus *secundi*, operationes (Cfr. Psych.).

969. — *Applicatio ad potentiam Dei.* Non agimus 1) de potentia *obiectiva*, quae respectu Dei pugnat; nec 2) de *subiectiva passiva;* enti enim *irrecepto* et *esse puro* quaevis dissonat *receptivitas* formae, etiam immanenter a Deo ipso productae; sed 3) de sola *potentia activa* et quidem *transeunter* operativa, nihil scilicet in se (dum operatur) sed omnia extra se ponente. Hanc Deo tribuentes ostendemus cum actu puro conciliari.

970. — *Prob.* 1ª *pars.* Potentia activa *a*) propria est entis actu exsistentis et perfecti, nec *b*) de se inque suo conceptu ullam involvit imperfectionem; est igitur perfectio simpliciter simplex. Ergo exsistit in Deo.

Ant. a) Nam prius est *esse perfecteque* constitutum esse quam operari; nisi enim perfecte sit constitutum, capacitate carebit operandi proxima.

b) Imperfectionem involveret inquantum agens agendo terminum in seipso novamque perfectionem recipere teneretur. Atqui id proprium quidem est agentis immanenter (operatione ab operante distincta), non autem agentis *transeunter*, igitur non agentis etiam creati ut sic, minus adhuc increati et agentis ut sic. Ergo nullam involvit imperfectionem.

Ad min. Operatio *transiens* recipitur *in passo*, ideoque per illam non agens, sed patiens de novo perficitur; seu agens qua agens non perficitur, sed *qua patiens* (S. Th.) (1). Cuius ratio: agens qua tale dat, communicat esse alteri; quia vero perfectio nova nonnisi ex novo nascitur esse, progressus in perfe-

---

(1) « Est autem duplex operatio. Quaedam quidem *transiens*... et haec... *non est* perfectio operantis sed *operati*, non enim aliquid acquiritur *igni* ex hoc quod est calefaciens, sed *calefacto* acquiritur calor. Alia... operatio est *manens* in ipso operante, sicut intellegere, sentire... Hae autem operationes sunt perfectiones operantis » (De Pot., q. 10, a. 1, c.).

Atque haec de actione transeunte doctrina ut unice vera habetur *a*) a pluribus thomistis; *b*) a doctoribus universim S. I. Suarez, Toledo, Conimbr. etc., post S. Thomam cum *Aristotele* passim et sine aequivocis sic aiente: 1) « Ut actio et passio *non in agente* est, sed in illo, quod *patitur*, sic et ipsius sensibilis actio in ipso est sensitivo » (de Anima, L. 3, c. 2, text. 140). 2) « Agentis enim et moventis operatio in ipso patiente suscipitur et inest » (ib.). 3) « Actus agentium in eo, quod *patitur* atque disponitur, inesse conspiciuntur » (ibid. L. 2, c. 2, text. 24).

ctione in eo fiet, in quo novum recipiatur esse, in patiente, non in agente; ab agente potius *exit* perfectio et esse cum diminutione proprii esse, v. g. lumen ardens; unde causa agens qua talis operando potius consumitur. Quoties autem ad agendum qualitate provocatur in se recepta, tunc sane perficitur, sed qua *patiens*.

Pars 2ª. Potentia Dei *infinita* est.

971. — *Prob.* Potentia activa proportionatur eius, ad quem pertinet, formae seu essentiae, maxime si cum ea identificetur. Atqui essentia Dei infinita est, cumque ipsa identificatur potentia. Ergo potentia activa Dei *infinita* est.

Mai. « Quale enim esse, tale operari »; seu: qualis essentia, tales proprietates, facultates earumque operationes: substantia est propter operationes. Atque haec specialem in Deo vim obtinent sub reali utriusque identificatione. *Obstaret pugnantia* (quae non datur) virtutis activae infinitae. Ergo

972. — *Scholion.* Utrum quonamve sensu ratio potentiae adsit in Deo, inquirit Aquinas (1 p., q. 25, a. 1) per examen potentiae (activae) in *creaturis*. In *Sole* est *principium* non *actionis* solum (i. e. exercitii activitatis *in Sole* ipso), sed etiam *effectus* producti (i. e. calefactionis aquae). Iam 1º Inquantum *potentia* ab *actu* suo *realiter distinguitur*, ratio potentiae in Deo per hoc quidem salvatur quod potentia Dei est principium *effectus* extra Deum positi, non tamen per hoc, quod est principium *actionis in ipso Deo. Actio* enim *sic sumpta* essentia Dei est, non habens principium ab actione realiter distinctum. Ergo potentia Dei pro *actu divino* seu pro actione, prout haec *in Deo* ipso est, non est potentia. Adhuc *concipere* ut talem poteris, in quantum perfectio Dei perfectiones continet actus primi et secundi potentiarum, eo fere modo, quo rationes naturae et suppositi in ipso separamus. 2º Ergo simpliciter (realiter) « salvatur ratio potentiae quantum ad hoc quod est principium effectus ». Secundum rationem (dubie) quantum ad hoc etiam, quod est principium actionis ut *in Deo*.

Articulus II.

POTENTIA CUM VOLUNTATE COMPARATUR

Propositio LX. **Potentia activa Dei, prout in actu primo et essentialiter ut verum attributum sumitur, cum voluntate ipsa formaliter identificatur; prout autem in actu secundo contingenter ad extra operans, cum voluntate libere mundum decernente. Unde adaequate sumpta potentia, non tam novum in rigore attributum, quam velut pars attributi voluntatis dicenda est.**

973. — *Praenotanda. St. q.* Potentia in Deo illa vis est, quae intellectus ductu externa exsequitur opera. Sed quamvis nihil Deus ad extra fuisset operatus nec unquam operaturus, potentia non minus quam alia attributa Deo adfuisset ut *virtus* ad extra operandi capax. Unde potentia in duplici est conspicienda stadio; praecipue quidem ut *actu operans*, quin tamen sic tota eius hauriatur natura.

Iam in homine intellectus *dirigit*, voluntas *imperat*, potentia *exsequitur;* quae tria realiter invicem distingui, et in animali *vim* locomotivam ab appetitu (clarius adhuc a cognitione) Psychologia ostendit.

Eadem tria in Deo considerantes (dantur enim) novimus *re* non differre; ratione *aliquomodo* distingui constat, cum de singulis passim loquamur.

Punctum controversiae (potius recentis) versatur circa gradum seu modum huius distinctionis rationis. Intellectus et voluntas, in diversis sistentes lineis, *duo* constituunt attributa; quaeres utrum *potentia* quoque novum de se lineae novae attributum efformet, adaequate ab eis distinctum, an potius quasi pars in eorum complexu, aut in alterutro includatur, eo fere pacto, quo speculativus et practicus intellectus sub uno capiuntur intellectu, vel amor et iustitia sub voluntate. Quaestio ipsa clarius procedit in hypothesi praecisionis mutuae attributorum quam in nostra generali doctrina inclusionis mutuae (prop. XXI); in postrema hac hypothesi attributa erunt iam sumenda pro parte solum *explicita*.

Sententiae generales. 1ª vult *tres* esse facultates; 2ª *duas* solum.

974. — 1ª *Sententia varie* intellegitur: *a*) Pauci (cum Durando, Aureolo) numerantes intellectum, voluntatem et potentiam, hanc cum *essentia* identificant: *intellectus* dirigit, *voluntas* imperat, *essentia* (qua aliis sese communicans) exsequitur (1). *b*) Plures praeter essentiam tres explicite recensent facultates, seu sicut triplex (aiunt) de his tractatus instituitur, sic facultates adaequate separabiles sint tres (Suar., Compton, de Benedictis...). — Per haec quidem 1ª sententia non solum melius in se classificatur, sed etiam idiomati usuali accommodatior redditur quam 2ª; quaestio tamen est *de re*.

2ª *Sententia*, communior, tria illa ad duo reducit adaequata attributa, quae sint intellectus et voluntas. Essentiale huic sententiae hoc est: quod perfectio potentiae activae in huius entitativo (metaphysico) examine non sit concipienda ut nova perfectio, extra lineam intellectivo-volitivam adaequate posita. Sed deinde: *a*) alii potentiam vimque creandi plenam in complexu reponunt intellectus et voluntatis (Valentia, Ruiz); *b*) iuxta alios per intellectum practicum omnia sat explicantur; i. e. *supposita volitione* efficaci, principium operandi proximum est imperium intellectus, seu intellectus practicus per voluntatem applicatus (thomistae passim). *c*) Alii potentiam cum *sola voluntate* identificant, ut *voluntas* mundum *efficaciter volens* sine alio sit iam potentia activa in actu suo, ex parte scilicet Dei activitas sit in actu operativo; hinc inter voluntatem efficaciter volentem et opus externum *vis nova* adest nulla, quae activa potentia nuncupetur; seu mundus nascens contactum habet immediatum cum *vi volitiva* Dei « fiat ». Ita praeferenter moderni (Mend., Tepe, Honth., Urráb... cum Toledo, Vazq., Molina...); quibus assentientes prius tamen cum voluntate comparamus *totum* potentiae attributum; nec enim censemus adaequate potentiam perpendi, si ad solam attendatur creationem, seu ad efficacem solum voluntatem.

975. — *Prob.* 1ª *pars.* Potentia est *attributum* in linea *capacitatis* activae; Deo essentialiter conveniens, ideoque independenter ab omni hypothesi (volitionis mundi) in Deo exsistens. Ergo si potentia activa ad lineam voluntatis sit trahenda, ut pars huius quasi extensiva, tunc cum voluntate ipsa in se, seu cum volitione divina *in se* formaliter identificari dicenda est; haec enim praecise et non *libera* volitio est verum attributum « voluntas ». Atqui activa potentia ad lineam voluntatis est trahenda. Ergo potentia est attributum voluntati in se identicum.

---

(1) Id sibi veteres velle, quoties aiunt tres Dei perfectiones ad opus externum concurrere: intellectum, voluntatem, *essentiam*, opinatur Ruiz; nec satis tamen constat.

Antec. Mai. Potentia enim activa in Deo anterior est ad volitionem creationis tamque Deo necessaria quam *essentia* ipsa.

Conseq. iam probata est.

Min. Cum facultas a suo specificetur actu, et in ea subsistat linea, in qua suus consistit actus, si operatio *potentiae* Dei appareat esse volitio ipsa mundi, potentia Dei merito ad lineam trahetur voluntatis. Atqui operatio potentiae est volitio ipsa mundi (2ª *pars*). Ergo potentia ipsa est voluntas ipsa.

976. — *Pars* 2ª. Potentia ut actu ad extra operans ipsa est *volitio* mundi: « Eius (Dei) velle est eius agere » (S. Th. 2º c. G., c. 31).

Prob. 1. Si sola *volitione* Dei sufficienter explicatur influxus operativus ad extra, *nova* novae lineae vis intrudenda non est, volitionis exsecutrix. *Atqui* ita est. *Ergo.*

Mai. Etiam in creatis spiritibus (angelis) conantur theologi *vim motricem* (corporum) ab angeli volitione distinctam supprimere, si volitio sola par est effectum motus obtinendo; sic enim excellentiam spiritus magis commendari censent ex maiore simplicitate. — Ergo a fortiori in Deo quaerenda est simplificatio.

Min. Divino velle est concedenda *omnis*, quae in voluntatem cadere possit, perfectio. Atqui perfectio disputata in voluntatem cadere potest. Etenim: *a*) Anima humana, licet non solum immanenter *volens* sit, sed etiam alias potentias velut transeunter *applicans* ad *operationem* ad extra, adhuc solo intellectu voluntateque, sine additione *novae vis applicativae*, perfecte in suo esse constituta iudicatur, ideoque *volitio* censetur posita in *immediato* velut contactu effectivo cum aliis, et in visu v. g. attentionem producens, etc. nulla *vi nova* exsecutiva mediante. *b*) Similiter volitio angeli pro motu corporis (1). Ergo si anima et angelus per intellectum et voluntatem etiam pro muneribus *exsecutivis ad extra* perfecte constituuntur, a fortiori Deus; a fortiori in eius cadit voluntatem operositas velut ad extra, exsecutiva. — Ergo eius velle est eius agere.

977. — *Prob.* 2. « Non est inconveniens quod Angeli aliqua corpora *solo imperio voluntatis* moveant motu dumtaxat locali; videmus enim quod anima humana solo intellectu et voluntate movet corpus sibi unitum. Quanto autem aliqua substantia intellectualis est altior, tanto habet virtutem motivam magis universalem » (2).

Unde: *Voluntatis* imperium eo est ad extra potentius, quo in ente situm nobiliori. Atqui in minus etiam nobilibus situm pro effectibus motus externi adhuc *sufficit*. Ergo in infinite nobilissimo exsistens pro effectu omniumque nascentia a fortiori sufficiet. Sane si nostra voluntas per simplex « volo », per unicum « fiat », plantas beluasque esset adaugens, machinas movens ac perficiens, multo censeretur nobilior. Ergo ita Deus.

978. — *Pars* 3ª. Est *corollarium*. Ergo potentia Dei ut una erit concipienda virtualitatum partiumque voluntatis, ut voluntas *qua operativa* ad extra sive in actu primo ac capacitatis, sive in actu secundo actualis ad mundum *terminationis*. Unde, cum voluntas libera *necessario* exsistat in Deo, etiam potentia necessario exsistit in Deo. Sed sicut voluntas *contingenter* terminatur ad « volo mundum », ita etiam potentia ad « fiat mundus ».

---

(1) « Unde de viribus animae non possunt eis (angelis) competere nisi intellectus et voluntas » (1 p., q. 54, a. 5, c). « Angelis non est alia vis, quam intellectus et voluntas » (1 p., q. 79, a. 1, 3).

(2) De Malo, 16, 1, ad 14.

979. — *Obi. I.* Nos circa divina attributa nostros *analogicos* conceptus numerumque e creatis derivamus perfectionibus. Atqui potentia exsequens creaturae in *nova* linea esse solet, realiter ab aliis distincta. Ergo in Deo ipso melius ut quid *novum* concipietur.

R. D. M. Ita tamen ut quandoque reflexio metaphysica reformationem imponat maioremve simplificationem, *C.* Omnimoda et velut mathematica regularitate, *N. M.* — *Ctr. m.* Ita tamen ut vel ipsa creata ad alias lineas valde accedat, *C.* Aliter, *N. m.* — *N. c.* — Explicatio in probationibus.

980. — *Obi. II.* Facultates specificantur ab actu, ut actus ab obiecto. Atqui intellectio ac volitio actus sunt *immanentes*, operatio autem potentiae *transiens* est. Ergo potentia est nova facultas.

R. D. M. Ab *adaequato*, *C.* Ab inadaequato, *N. M.* — *Ctr. m.* Sunt solum *immanentes* adaequate in creaturis, et in Deo ipso ita est intellectio, *Tr.* In Deo ipso etiam actus *volitivus* mundi ita est, *Sd.* Formaliter, *Tr.* Virtualiter adaequate, *N. m.* — *N. c.* — Explicatio infra.

981. — *Obi. III.* Voluntas fertur in res *intentionaliter*, non *physice*, seu eas respicit ut obiecta non ut effectus. Atqui potentia respicit res *physice*, i. e. ut effectus a se faciendos. Ergo distinguitur a *voluntate*, magis adhuc ab intellectu.

R. D. M. Secundum *partem* sui i. e. ut mera est *complacentia*, *C.* secundum *se totam*, i. e. inquantum virtus quoque, virtus *factiva* est, *efficax* volitio mundi, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Inadaequate, *C.* Adaequate, *N. c.* — De intellectu, *Tr.* — Licet et in intellectu assignare possimus duas velut partes: speculativum et practicum.

982. — *Obi. IV.* Intellectus *practicus* constituit potentiam saltem inadaequate. Ergo non voluntas saltem adaequate. *Antec.* Practicus enim non solum contemplatur obiectum in se operabile illudque ut operabile perpendit *modo* operabili, sed etiam ad praxim *ordinat*, seu ad exsecutionem. Ergo intellectus sic se habens in linea versatur *potentiae* activae.

R. N. Ant. — Ad prob. *D. Ant.* Ideoque influere potest in linea causae *finalis* et in ordine *possibilitatis* faciendi opus, *C.* Insuper in linea causae *efficientis* et in ordine *determinationis* respectu operis extrinseci, i. e. *determinans ut fiat*, *N. Ant.* — *N. c.* — Potentia enim pertinet tota ad *vim activam* i. e. ad causam efficientem.

Explico. 1º Tota intellectus etiam practici historia intra meram clauditur operis *possibilitatem*, eo usque dum decretum voluntatis « fiat mundus » non accedat; hic *incipit*, hic finitur causalitas *effectiva*. *Sola* igitur voluntas decidit praxim, ipsaque decisio *effectio* iam est *ex parte Dei*. 2º Unde scientia simplicis intellegentiae, nonnisi accedente voluntatis decreto, practica est; etiam tunc ad opus concurrit in linea causae *finalis* solum ac dirigentis, minime in linea causae *exsequentis*. Scientia autem visionis *mere* speculativa est decretoque posterior, hinc post activam potentiam sese collocat.

983. — *Obi. V.* Immo intellectus, praecise ut *visione* indutus, confunditur cum potentia activa. Nam postquam voluntas decrevit « volo mundum », visio nascitur; haec autem seu intellectus sub hac imperat opus. Atqui tale intellectus imperium dici debet principium activum immediatum, cum vi eius solum effectus exsistat. Ergo potentia activa est intellectus practicus a voluntate motus et applicatus.

R. N. assertum; ad cuius prob. *C. M.* 1am *partem*, *N.* 2am. Profecto decretum voluntatis fuerat imperium *efficax*, sub quo nata est scientia visionis sed nihil aliud; novum intellectus imperium nec possibile (Cfr. Psych.) nec ad quidquam utile, ut nuper est ostensum. Ad intellectum deinde spectat vel potius spectavit media ad finem sapienter ordinare, ut voluntas et bene eligat, et electum producat; intellectus est *videre*, voluntatis est *inclinare* (1).

---

(1) « Qui enim imperat aliquid, *inclinat* ad faciendum; quod *voluntatis* est; ipsius enim est movere per modum agentis » (Quodl. 9, a. 12). « Et ideo *voluntati* divinae adscribitur causalitas rerum »... « Ideo *voluntas* potius dicitur causa quam scientia » (1º Dist. 45, q. 1, a. 3, c. et 1).

Articulus III.

OMNIPOTENTIA DEI

PROPOSITIO LXI. **Deus est omnipotens; cuius omnipotentiae ratio formalis respective est intellegenda, respectu nempe producibilium, et quidem omnium possibilium, non praeterea impossibilium.**

984. — *Pars* 1ª. « *Deus est omnipotens* ». *Declaratur. a*) Omnipotens est is, qui *omnia* facere potest, i. e. qui capax est faciendi non omnia solum, quae de facto in aliqua temporis differentia exsistunt, sed alia et alia, maiora et maiora, omnia in se producibilia sine fine.

b) *Gradus certitudinis.* 1) Quod Deus sit *omnipotens, de fide est;* sed sine ulteriori « omnipotentiae » determinatione. Determinando:

2) Plura, quam quae fecit, facere posse, clare in *Scripturis.*

3) Posse plura facere non accidentaliter solum sed etiam *essentialiter* perfectiora, *omnino certum.*

4) Posse plura et perfectiora *sine termino, saltem probabilius* contra Scotum et Durandum, qui necessario *sistendum* esse aiunt in aliqua *specie* perfectionis omni ex parte limitatae (ap. Mendive).

985. — *c*) *Adversarii.* Duplici ex capite denegata est Deo vera omnipotentia:

1) Quia cum Spinoza et Wicleffo affirmant *necessitatem* mundi; sane si mundus a Deo naturaliter est ortus, Deus nonnisi quae fecit, facere potuit. 2) Quia divina sapientia et iustitia *hunc* solum permittebant mundum; hinc alius, si a Deo fieret, violaret attributa Dei. (Quidam innominati apud S. Thomam.)

986. — *Prob.* Deus activa potentia infinita donatur (prop. LIX). *Atqui* ens tale omnia in se factibilia facere potens est. *Ergo* Deus est omnipotens.

Min. Si enim aliquid in se factibile daretur, ad cuius effectionem virtus potentiae non sufficeret, tunc potentia ipsa limitata esset; unde una eademque potentia infinita simulque finita esset. Ergo ens potentiae infinitae omnia facere potens est, seu est omnipotens.

987. — *Observa* 1º Nec sequitur tamen Deum posse *simul* omnia facere, quae divisim factibilia in se sunt; sed posse id, si in se non pugnet.

988. — *Observa* 2º Virtus *activa infinita* et *omnipotentia* indistincte quasi synonyma adhibentur. 1) Sane *convertibilia* sunt: quidquid est omnipotens, habet virtutem infinitam (arguitive *a posteriori*), et quidquid virtute donatur infinita, omnipotens est (arguitive *a priori*). Igitur 2) *in rigore* formaliterque *idem* non sunt, sed antecedens et consequens; i. e. virtus infinita est *ratio* ontologica omnipotentiae eaque prior; etenim ideo adest capacitas ad omnia, *quia per prius* adest virtus infinita.

989. — *Pars* 2ª. *Relativitas omnipotentiae. Declaratur.* Ratio formalis omnipotentiae, prout ab *essentia* Dei separatur, concipienda est non *absolute*

ut essentia ipsa, sed *respective;* i. e. sicut creaturae dicunt *realem* respectum *dependentiae* a creatore, ita omnipotentia a nobis est *concipienda* ut respectus activus essentiae ad opus externum; tunc solum habebitur *ratio formalis* omnipotentiae.

990. — *Probatur.* Potentia etiam activa concipi *qua talis* nequit, nisi per ordinem ad actum et obiectum suum; ob *transcendentalem* ipsius ad utrumque habitudinem. *Atqui* obiectum omnipotentiae qua talis est quidquid in se producibile seu absolute possibile est (1ª *pars*). *Ergo* omnipotentia qua talis (i. e. non qua essentia) concipienda est respective ad producibilia et quidem ad omnia in se possibilia.

Min. Potentia Dei activa *qua talis* non est Deus *prout* principium *operationis ad intra* (ubi nihil efficitur), sic enim est *essentia* seu actus ipse constitutivus Dei; sed est Deus *prout* principium operationis *ad extra* et *effectus* i. e. mundi. Per id quidem ratio formalis omnipotentiae in tuto manet.

991. — *Pars* 3ª. « Non praeterea ad impossibilia ». *Prob.* Omnipotentia est virtus potens omnia facere, quidquid scilicet in aliqua *entis* specie numerari atque essentiam imitari capax est. *Atqui* absolute impossibile nihil est, inter entia numerari aut essentiam imitari incapax. *Ergo* respectus omnipotentiae ad impossibilia non protenditur. Unde melius de his dicemus fieri non posse, quam Deum eadem facere non posse; quoties enim agentem audimus aliquid facere non posse, subintellegimus *illud* tamen in se possibile esse (Cfr. prop. XL, 1ª p.).

992. — *Scholion I. Realis potentia, sed relatio rationis* (*Ex S. Thoma*). Ratio formalis potentiae concipitur relative. Haec tamen relatio non realis sed *rationis* est. Igitur *relationi* principii, quam potentia superaddit essentiae, aliquid (in Deo) respondet reale, sed *mediate* solum, mediante nempe actu directo, cui *immediate* res ipsa respondet, et cui per actum reflexum *relatio* rationis superadditur; sicut *generi* (secundae intentioni) res *mediate* solum respondet, mediante scilicet prima intentione, cui res immediate respondet (De Pot., q. 1, a. 1, ad 10). His sane non realitas negatur potentiae, sed realitas *rationis formalis*, sub qua nos eam *concipimus*.

993. — *Scholion II. Potentia Ordinata et Potentia Absoluta.* In more est has in Deo separare potentias. *a) Ordinata* est potentia ut operans *ordinate*, iuxta sapientem scilicet volitionem, qua Deus de facto quaedam facere *decrevit* in ordine quidem sive naturali sive gratiae; v. g. Deus *de potentia ordinata* mundum in esse suo conservare, electos ad gloriam ducere potest. *b) Absoluta* est potestas operativa *in seipsa* seu *praecisive a decreto iam posito;* v. g. Deus *de potentia absoluta* alios potest creare mundos, potuit actuales reprobos elegisse, etc. Profecto ratio entis (ab alio), ad quam se extendit potentia, vel α) invenitur in iis, quae ad decretatam pertinent oeconomiam, vel β) in iis, quae alios spectant possibiles ordines (1). *Notabis:* 1º Generatim *ordinata* et *ordinaria* ut synonyma in his sonant. Plures distinguunt: *ordinaria* est quae sub lege modoque communi operatur, i. e. extra miracula; *ordinata* latius patet, quae operatur quidlibet non *inordinatum*, etiam miracula (2). Neque male tamen cum aliis (Ferrar., Valentia, Zumel...) ad *ordinariam* reduces quaecumque *de facto* fiunt, *totalem* scilicet actualis providentiae oeconomiam *cum miraculis*. 2º Obiectum potentiae *absolutae* erat quidquid non pugnat. Sed duplex sub ipso possibilium genus intrare concipitur: α) eorum, quae sine pugnantia cum attributis aliis decerni po-

(1) « Considerandum est... utrum aliquid attribuatur potentiae *secundum* se *consideratae;* tunc enim dicitur posse illud *de potentia absoluta;* vel attribuatur sibi in ordine *ad sapientiam et praescientiam et voluntatem* eius; tunc enim dicitur posse illud *de potentia ordinaria* » (3º Dist. 1, q. 1, a. 3). Cfr. Toledo in 1 p., q. 25, a. 5.

(2) Ita v. g. Ioa. a S. Th., « Curs. Theol. », T. 2, q. 25, d. 11, a. 3.

tuerunt, v. g. creatio alterius mundi; β) eorum, quae solum pugnanter cum attributo sapientiae, bonitatis, iustitiae decerni potuissent, v. g. unio hypostatica ad beluam, aeterna innocentis punitio, « Deum mentiri et huiusmodi » (S. Th.). Iam de utrisque dici solet Deum ea de potentia absoluta *posse;* de postremis tamen potentia potius videtur *condicionalis*, i. e. *posset* decernere, *si* id iuste ac sapienter decerni posset. Licet enim in se et velut in abstracto notis non constent pugnantibus, in concreto tamen eorum effectio pugnat, sunt de vero *impossibili;* igitur absolute et simpliciter Deus ea decernere *non potest* (1).

Observa ad difficultates. 1) Actum perfectiorem esse potentia, valet *de eodem* non de diversis: anima actualis perfectior possibili est; actualis intellectio possibili perfectior. Attamen anima actualis, *potentia* (remota intellectionis), perfectior est *actu* intellectivo; intellectus (potentia) perfectior intellectione. Praeterea potentia Dei est in se *actus purus*, solum relate ad externum est potentia, immo etiam sic in *actu* ex parte sui. 2) Potentia *infinita* non tenetur pertingere *a*) *infinitum* (alium Deum), productio enim et infinitum pugnant; nec *b*) creaturam omnium perfectissimam; pugnat, limitem in infinito poneret; nec *c*) omnia possibilia aut simul (pugnat) aut successive (id quoque pugnat); adde potentiam *libere* operari. — Nec inde potentia infinita aut sine obiecto *proportionato* aut *frustranea* manere dicenda est; utrumque vitatur ex hoc quod plura et plura, perfectiora et perfectiora, sine termino facere *potest*. Etiam nostra voluntas est potentia ad plurimos actus; nec *frustranea* tamen ex eo, quod non omnes *ponat; eligere* enim potest inter infinita.

CAPUT XIV.

De operibus Potentiae; in specie de opere creativo.

Articulus I.

MUNDUM CREAT

Propositio LXII. **Deus est causa efficiens mundi per creationem.**

994. — *Praenotanda.* I. *St. q.* Dicimus mundum a Deo fuisse factum per creationem; sequitur Deo vim competere creativam. Mundus nunc mundus magnus est seu tota rerum universitas corporum ac spirituum, sub nostro conspectu et ultra cadentium. Adhuc: *a*) attentio ad corpora praecipue fertur, ad materiam cosmicam; de qua sola materialismus praeoccupatur, mundum *a se* et aeternum sine conditore affirmans. *b*) Evidenter haec materia non est materia *prima*, sed secunda quam dicimus; in quolibet enim statu ac phase materia illorum primigenia *ens actu* est, corpus essentialiter completum. *c*) Nec necesse examinare confusas illas graecorum 2ae periodi (Socraticae) conceptiones de *indeterminato* primo, sive Chaos, sive μίγμα, sive aliter nominaretur, quod a se aeterne sine origine *exsistens* (ἀγένητον) deinde a Demiurgo ordinata manu conderetur (2). Si enim indeterminatum illud Platonis *dabatur* ante Demiurgi artificia, corpus erat *completum* (3); igitur erat *mundus* ut

(1) Cfr. Billot, « De Deo Uno », c. 3, § 1, p. 309; Urráb. 8, n. 232.

(2) *Xenophanes* (1ae periodi) determinate *terram* ut quid primum designavit: « E terra oriuntur omnia et in terram resolvuntur ». — *Empedocles* quatuor elementa (στοχεῖα) rerum omnium radices posuit (ῥιζώματα ἀγένητα et ἀκίνητα).

(3) Ideoque *a*) *Plato* non praeformavit materiam 1am Aristotelis; haec enim, ut incompletum ens et corpus, exsistere qua talis non poterat; Platonis autem indeterminatum, etsi « non ens » (μὴ ὄν) ab illo diceretur ac principium omnis *imperfectionis*, *sed* aliunde erat *realitas in se exsi-*

nunc sumitur. Iam pro huius praecise rudimentario primoque esse explicando quaerimus Demiurgum, hinc creatorem, non tam pro novis praesuppositi plasmationibus vulgarem figulum. *d*) Inde erues mundum non a nobis contendi e manu Dei talem, qualis conspicitur, exisse cum actuali sua dispositione; nec rem cum transformistis praecise qua talibus nunc agi (nisi simul atheismum iactent). Cum iis scilicet quaestio haec esset: sicut iuxta vos mundus ad suas sibi transformationes sufficit, sufficitne ad formationem sui in radice et in primigenio esse? Secus *creatio;* quia de *primo* esse agitur.

995. — II. *Notiones.* Suppositis notione generibusque causarum, *efficiens* ea est, cuius influere est agere; influens esse in aliud per actionem. Quia vero influxus ille bifariam exerceri posse concipitur, transmutando *praevium*, totum de *novo* efficiendo, actio causae efficientis duplex distinguitur: *Transmutativa* et *Creativa.*

a) *Transmutativa*, quae ens praevium ex uno in alium reducit statum; *substantialiter*, si termini a quo et ad quem *substantiae* sint; *accidentaliter*, si termini sint accidentia.

b) *Creativa*, quae ens primo trahit ad esse, seu facit totaliter rem nihil praevium transmutando; appellatur *creatio.* Definitur « productio rei ex nihilo sui et subiecti »; « productio rei secundum totam rei entitatem »; « productio rei secundum suam totam substantiam, nullo praesupposito » (S. Th. 1 p., q. 65, a. 3). Formula prima explicite declarat singularem naturam (negativam) termini *a quo;* secunda potius totalitatem termini *ad quem;* tertia *utrumque.*

996. — *Declaratur.* 1) « Productio rei », causatio rei per actionem, est velut *genus* proximum, in quo creatio cum aliis convenit effectionibus; reliqua sunt *differentia* specifica.

2) « Res » i. e. aut *a*) quid in se *subsistens*, sol, luna, planta..., quae subiecto non egent; aut *b*) quid *ad modum subsistentis* effici permittens; qualia sunt accidentia absoluta, quae per se subiecto egent, per accidens tamen et miraculo in se subsistunt, licet cum substantiis via ordinaria in mundum venerint; hinc *concreata* dicuntur.

3) « Ex nihilo sui et subiecti ». Fieri ex nihilo *sui* de quolibet sane effecto quadantenus dici potest, non vero fieri ex nihilo *subiecti ;* id enim in rigore differentia specifica est, vel utrumque *copulative* sumptum.

4) Duplex in his cavendus error: 1º « Ex nihilo » non significat ex nullo *efficiente;* sic enim daretur effectus sine causa. 2º In ordine *subiecti* (causae materialis), ad quod se refert « ex nihilo », nihilum non significat *materiale*, quasi chaoticam ex qua mundi materiam, sed merum *successionis* ordinem; ut cum ex aegroto fit sanus, ex tenebris lux... « ex mane fit meridies, id est *post* mane fit meridies » (S. Th. 1 p., q. 45, a. 1, ad 3). Igitur significat terminum *a quo* non *rem* physicam sed mere possibilem esse, quae tamen a nobis ut unum quid utrique termino *commune* cogitetur, a termino a quo possibilitatis in terminum ad quem actualitatis transiens, quasi *res* una unum amittens statum, alium de novo acquireret; in re tamen *idem physicum* sic transiens non dabatur. Idcirco creatio impropria solum mutatio est. *Brevi:*

---

stens. b) Pariter « materia » *Philonis*, fere nihil, potentia caeca, formarum receptiva, Deo opposita sed aeterne *a se* exsistens, plus quam purae potentiae Aristotelis, indeterminato Platonis accedit. *c*) Sic et materia *Plotini*, substratum mundi, opposita *Uni*. Unum generat Intellegentiam; haec Animam; haec emanatione materiali generat materiam malam; quae licet « quasi non ens » dicatur, sed tandem exsistit, ad instar veri subiecti, e quo res fiant.

mutatio propria est transitus *in aliquo* physico verificatus; effectio ordinaria est productio rei *ex aliquo* physico. Creatio nec est productio *ex* aliquo, nec est mutatio *in* aliquo physico.

997. — *Observa.* Definitio Wicleffi « transitus ab esse ideali seu intelligibili ad esse reale » vera, sed incompleta seu nimis *generica* est, quippe quae et aliis competat productionibus; calor, nunc a sole productus, ab esse ideali ad reale transit, nec tamen creatur. In idem offendit « egressus rei, quae fit ex virtute activa agentis » aliaeque recentes definitiones.

998. — *Prob.* Mundus vel 1) est a se, vel 2) a Deo ex praevia materia factus, vel 3) a Deo ex nullo praevio factus. *Atqui* non 1^{um} nec 2^{um}. *Ergo* 3^{um}.

Maior. Aliae hypotheses inutiles sunt: *a*) quod ab aliquo *non Deo* fuerit factus; quia et illud foret *factum*, ideoque ad *mundum* pertineret; *b*) quod a Deo emanaverit aut per dissectionem, aut per evolutionem physicam, idealem; haec enim cum Dei simplicitate manifesto pugnant, et in refutatione Pantheismi exclusa sunt (Cfr. Cosmol.).

Min. 1^{a} *pars.* Tunc: *a*) Essentialiter perfectissimus esset simpliciterque infinitus. *b*) Immutabilis prorsus, semper idem (Cfr. prop. VII, 2^{a} p.).

Min. 2^{a} *pars.* Rudior illa Cosmica materia esset aut *a se*, et tunc perfectissima et immutabilis, hinc a nullo tangibilis, nec perfectibilis; aut *ab alio*, et tunc debuit ab hoc alio *creari*, cum praevium non daretur; atque hoc creatum dicimus *mundum*. Ergo mundus factus est per *creationem* a causa prima.

999. — *Corollarium.* Ergo quod creatio possibilis sit, constat *a posteriori*, nec gratis et a priori id assumimus, ut adversarii supponunt. Conceptus ipse licet fateamur *intuitivum* non esse nec quidditativum, non ideo chimaericus est dicendus; datur medium: est *analogus*, discursu ex ordinariis productionibus derivatus. Utrum et quomodo vel a priori possit conceptus possibilitasque creationis explicari, vide apud Suarez (D. M. 20, s. 1).

1000. — *Scholion I.* Creationis ut *facti* certitudo independens est a quaestionibus de modo et ordine creandi, ab audaciis quoque Rationalismi de diebus genesiacis, de prima nebulosa, de mundi aetate, de antiquitate hominis, de prodigiis evolutionis...; haec enim in diversa currunt linea. Creatio ipsa aeque inevitabilis philosophice manet pro esse unius cellulae, unius electronis, quam pro esse equi aut solis; nec magis nebulosa, quam perfecta universi fabrica aliter consistet.

1001. — *Scholion II. Problema vere philosophicum.* Non ex fide solum, sed ex metaphysica, rerum originem quaerente, ad *creationem* ducimur. Mundus *a se* est mundus *divinizatus;* « mundus divinizatus est mundus sine Deo » (1). Igitur extra creationem « Deus » et « Moralis » nihil significant. Merito sectarismus creationem eliminat, ac in libris « vulgarizationis » (ut aiunt) scientificae chimaeram appellant (2).

1002. — *Scholion III.* Creatio dicitur nec male « productio entis *in quantum est ens*, entis *qua entis* »... quasi in creato deberetur creationi ratio solum *entis*, non v. g. corporis, viventis... Sed aliunde est productio rei « secundum *totam* sui substantiam »; « creatio est emanatio *totius esse* ab ente universali », etc. (S. Th.). Videlicet quandoque obiectum *materiale* exprimitur: *tota*, quae producitur, res; quando-

(1) Seu: Pantheismus non est nisi forma scientifica (*savante*) Atheismi. Cfr. Simon, « La Religion naturelle » (1873), p. IX.

(2) Videlicet: Hypothesis « non creationis » proclamatur verus Monismi contra christianas philosophiam ac theologiam triumphus. « Nostra *Monismi* convictio non solum... realizat summum intellectualem progressum, sed simul est finalis ruina (definitiva) trium dogmatum in metaphysica centralium: Dei, libertatis, immortalitatis » (Haeckel, « Les énigmes de l'univers », 1899, Edit. Paris 1903, p. 265).

que *formale*, seu formalitas ob quam effectio est praecise *creatio;* ideo autem creatio est, quia etiam rationem *entis* producit, quae nullibi *praecesserat*, ut eius modificatio novitatem explicare posset; cuius oppositum est de ratione operationis trasmutativae. Effectus enim *primo* ac *per se* fieri dicitur secundum rationem illam, quae in re effecta totaliter sumpta praevie non dabatur. Sed haec sume de formalitatibus *metaphysicis;* sensu enim *reali* res semper producitur tota licet diverse: *a*) per creationem ex *nullo* praesupposito; *b*) per transmutationem ex praesupposito subiecto; unde per creationem producitur *primum* ens (ex participatis); per transmutationem *novum* ens, non primum.

1003. — *Scholion IV. Materia prima creatur.* Deus creans corpus creavit *totum* corpus, i. e. et formam et materiam, *totum esse* rei. Creatorem « oportet esse causam rerum... secundum *omne* illud quod pertinet ad *esse* illorum quocumque modo. Et sic oportet etiam *materiam primam* ponere creatam ab universali causa entium » (1 p., q. 44, a. 2, c.).

a) Nempe « *esse substantiae compositae* non est tantum formae, nec tantum materiae, sed ipsius *compositi; essentia* enim est, secundum quam res dicitur *esse*. Unde oportet ut essentia, qua res denominatur *ens*, non tantum sit forma, nec tantum materia, sed *utrumque* » (De Ente et Essentia, c. 2, vers. fin.).

b) Illud a Deo fit, cuius idea est in Deo; ideam in Deo aliquid habet pro gradu sui esse, esse imperfectum, ideam imperfectam. Atqui materia prima ob suum *debile* ac *imperfectum esse*, aliquam in Deo habet ideam. Ergo et ipsa a Deo fit: « Quamvis materia prima... debile esse habeat, illud tamen est *imitatio* primi entis » (De Verit., q. 3, a. 5, ad 1). « Cum *materia prima* a Deo *sit*, oportet ideam eius aliqualiter esse in Deo. Et sicut attribuitur sibi esse, ita attribuitur sibi idea in Deo... In se vero habet *esse imperfectum*... Habet in Deo imperfectam rationem ideae » (1º Dist. 36, q. 2, a. 3, ad 2).

1004. — *Scholion V. Aristoteles.* S. Thomas enumerans antiquitatis circa creationem errores, de philosopho sic: « Tertius est error Aristotelis, qui posuit mundum a *Deo factum non esse*, sed ab aeterno fuisse... Et contra hos errores dicitur in symbolo: Factorem vel creatorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium » (Opusc. 5 de Artic. Fidei...). Pro illis quidem graecis *aeternum* seu sine initio exsistens hoc ipso erat *sine causa* producente « ἀγένητον ».

1005. — *Obi. I.* Creatio repugnat. 1) Nam aliquid esse per creationem perinde est ac effectum dari sine causa, lucem sine fonte lucis, etc. — Atqui id repugnat. 2) « Ex nihilo nihil fit ». Atqui per creationem aliquid ex nihilo fieri dicitur. Ergo repugnat.

R. ad 1) *N. M.* vel *D.* sine causa *univoca*, *C.* ne aequivoca quidem seu sine *ulla*, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Ad 2) *D. M.* Nihilo absolute exsistente nihil unquam aut fieri aut incipere esse potest, *C.* (Quia non datur effectus sine causa). Nullo exsistente subiecto, circa quod vel supra quod agens laborare possit, agens actuale nihil efficere potest, *Sd.* Agens finitum, *C.* Infinitum, *N.* vel *Sd.* ex nihilo ut ex *causa materiali* esse rei educens, *C.* Ex nihilo ut a termino *a quo negativo* aliquid ad esse totaliter factum trahens, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Inst. Effatum, sicut a graecis in genere, ita a philosopho indubie sine distinctione acceptatur. *R. D.* Et philosophus intellegit « ex nihilo » in omni causarum genere, *C.* in ordine etiam solius causae *materialis*, *Sd.* Et tunc cogitat de efficientibus *finitis*, *C.* De causa *prima*, *N.* vel *Sd.* i. e. *certo* non constat etiam de prima non agere, *C.* Constat *certo* aut etiam probabilius egisse etiam de prima, *N.*

Circa haec philosophi mens obscura fuit; in aeternitate mundi creationem ab illo excludi diceremus, at alias de causa summa sic scripsit, ut pro non cogitante in creatione sermones sine sensu videantur (1).

---

(1) Varia perpendit loca *Suarez* (D. M. 20, s. 1), necnon Hontheim, alii. Omni modo in his ut in origine animae humanae explicanda..., norma pro Christiano philosopho non sit ulla aut philosophia aut mentalitas pagana.

1006. — *Obi. II.* Creatio est productio entis *in quantum entis.* Atqui repugnat ens *qua ens* produci, quia repugnat *abstracta,* quae nullibi sunt, *produci.* Ergo creatio repugnat.

R. D. M. i. e. entis non solum qua *talis* seu quoad *novam* formam, sed entis *totaliter* et quoad *omnes* notas, quibus constat, *C.* i. e. entis quoad eius solam formalitatem entis, non productis aliis eiusdem entis formalitatibus, *N. M.* — *Ctr. m.* — *C. rat.* — *N. c.*

Nuper explicuimus. — Sane gradus metaphysici in uno ente *ratione* solum differunt, ideoque unus produci nequit quin et reliqui (re idem) producantur. Igitur non abstracta formalitas sed *tota res* creatur; adhuc ratio exstat, cur in creatione ad rationem *entis* attendamus. Albedo producitur a sole, non *qua ens,* praesupponit enim *ens subiecti,* e quo educitur.

1007. — *Obi. III.* In omni productione aliquid reducitur de potentia in actum. Atqui taiis reductio praesupponit *physicam* potentiam, subiectum, quae ad actum reducatur. Ergo creatio pugnat.

R. D. M. De potentia saltem obiectiva ad actum physicum, *C.* De potentia subiectiva ad actum, *Sd.* in transmutativa, *C.* In productione ut sic, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Similiter responde ad alia: *a*) « Effectus debet contineri in causa ». In Deo *spiritu* puro corpus non continetur: Ergo. — *R.* sive formaliter sive *eminenter,* non praecise formaliter. *b*) « Principium debet esse eiusdem naturae ac principiatum ». — *R. N.* Non *inferius* quidem, sed potest esse *superius. c*) « Quale esse tale operari ». — *R.* ut ad *b*).

1008. — *Obi. IV.* Omnis actio, in primis transiens duos exigit terminos: agens et patiens. — Est enim actio quid essentialiter relativum, relatio autem petit *duos* terminos relatos. Atqui actio creativa praecise hoc ipso quod est creativa excludit patiens. Ergo pugnat.

R. D. M. Actio transiens *ordinaria, C.* creativa, *Sd.* i. e. *praerequirit* duos terminos *praevios, N.* requirit esse duos terminos *tunc* cum ponitur actio et simul cum actione, *C.* — Rationem *D.* Actio est quid relativum, duos exigens terminos, dum *fit* et simul ac terminus passus ponitur, *C.* — *Praevie* ad actionis terminique positionem, *Sd.* In actione transmutativa, *C.* In creativa, *N. M.* — *Ctr. m.* Excludit patiens *praevium, C.* Simultanee cum actione, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Exigentia unius actionis lex non est pro *qualibet* actione, nisi ostendatur exigentiam non ex talitate actionis sed ex actione *ut sic* venire.

1009. — *Obi. V.* Necessitas creationis peti (a catholicis) consuevit ex natura Dei: aut 1) quia Deus, ens activum, agere debet, creare; aut 2) quia de ratione causae primae *absolutaeque* est ut sine ulla ab alio dependentia (etiam ut a subiecto) operetur. Atqui sic haberetur creatio *aeterna,* quam iidem theistae refugiunt. Ergo creatio non datur.

R. N. M. 1º Utique *Origenes* posuit (erronee) Deum, ut *immutabilitati* consuleret, *ab aeterno* mundorum series creantem *ex necessitate.* 2º Theoria fuit *Cousinii* (erronea adhuc) Deum, quia est causa prima et absoluta seu quia est Deus, necessario *creare.* — Sed 3º reliqui creationis *contingentiam* aliunde a posteriori derivant. Porro necessitas creationis non sequitur neque *a*) ex charactere *causae,* neque *b*) ex charactere causae *primae. a*) Causa *ut sic* petit quidem sufficientiam *virtutis* ad causandum, non vero actualem *causationem,* quae contingenter in creatis habetur. *b*) Causa *prima* absoluta petit quidem independentiam ideoque ita esse *in actu* et operatione ut aliunde determinari non debeat, non autem petit esse in operatione *ad extra* aut semper aut etiam aliquando; neque si aliquando est, petit fuisse semper; talis enim operatio perficit non Deum, sed *creaturam;* unde creatio sine mutatione Dei in tempore posita est (1).

---

(1) 1) De mente Origenis Cfr. Dict. théol. Cath., 1º col. 2136, latius col. 2067.
2) De Cousinio ap. Piccir. Disp. 3, q. 2, n. 49, 50.
3) De Larousse (similiter loquente) Cfr. « Grand Diction. universel » ad « Création ».

1010. — *Obi. VI.* Deus creando infinitam pertransisset *distantiam*, cum a *nihilo* ens infinite distet. Atqui infinitum nec finito nec infinito datur transire. Ergo mundus non est creatus.

R. N. M. vel *Dist.* proprie, *N.* Improprie, quatenus superat difficultatem, ad quod requiratur virtus *infinita*, *C.* vel *Tr.* — Rationem *D. proprie* ut inter terminos *positivos*, ad quam *solum* distantiam se refert effatum, *N.* Improprie, inquantum ens nihilo contradictorie opponitur, ideoque sub oppositione summa *sine medio*, *C.* — *Contr. m.* Non datur vere ac proprie pertransire, *C.* Non datur vincere infinitam difficultatem, *Sd.* virtuti finitae, *C.* virtuti infinitae, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1º Actio creativa non habet percursum aut transitum successivum ex una in aliam partem, qui solus damnatur transitus, sed totam rem instantanee producit. 2º Res facta a nihilo proprie non distat infinite, ut distat Deus, sed distat tantum quanta est perfectio rei, qua deficiente succedit nihilum, quin tamen perfectio creati sit unquam infinita. 3º Si distantia infinita, *latius* sumpta, sibi velit necessitatem virtutis infinitae ad actionem infinite difficilem, id concedimus, sed hoc sensu falsum est infinitam distantiam a virtute infinita transiri non posse (1).

1011. — *Scholion. De testimoniis S. Thomae.* Quae supra notabatur distinctio obiecti *materialis* et *formalis* in creatione (in re creata), clavis erit pro vero diversarum Aquinatis phrasium captu et concordia. Nempe: res creata est *una realitas*, v. g. planta; in qua tamen distingui ratione debent obiectum *materiale* et *formale creationis*. Materiale est id quod creatur: planta. Formale est *ratio illa* in re creata, ob quam res fuit praecise *creata* et non genita; et haec ratio est *ens;* creatio dat plantae *esse per se primo*, seu dat ei esse *ens*, nec solum esse tale ens *ex praesupposito* alio ente vel subiecto. Unde diverse loqui fas erit necnon velut contradictorie secundum quod locutiones ad unum vel aliud obiectum applicentur. Iam

I. De obiecto *materiali* sonant propositiones: *a*) Creatio *perfectior* actione ordinaria est, quia in creatione fit *tota res;* secus ac in transmutatione. « Creatio est perfectior et prior quam generatio et alteratio; quia terminus *ad quem* est *tota* substantia rei. Id autem, quod *intellegitur* ut terminus *a quo*, est simpliciter *non ens* » (1 p., q. 45, a. 1, ad 2). *b*) Creatur *tota res*, non solum materia prima (in corporeis): « Ad 3. dicendum quod ratio illa (obiectionis) non probat quod sola materia creetur, sed quod materia non sit nisi ex creatione. Nam creatio est productio *totius* esse, et non solum materiae » (ib., a. 4). Obiectio 3ª fuerat: Nequit dici *compositum* (rem totam) creari. Nam illud fit per *primam* emanationem (creationem) quod *supponitur* in secunda. Sed in secunda, quae est generatio (transmutatio), supponitur materia. Ergo *materia* sola creatur, non *compositum.*

II. De obiecto *formali* agunt aliae: prima rerum creatarum est ens — esse — res; non talis res, tale esse, tale ens. Sufficiat unum exemplum:

« Ad 1um dicendum, quod cum dicitur prima rerum creatarum est *esse*, ly *esse* (τό esse) non importat substantiam creatam (totam rem, quae creatur), sed importat propriam *rationem* obiecti creationis. Nam *ex eo* (ideo, ratio specifica) dicitur aliquid *creatum*, quod est *ens*, non ex eo quod est *hoc* ens; cum creatio sit emanatio *totius esse* ab ente universali, ut dictum est q. 44, a. 1. — Et est similis modus loquendi sicut si diceretur, quod primum visibile est *color;* quamvis illud quod proprie videtur sit *coloratum* » (1 p., q. 45, a. 4, ad 1) (2).

---

(1) Cfr. Palm., « Cosm. », th. 29, 2ª p. difficult.
(2) Cfr. Palmieri, « Cosmol. », th. 27, pars 4.

Articulus II.

NATURA ACTUS CREATIVI ET CREATIONIS FORMALIS

§ I. — *Doctrina verior.*

Propositio LXIII. — 1) « Actus creativus », Deum ab aeterno « volentem creaturas » denominans, *a*) exsistit solum in Deo ut volitio aeterna; *b*) formaliter immanens virtualiter transiens. — 2) Formalis autem « creatio », Deum in tempore « creatorem » denominans, *a*) exsistit simpliciter et intrinsece in sola creatura, *b*) ut huius fieri dependenter a volitione, *c*) realiter a creatura facta distinctum.

1012. — *Praenotanda. St. q.* Facto creationis contra atheos statuto, succedit controversia iam mere scholastica de modo creationem complexive intellegendi quantum ad ea, quae sive ex parte Dei, sive ex parte creaturae, ad creationem proxime spectare possint; seu quaeritur quid sit creatio in Deo, quid in creatura, et ubinam magis proprie exsistat creatio. Evidenter in his *tria* saltem interveniunt: 1) volitio creationis; 2) creatio; 3) creatura; formalius *duo* prima.

1. *Volitio creationis.* — *Virtus* creatrix sub decreto creandi, est ipsa volitio mundi, est *actus* creativus in Deo. De hoc actu, in quo contineri debebit et contineri apparebit quidquid entitative divini phaenomenon includit, agitur in 1ª parte. Unde et naturam fixare actus creativi, hoc rigore sumpti, idem erit aut idem esse apparebit ac determinare quid *divini* ac intrinseci arguat creatio in Deo, cum primo ad extra profunditur. Id autem sic determinamus, ut τῷ « volo creare » aeterno penitusque intrinseco, quod est decretum creandi deinde in tempore, nihil novi advenire permittamus intrinsecum, nec absolutum nec relativum reale; quasi diceremus: Deus ab aeterno posuit quidquid ex parte Dei ad creationem in tempore requiritur; seu Deus, quantum ex ipso est, velut creavit iam ab aeterno; quia tamen non creavit, seu quia actio creativa tandem non exstitit usque ad ortum rerum, decretum seu actus divinus aeternus dicitur *ultima* applicatio virtutis creativae *in actu primo.*

Patet etiam sub hac 1ª *parte* creationem, si aliquo modo ingredi moverique dicatur, id de ipsa, solum *active sumpta*, admitti posse.

2. *Creatio ipsa formaliter talis.* Cum creatio sit actualis rerum effectio et nascentia in *tempore*, facile perspicitur ab actu *aeterno* distincta; realiter immo et tempore ab eodem separatur. Eius naturam defigere (2ª *pars*) idem erit atque decernere creationem esse quid *soli* creaturae *intrinsecum*, Deo autem quid de novo *extrinsecus* adveniens. Quia vero 2ª *haec pars* fere movetur tota supra *passivum* fieri creaturae, hoc sensu creationem passive sumptam spectare dici potest (1).

---

(1) Inde et ad quaestionem sic propositam utrum *a*) creatio dici debeat operatio *immanens* an *transiens; b*) sit in Deo an in creatura; responsum ad utrumque sub eadem datur distinctione; *a*) *Actus* creativus est operatio immanens-transiens; creatio ipsa transiens. *b*) *Actus* creativus est in Deo solum, *creatio* in creatura solum.

1013. — *Difficultas. a*) Etiam haec, quae diximus, varie forsan a variis intelleguntur; *b*) idioma quoque recentium *non uniforme* difficultatem auget; *c*) plures in his miscentur quaestiones de actione et passione in universum, de earumdem subiecto, de mutua distinctione, etc. Conabimur ad rem ipsam fere exclusive attendere; pro solutione autem totali via iam nobis ab Aristotele, S. Thoma atque Suarezio sternitur, determinatur, quos secuti quaestiones de actione et passione (in Psychologia et Generali Metaphysica) semper uno fixe modo enodavimus. Etsi enim de transmutationibus pleraque tunc sonabant, aeque creationi inserviunt.

1014. — *Notiones.* Operatio *immanens* ea est, quae recipitur in eodem operante, a quo ponitur; quae « manet in agente » (S. Th.); etiam definitur illa, cuius nullus extra agentem terminus relinquitur, v. g. intellectio, volitio, sensatio. Per has perficitur agens, non tamen *qua* agens, sed *qua patiens;* quia agens qua agens non perficitur (Arist., S. Th.).

Operatio *transiens* ea est, quae non in agente, sed in alio adaequate distincto recipitur, « quae transit in exteriorem materiam » (S. Th.); ea videlicet, cuius terminus extra agentem relinquitur, quasi ab agente in aliud migrans: « Duplex est actio...; quaedam, quae egreditur ab agente in patiens extrinsecum... Et est perfectio et *actus patientis*, ut calefacere » (De Pot., q. 3, a. 15). Singula perpensa sunt in tractatu de vita.

Tertia quaedam hic recensenda venit operatio, « formaliter immanens virtualiter transiens ». Est ea, quae in se et quoad sui constitutiva in agente manens illudque perficiens, simul virtute gaudet ut sub ipsa fluant *ad extra* effectus, ideoque et *aliud* perficiat. Similis operatio est immanens entitative, obtinens praeterea effectus, quos operatio formaliter pureque transiens obtinet. De tali operatione extra creationem dicere non contingit. Adhuc etiam alibi de simili licet operatione cogitare. Qui brachium in vacuo spatio moveret, exerceret operationem formaliter et actu immanentem solum, simul virtualiter transeuntem; si enim aër introducitur, in aërem quoque motus brachii transibit.

Quae sicut et aliae notiones in ipsis probationibus erunt magis determinandae; *opiniones* autem earumque differentiae sive reales sive verbales clarius deinde percipientur (§ 11).

1015. — *Pars* 1ª. *De « actu creativo ». Declaratur*, simul *probatur.* Quoad *a*) In Deo potentia activa, quae est virtus creatrix Deo essentialis, in *vi decreti liberi* determinata est ad faciendum mundum, seu est in actualitate virtutis respectu mundi praesentis. — *Ergo* illa virtus in actu et in actuali respicientia ad hunc mundum, seu in actuali contingenter terminatione activa ad mundum, est « actus creativus » huius mundi. Aliunde potentia ad extra operativa, ex parte sui ab aeterno in actu posita seu ultimo applicata, est *volitio ipsa* mundi: « Eius *velle* est eius agere » (prop. LX). Igitur volitio mundi est ipse actus creativus Dei. *Atqui* evidenter volitio mundi exsistit *solum in Deo* estque operatio aeterna volitiva, quae ut forma adaequate interna Deum ab aeterno formaliter denominat « volentem creaturas ». *Ergo* idem dicendum de actu creativo; seu: Ergo actus creativus Deum ab aeterno denominans « *volentem res* », exsistit in *Deo solum*, ut operatio aeterna mundi volitiva.

Quoad *b*) Actus volitivus adaequatus Dei est formaliter *immanens:* 1º inquantum est essentialiter amor *sui*, immo prout talis est *essentia* ipsa volitionis et Dei, immanens solum; hinc perfectio *solius* operantis, Dei. 2º Est

adhuc formaliter immanens, inquantum est *amor mundi*, quia etiam prout talis est volitio et amor, ideoque immanens. *Atqui* prout talis est simul ipsa *potentia in actu*, seu *actus creativus* factivus termini *extrinseci* (prop. LX). *Ergo* actus creativus Dei est operatio formaliter immanens et virtualiter transiens.

Videlicet: in hac operatione « volo mundum », etiam sumpta pro intrinseca terminatione amoris *contingente* ad mundum, includitur operatio duplicis attributi: *voluntatis*, in qua est amor mundi *immanens*, et *potentiae*, in qua est actuatio ad externum operari *transeunter*.

Operatio autem « volo mundum » praeferenter nunc consideratur 2° modo, prout operatio est activae *potentiae;* prout talis enim est formaliter actus *creativus;* immo prout talis dici posset simpliciter *transiens*, non minus quam actuatio calefactiva Solis et ex parte Solis (1). Iam

In operatione simpliciter transeunte, v. g. calefaciendi, pingendi, duo rursus distincte manifestantur: *a*) ex parte *agentis* operatio *principiative*, i. e. virtus in actu posita « actualitas virtutis » [S. Th. (2)]; est virtus brachii in motu (in vacuo), Sol irradians calorem; *b*) ex parte *patientis* operatio terminative seu effectus, imago in tabula, calor in aqua, motus in aëre. Utrumque *qualitas* est, ideoque in *neutro* consistere poterit *actio* formaliter talis prout *speciale* est praedicamentum « actionis »; haec est ipsum fieri picturae dependenter a penicillo et manu, est ipsum calefieri aquae dependenter a Sole; est aut saltem concipitur ordinarie ut quid medium inter virtutem in actu et effectum.

Ergo *tria* in phaenomeno utcumque distincta interveniunt: 1) Actio *principiative*, « actualitas virtutis »; est *virtus* in actuali motu ex parte *agentis* (qualitas). 2) Actio *terminative;* est *effectus* productus. 3) Actio *formaliter* (novum *praedicamentum*, « actio »); est *fieri ipsum* effectus, *via* ad rem factam: « fieri est via ad esse ». Per 1um causa est determinata et in actu *ex parte sui* sed non in actione formali; unde per 1um (sibi intrinsecum) denominatur actu *determinata* ad calefactionem sed non actu *calefaciens;* per 3um et 2um sibi extrinseca denominatur actu *calefaciens*, in actuali *actione* calefactionis.

1016. — *Pars* 2a. *De creatione ipsa formali. St. q.* Capitalis de hoc quaestio: creatio formalis *ubinam proprie* sit: in *Deo* an in *creatura*. Secundaria: *quid* sit in creatura.

I. *Praevie admittendum. Creatio* est quaedam actio; et sicut actio formalis concipi solet ut quid medium inter causam seu actionem principiative et effectum seu actionem terminative, sic et creatio formalis concipi potest ut quid *medium* inter creationem *principiative* (« actum creativum », « volo mundum ») et creationem *terminative* (mundum, creaturam).

Unde *creatio* ipsa non est idem ac *virtus* creatrix ultimo parata, non est *actualis volitio* mundi; cum igitur ostenderimus hanc volitionem esse *actum creativum*, *creatio* ipsa non est confundenda cum *actu creativo* (3); ab hoc

---

(1) Iuxta eos, qui potentiam a voluntate formaliter separant, actus creativus erit non in rigore « *volo* mundum », sed actus quasi sequens in *potentia activa*, qui erit simpliciter *transiens*. Exinde et satisfit his, qui cum H. Pinard exoptant theoriam Aristotelis simpliciter acceptari cum suis principiis, quae separant bene *actionem* a *principio* actionis, et quae applicata (aiunt) creationi rem totam redderent clariorem, necnon eliminarent formulam nihil solventem « formaliter immanens, virtualiter transiens » (Cfr. Dict. théol. cath. Vacant, « Création », col. 2135).

(2) 1° c. G., c. 9; 1 p., q. 54, a. 1.

(3) « Ad primum dicimus, creationem *actionem* non esse *velle* Dei nec intellegere; haec enim sunt *principia* creandi, *non ipsa creatio* » (Vazquez, in 1, d. 173, c. 4).

enim Deus *ab aeterno* licet contingenter denominatur « volens mundum », seu « volens creationem mundi »; illa Deum *in tempore* denominat « *creatorem* »; prior nempe denominatio, cum *intrinseca* sit, actualem mundum non exigit; posterior, quae est *extrinseca*, illum exigit.

Saltem haec pauca uniformiter ab omnibus iis intellegantur oportet, qui de praesenti quaesito contendere praesumant: utrum creatio formalis in Deo sit an in creatura.

1017. — II. *Nostra solutio* 2ae partis declaratur. Brevi est Aristotelica actionis passionisque doctrina creationi applicata. — Actio non in agente sed in passo est. Hinc explicatius:

1. *Creatio* est aliquid in creatura, non in Deo. *a*) Creatio *concrete* sumpta est ipsa creatura sub influxu decreti in tempore nascens. *b*) Creatio *formaliter* sumpta, seu creatio qua *actio formalis*, est ipsum creaturae in tempore nasci sub decreto seu sub actu creativo, qui quidem non influit per motum, i. e. *successive* quidpiam alterando, sed *momentanee totum* esse de novo producendo. *c*) Evidenter creatio, sic intellecta, actio est *simpliciter* solumque *transiens* i. e. a Deo in mundum, hinc *temporanea* nec aeterna. De hac *formali creatione* dicimus quod non in Deo, sed *in sola creatura* exsistat (1).

2. Quid sit deinde creatio formalis, et quomodo exprimendum fieri creativum, seu illud quod in ipsa creatura constituit formalitatem creationis; utrum mera *relatio* ad creatorem exactius quam *modalitas dependentiae* sit dicenda, quaestio secundaria est principalem determinans, nec uniformiter ab illis etiam soluta, qui *in principaliori* nobiscum sentiunt.

Pro cuius veriori magisque peripatetica determinatione 2a pars sub *c*) statuit illud τό fieri mundi dependenter a vi creatrice esse aliquid a termino creato *realiter distinctum;* esse aliquid in quo deinde *relatio* ipsa a fundamento indistincta fundetur.

Nec aliter rem explicarunt Suarez (2), Molina, Arriaga, Losada, etc. necnon hodierni Piccirelli (3), Beraza (4)..., qui omnes aliique actionem creativam ad instar reliquarum constitui merito censent per dependentiam effectus a causa, *realiter* ab effectu distinctam: verbo applicant creationi doctrinam Philosophi circa actionem (5).

Alii nec pauci partim solum nobiscum conveniunt, i. e. in puncto capitali; differunt quoad *c*). Nempe post Vazquezium (6) Mendive, Pesch (Tilm.) aliique, illud reponunt in *mera relatione* creaturae ad Deum; omni modo excludunt cum Valentia et Toledo entitatem *modalem.*

Nec aliud forsan intendebant veteres illi scholastici (ap. Suarez) et Nominales, pro quibus creatio erat terminus ipse cum *respectu ad Deum*, i. e. prout actu a Deo fluens.

---

(1) *Mendive*, posita thesi « Creatio proprie dicta est aliquid non in Deo sed in creatura exsistens », notat D. Thomam *apparenter* solum aliter loqui, dum ait creationem *active* sumptam esse substantiam Dei; intellegit enim creationem *principiative* sumptam, non *formaliter* (Theod. p. 119).

Etiam *Losada:* « Cum autem D. Thomas negat Deum agere vel creare per actionem a se distinctam, non loquitur de creatione *formali* et physica, hanc enim ab actu divinae voluntatis expresse distinguit (1° c. G., c. 79) ut etiam a termino producto (q. 3, de Pot., a. 3)... Solum ergo cum Deo identificat creationem *radicalem* seu pure *intentionalem*, quam (ib.) vocat ,, creationem activam '', i. e., ex parte virtutis activae se tenentem, tamquam illius applicationem ultimam in actu primo » (Phys. Tr. 3, c. 3, n. 9).

(2) D. M. 20, l. 5.

(3) « De Deo », n. 59.

(4) « De Deo Creante », nn. 26-36; ubi plenus sententiarum conspectus cum praecipuis difficultatum capitibus traditur.

(5) Quam accurate collectam, perpensam cfr. apud Delmas, S.I., « Ontologia », nn. 498-503.

(6) In 1 p., d. 173, c. 4.

1018. — *Prob.* 2ª *pars* quoad *a*). 1º Nemo negat Deum *in tempore* creasse, atque ex hac praecise creationis temporaneitate appellationes *Creatoris*, Gubernatoris, Domini, in tempore solum Deo accesisse. Atqui si *formalis* creatio quid Deo *intrinsecum* esset, Deus (intrinsece *immutabilis*) *ab aeterno* Creator fuisset. Ergo creatio ipsa formaliter talis non in Deo, sed in creatura sola exsistit.

Min. Tunc enim creatio formalis cum decreto seu *volitione* mundi confunderetur, cum alius actus aut forma permitti nequeat. Atqui volitio mundi aeterna est (ex 1ª *parte*). Ergo et creatio foret aeterna, et Deus ab aeterno *Creator*.

Ad mai. Creatio in linea *potentiae* reperitur (patet); potentia autem est volitio ipsa (prop. LX). Ergo creatio esset volitio, non alius quivis actus.

2º Insuper: creatio (*formalis*) est *effectio* ipsa rei *in actu secundo*, sicut calefactio est *actualis* nascentia caloris in aqua sub Sole, igne... Ergo si creatio est intrinseca Deo, *effectio* mundi semper data est; hinc creatio mundi ab aeterno esset, mundus autem cum suo fieri aeternus et ipse. *Conseq.* Immutabilitas Dei nihil Deo intrinsecum de novo advenire permittit.

Verbo: Tunc Deus, sicut ab aeterno est « *volens* mundum » quia habet in se volitionem mundi, sic ab aeterno esset *creans* mundum (creator), quia haberet in se creationem mundi. Atqui non ab aeterno, sed in tempore est creans et creator. Ergo creatio non est quid in Deo intrinsecus exsistens.

3º Creare, producere, est effectum actu extra virtutem causae in rerum natura physice ponere, dicitque effectum actu exsistere. Ergo creationem dari effectum autem non dari pugnat. Seu: licet cognoscere et amare « volo mundum » ab aeterno esse actuale mundi non inferant, cum sint tendentiae mere *intentionales*, at non sic creare et creatio, quae actu physice producere dicunt. Ergo si creatio est ipsa Dei volitio aut aliud Deo intrinsecum, Deus est ab aeterno creans.

1019. — *Prob.* 2ª *pars* quoad *b*). Creatio formaliter talis est realis effectio rei ex nihilo in tempore; unde aliquid est alicubi in tempore exsistens. Atqui non in Deo [ex *a*)]. — Ergo in re facta (non datur medium). *Atqui* in ea aliud esse nequit quam eius fieri eiusque fluere sub vi creatrice influente, quae est actus creativus. *Ergo* creatio formalis exsistit in sola creatura ut eius fieri dependenter a vi creatrice.

Mai. Omnis realis actio (transiens) est realis productio alicuius. Ergo et creatio; in tempore, tunc enim nec prius denominat Deum *creatorem;* ergo ponitur in tempore ut quid reale, quia solum in tempore fundat denominationem realem.

Min. 2ª Realis actio in genere, quia est effectio, nihil est nisi fieri rei et nasci sub influxu causae. — Ergo nec creatio potest aliud esse.

1020. — *Prob.* 2ª *pars* quoad *c*). Terminus creationis, creatura determinata, ab *hac*, sub qua nascitur, creatione realiter separabilis est. Ergo creatio a creatura creata *realiter distinguitur*.

Ant. De se enim illa creatura indifferens est, seu essentialiter non obstans, ut et aliis actionibus, atque etiam ab aliis causis *eadem* producatur. Theologi concedunt angelum A iam creatum posse a Deo destrui ac rursus *eumdem A* de novo creari. Atqui *secunda creatio* evidenter distincta est a prima, quia *nova* actio est, *nova* effectio creaturae, angeli A. Ergo prima *creatio* realiter separata fuit ab angelo A, ideoque realiter ab angelo A distinguebatur. Idem dic de Sole creato, de Mundo.

Si contra probationem ais: Etiam mera *relatio* realis realiter a fundamento separari potest; eidem fundamento *nova* realis relatio accedere potest; in neutro tamen casu ob neutram rationem admittimus relationem *a re fundamento realiter distingui*. Ergo idem poterit de creatione dici respectu rei creatae; ideoque in nostris saltem de relatione doctrinis probatio ruit.

Respondeo vim probationis exinde non frangi. Sane quoties *relatio* realis a fundamento *separatur* aut *nova* accedit, aliqua *novitas* entitativa *alicubi* verificatur, atque ideo solum explicari potest apparitio *novae*, disparitio veteris relationis in fundamento; perpende exempla parietis albi... Igitur cum *nova creatio* terminatur ad angelum A, *alicubi* novitas *entitativa* contigerit necesse est, vi cuius angelus nova induitur relatione sine ulla in angelo ipso entitativa novitate (ut obiciens intendit) seu sine aliquo realiter a re creata distincto. Atqui novitas entitativa non contigerat in Deo entitative immutabili. Ergo contigerat in ipsa *re creata;* nec enim licet tertium excogitare. Ergo creatio a re creata *realiter* distinguitur; unde non in *mera* relatione consistit. Brevi: creatio nova *novitatem* fert entitativam. Atqui non in Deo. Ergo in creatura. Ergo creatio realiter a creatura distinguitur in creatura ipsa.

1021. — *Scholion. Natura creationis; eius contentum; eius distinctio a termino.* — 1º Creatio est *actio*, mira quidem ac instantanea, *praedicamentalis* tamen (1), cum huius essentialia praedicata verificet omnia, ut ex dictis facile colligitur. Ea igitur constat realitate, qua aliae actiones constant, eaque distinctione a termino distinguitur, qua actionem de genere praedicamenti a suo novimus termino distingui, distinctione scilicet *reali*, non quidem absoluta (inter res absolutas), sed minus intensa, quae dici poterit sive *modalis*, inter rem et modum eius; sive *realis minor* (2). Hinc creatio formalis (in sola creatura exsistens) non aliud est quam *a*) *dependentia* creaturae quoad fieri a creatore, *realem* ad hunc relationem importans, seu *b*) entitas *modalis cum relatione*, quam fundat; seu (si placet) *c*) entitas *actionis* praedicamentalis, relationem fundans ad causam, quae *totum* esse dat.

2º Igitur creatio non est mera *relatio*, sed complexus ex *entitate* modali et *relatione;* cum autem modalis haec entitas (entitas actionis) nonnisi *respectus* quidam dependentiae sit, totus iam *complexus* appellari quoque poterit *relativum*.

3º Sed sive de dependentia sive de *relatione* quaeritur utrum *transcendentalis* sit an praedicamentalis; qui solam admittunt *relationem* idipsum quaerunt. In nostris circa relationem doctrinis (Met. Gen.), relatio sortem sequitur fundamenti (*realiter* cum ipsa identici); unde nunc dependentia et relatio pro *uno* accipi possunt. Iam ad casum *a*) *Scotus* voluit relationem hanc esse *transcendentalem* seu essentialem; *b*) *S. Thomas praedicamentalem;* sic iam fere omnes.

Resp. Haec relatio *huius* creationis (et *haec* actualis dependentia) est simpliciter *praedicamentalis*, i. e. non essentialis; adhuc dependentia creaturae a Deo, quam omnes praedicamus et admittimus, *essentialis* est.

4º Ne pugnantia iam dicamus: postrema phrasis dupliciter sonat: *a*) Quatenus *haec* dependentia, quae ex *hac* creatione oritur, essentialis est huic creaturae, consequenter et *haec* relatio, quam *nunc* habet, sit transcendentalis (idem ac *essentia* eius); sic sumpta phrasis *falsa* est; dependentia *haec* creaturae a Deo non est essentialis. Iam cum sub *hac* creatione quaeratur de *relatione hac*, quae *actu* exstitit, et pariter de dependentia hac utrum transcendentalis seu essentialis sit, apparet *negative* esse respondendum. Est igitur *praedicamentalis* seu *accidentalis*, quid ab essentia distinctum. *b*) Quatenus creatura ex propria entis participati *natura exigit* ac *eget* dependere (si sit) per *aliquam* dependentiam a Deo vel etiam ab alia creatura

---

(1) Opponitur *transcendentali;* haec *non distinguitur* realiter a termino, v. g. intellectione et volitione Dei. Plures idipsum de nostra intellectione contendebant (in Psych.): esse qualitatem fluentem sine actione; quod tamen reiecimus.

(2) Qui modos non amant, etiam hic distinctionem *modalem* refugient. At in philosophia modis reluctante plura manebunt *insoluta* circa uniones sive substantiales sive accidentales, etc.

(saltem inadaequate). — Unde et *relatio* dependentiae sic intellecta erit *transcendentalis*, essentia ipsa egena. Hinc *indigentia* ipsa dependentiae est essentialis, transcendentalis; quod sufficit ut dependentia et *relatio* dependentiae dicatur essentialis, *transcendentalis*, essentia ipsa creaturae, etc. Sed dependentiae *singulae, haec* creatio et haec alia... erunt *accidentales*, praedicamentales, separabiles. — De his erat quaestio. Ergo dependentia tota creationis concreta cum sua relatione dicenda est *praedicamentalis*.

5º Si demum quaeratur: ut quid *complexus* ex entitate modali et relatione, cum *relatio sola* satis explicet id, quod creatio creaturae superaddit.

Resp. a) Praedicamentum « actio » non est praedicamentum « relatio » in *decem* Aristotelis praedicamentis; et creationem in creatura vidimus importare actionem *praedicamentalem. b*) Creatio formalis in creatura *realiter a creatura* distinguitur [2ª *pars, c*)]; quae tamen creatura in hypothesi purae relationis deberet hanc *fundare* immediate. Atqui nulla relatio distinguitur realiter a fundamento (Met. Gen.). Ergo creatio importat *aliud* in quo relatio fundetur (1). *c*) Si pugnat actionem, quae ut *media* concipitur inter causam et effectum effectuque *prior*, esse adhuc modalem effectus entitatem immo eius *accidens*, difficultas crescit pro his, quibus est *relatio* termini (effectus) ad Deum; relatio enim clarius petit fundamentum se *prius;* solvitur infra (n. **1030**).

§ II. — *Sententiae variae exponuntur.*

1022. — 1ª *Sententia*, sat nunc in usu, *creationem* in *Deo solo* ponit, variis utens formulis:

Formula 1ª. « *Creatio* est actus formaliter immanens, virtualiter transiens ». — Prout iacet, non dura solum, sed omnino *vaga* est; non distinguit inter active et passive, inter principiative et formaliter; unde melius apud alios:

Formula 2ª. « *Actus* creativus est actus formaliter quidem immanens, virtualiter vero transiens » (Palm., Cosm., th. 30); « Statuimus creationem *activam* esse actum formaliter...»; « *Actum* creantem esse formaliter in Deo » (id. ib.). — Bene quidem, sed incomplete. Etenim *a*) Non dicit quid sit creatio *passive*, quid sit creatio *formaliter;* utrum *actum* creativum identificet necne cum *creatione*. Unde et *b*) « *Actus* creativus » de se ambigue sonat, nisi aliud addatur: estne *creatio* ut in formula 1ª, an principium seu *virtus* creativa, quae quia in Deo est actus, dicitur *actus* creativus, sed non *creatio?* Secundo modo intellectus, ut videtur Palmieri intellexisse, actus creativus constituebat partem 1ªm nostrae propositionis. Sed rem totam ille ita enucleat, ut creationem in rebus factis agnoscere nolit.

Auctores. Huic assentiuntur opinioni: *a*) neo-thomistae (actum creativum a creatione non secernentes); *b*) Palmieri (2), Tongiorgi, Van der Aa, Lahousse...; *c*) similiter Mazzella (3), Janssens, O. S. B. (4)... Eamdem iam penitius tractat Huarte, S. I. (5).

---

(1) Hinc quotquot non reali distinctioni adhaerent, hic tamen de *sola* relatione cogitant: 1) dicere tenentur, creationem passive sumptam a creatura *solum ratione differre*. 2) In exemplo Angeli bis creati aegre poterunt conciliare *dualitatem realem* creationum: quae sunt eadem (realiter) uni tertio (Angelo) sunt *realiter idem* inter se. Nec magis in creatione *active* sumpta ex parte Dei; in eo enim *unicus* exsistit actus.

(2) l. c. et « De Deo Creante[1] », p. 139.

(3) « De Deo Creante[1] », p. 22.

(4) « De Deo Creante[1] », p. 139.

(5) « De Deo Creante... » (ad usum privatum), nn. 21-30 — Romae, 1917.

1023. — *Iudicatur.* Ideo praesertim displicet, quia « creatio » ponitur in Deo *solo* exsistens *ab aeterno* ut actus, immo ut operatio, ut actio *formaliter* immanens. Quae sane probari nequeunt.

Nam 1) *Creatio* vere definitur *productio* rei..., emanatio totius rei, etc. Quae productio in *tempore solum* verificatur, cum tamen (pro illis) creatio *ab aeterno* exsistat in Deo. Ponitur aliquid *sine sua* essentia et definitione exsistens; quasi diceres: *calefactio* manus exsistit in *Sole*, quin manus calefiat, immo antequam manus *exsistat;* pictio exsistit quin extra pictorem quidquam adsit; brachium se movens in vacuo habet *motionem* (motum) *aëris* sine aëre.

2) *Creatio* (aiunt) est ipsa *volitio* aeterna; adhuc quod ab aeterno Deum non denominet *creatorem* explicatur ob defectum *termini* extrinseci. *R.* Denominare tamen deberet. Data enim forma *totali*, datur effectus formalis; si igitur volitio ipsa est iam creatio, sicut denominat *volentem* ita creatorem seu *creantem*, utrumque aeque intrinsecus, cum forma (in hypothesi) *adaequate intrinseca* sit.

3) Creatio *formaliter immanens* pugnat; tunc enim formale constitutivum atque essentia creationis esset operatio ad intra, *immanens*, esset *intellectio*, *volitio*. Ergo non solum attributa absoluta cum relativis immiscerentur, sed vel definitio creationis esset mutanda in hanc: creatio est divina volitio virtutem continens producendi mundum. At inepte; quaeque enim res definitur per essentiam ac *formale sui constitutivum*, non per aliquid *virtualiter* aut arguitive in illa essentia contentum; quasi definirem: calefactio est virtus calefactiva capax producendi calorem.

Verbo: *vis* creativa cum sua confunditur *actione;* ceterum ea *vis*, cum in Deo non potentia sed actus sit, recte nuncupabitur *actus* creativus (quasi virtus creativa ad creationem determinata), perperam autem *actio creativa* et *creatio*.

1024. — 2ª *Sententia.* Praecedenti opposita: creatio non in Deo sed in *termino* est. Hinc *a*) creationem simpliciter totamque *extra Deum* ponit, nec amat formulam « formaliter immanens virtualiter transiens ». *b*) Etiam *active sumptam* creationem non in Deo ponit, seu etiam tunc creationem non considerat *ut principiative* (sicut alii), sed ut *formaliter* seu ut vere talem et in creatura. *c*) In creatura autem praeter creaturam eiusque dependentiam admittit nihil; dependentiam ipsam non entitatem modalem, sed *meram vult esse relationem*. *d*) In hac tandem sententia D. Thomam fuisse censet. *Auctores:* Valentia, Vazquez, Toledo..., recentius aperteque Mendive (1).

R. In *a*) fere nobiscum convenit, in reliquis magis differt, ut per se patet.

1025. — 3ª *Sententia*, activam a passiva creatione distinguens, utramque aliorum fere modo explicans, satis tamen non determinat quid sit formaliter et ubinam *creatio*, passiva creatio quid sit in creatura. Eius formula « Creatio active sumpta est actio formaliter immanens et virtualiter transiens; passive autem non est nisi relatio quaedam ad creatorem ut ad principium » (2), cum

---

(1) In Theod., n. 212...: 1) « Creatio proprie dicta est aliquid, non in Deo, sed in creatura exsistens »; 2) « Non est entitas aliqua modaliter seu ex natura rei a suo termino distincta »; 3) « Active sumpta est ipsa creatura ut a Deo procedens, passive... est relatio dependentiae, quam habet creatura ad Deum ut effectus ad causam ».

(2) Urráb. paulo aliter: « Creatio videtur esse ipsa divina *essentia* prout relationem *importans* ad effectum de novo fluentem ac dependentem a Deo » (Cosm., p. 215). — Haec ait de creatione *active* sumpta; *passive* est dependentia a Deo, relationem realem importans rei creatae ad Deum (ib., p. 217).

Idem S. Thomas: « Creatio active significata significat actionem *divinam*, quae est eius essentia, cum relatione ad creaturam » (1 p., q, 45, a. 3, ad 1).

recta videatur, plenior tamen foret, si adderet in *quanam* ex his partibus creatio *formalis* reperiatur, illudque ostenderet, prout omnes in lite dirimenda exigere possunt.

§ III. — *Difficultates enodantur.*

1026. — *Obi. I. Actus creativus* et *creatio formalis* idem prorsus significare videntur. Atqui primum in Deo esse conceditur. Ergo et altera in Deo est.

R. N. M. — vel *D.* i. e. possent vi formae inque rebus aliis idem significare, *C.* In casu praesenti, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Si in casu idem significarent, *C.* secus, *N. cons.*

Explico. « Actus » nunc non idem est atque « actio », sed idem ac *potentia* Dei seu principium actionis. Hoc sane principium in actu est, hinc *actus* (semper primus), nec ideo tamen operatio seu actio (actus secundus). Videlicet: pro operatione immanente principium est etiam operatio, est actuale « velle » et « volitio » (actus secundus), minime autem pro transeuntibus; nec enim est *creatio*, nec *conservatio*, nec *concursus*. Quoad haec est principium ultimo dispositum et determinatum ut eius influxus alibi recipiatur; tunc quidem cum eius influxus alibi recipiatur, erit praeterea *actio*, sed non prius. Brachium in vacuo se movens, erat in actu sui motus; supponamus illud essentialiter simplex inque actu esse. Tunc sane brachium *actus est* motivus sui et aliorum; atque licet respectu operationis immanentis actus simulque operatio sit, respectu vero motionis *in aërem* transeuntis est *actus* solum motivus aëris, non insuper *operatio transiens* praedicamentalis. Cum deinde ingrediens aër a brachio impassibili movetur, *tunc primo* datur (sed in *aëre*) *motio* aëris, operatio transiens; nova quidem perfectio intrinseca in *aëre tantum* recipitur, pro brachio tamen ipso *nova* tunc exsurgit *denominatio realis* « moventis aërem »; tunc primo brachium est « *movens* aërem », non *antea*. — Antea erat « actus motivus formaliter immanens virtualiter transiens »; nunc est etiam formaliter *in actione* transeunte; etsi nunquam *est* actio ipsa, quae solum in *passo recipitur* et termino, in *aëre* moto.

Id omnino intellegimus de actu creativo, de actu creante, de actione ipsa creationis, et de creatura creata.

1027. — *Obi. II.* Intellegi nequit quid haec actio (creatio) in creatura sit; vel enim est aliquid creatum, et hoc est *terminus*, vel non est aliquid creatum, et tunc erit nihil (Palm., Cosm., th. 30, p. 218).

R. Do tertium; est aliquid creatum *ut quo*, non *ut quod*. Actio non fit, sed est id *quo* aliud (terminus) fit. Hinc creatio proprie non creatur, sed est *quo* terminus creatur. Sicut difficultas sic solutio de qualibet valere possunt *actione*. Iam:

a) *Aristoteles* in XI Metaph. c. 12, varie ostendit actionem omnem non *ad se* sed ad *terminum* terminari, seu non dari actionem actionis, generationem generationis; non datur (ait) motus ad motum (1).

b) In commentario autem haec *S. Thomas:* « Ostendit (Arist.) quod neque *in* agere neque *in* pati sit motus » (Lect. 12), et explicat quomodo mutatio et actio non est actionis et *ad actionem*, sed *ad terminum* eius; quia agere et pati est praecise motus ipse.

c) *Silv. Maurus*, textum egregie explanans, in quo philosophus actionem ut quid inter agens et rem factam *medium* ponit (2), sic: « *Mediat* habitio habitus. Rursus sicut faciens facit factum media factione, sed *factionem non facit* alia factione media, secus procederetur in infinitum... ». Solum igitur *lato* sensu dici posset quod actio fiat *seipsa*, i. e. nullo modo per *aliam* actionem; sed vel id improprie, quia proprie non fit, sed est *quo* aliud fit.

---

(1) Immo Lotze, anti-scholasticus, contra phaenomenistas Titchener, James, etc. *experientiam* perpetuo iactantes, observat ex ipsa experientia constare quod praeter motum in phaenomenis exsistat et subiectum, seu res permanens mota... et fiant res.

(2) « Cum hoc (agens) quidem *efficit*, illud vero *fit* (effectus), est *effectio* media »... « Ita etiam inter habentem vestes et vestes habitas est medius habitus (habitio) » (Arist. V Metaph., c. 20).

d) Quo pariter *lato* sensu acceptat *Aquinas* creationem esse *creaturam* seu creatam, concreatam, *eadem* tamen creatione, prohibens ut procedatur in infinitum quaeraturque alia creatio prioris creationis. « Nulla enim relatio refertur alia relatione, ut Avicenna dicit... » (1).

1028. — *Obi. III* (Inst. Palm. ibid.). Illa actio in creatura esset aut *relatio*, aut *modus* rei (factae) distinctus a creatura. Atqui neutrum: Nam *a*) « relatio supponit actionem, supponit rem factam... *b*) Modus, quidquid sit, deberet esse creatus vel concreatus, h. e. terminus creationis ». Ergo nequit admitti.

R. C. M. Licet non quoad membrorum *oppositionem*, potest enim creatio utrumque aut esse aut dicere. — *N. m.* saltem quoad 2am partem. — Ad prob. *R.* Transeat pars 1a, i. e. concedo quod creatio (relatio) tunc, si praesupponere teneretur *rem factam* (effectum), suam respectu *effectus* prioritatem non salvaret; id enim evidens est. Sed si satis sit ut praesupponat *actionem*, in qua profecto *immediate* fundatur (non in effectu), tunc sicut actio ipsa ita etiam relatio (creatio) suam respectu effectus prioritatem salvare poterit. Omni modo non nostra per haec impetitur sententia, sed aliorum.

Probationem 2ae partis Minoris *N.* Modus enim proprie nec creatur nec concreatur, sed est *creatio* termini; *solus* proprie creatur *terminus* (Cfr. *Obi. II*).

1029. — *Obi. IV.* Si formalis creatio esset quid creaturae soli intrinsecum, seu mera τοῦ sui fieri dependentia a Deo, tunc creationis ratio consisteret in mero τό fluere creaturae a Deo. Atqui de ratione actionis est ut sit complementum causae per *novam* eius actualitatem. Ergo creatio male sic explicatur.

R. C. M. de intrinsecis — *N. m.* vel *D. m.* Complementum *intrinsecum* et nova actualitas causae per formam *intrinsecam* tunc accedentem causae, *N.* Extrinsecum verae *denominationis*, qua in actu secundo actionis posita dicatur causa et sit, *C. m.* — *D. p. c.* i. e. non plene quoad intrinsecum et extrinsecum, quod nec intendebatur, *C.* Nec quoad *intrinsecum*, quod solum erat in quaestione, *N. c.*

Revera sicut aliae actiones praedicamentales etiam creatio in hoc solo consistit et consistere potest. Nulla causa per talem actionem actuanda est nec actuari de novo potest per receptionem *novae internae* formae. « Agens qua agens non perficitur » — « Solum *exercet* suam actualitatem; hoc autem exercere non est se actuare, sed *aliud* (passum) in actum reducere, quod Deo etiam convenit » (2). — Considera Solem, dum actu calefacit manum; brachium (ut in *Obi. I*) dum movet aërem; non completur nec actuatur tunc *in se* interneque de novo, sed actuat *aliud;* ex quo ipsa etiam causa *nominatur* in actu secundo operans, de novo actuatur in *extrinseca* denominatione.

1030. — *Obi. V.* Creatio in creatura, saltem ut quid ab ea realiter distinctum utque modus positivus, admitti nequit. Profecto actio tamquam aliquid *medium* concipitur causam inter et effectum, ideoque effectum praecedens. Atqui aliunde modus in se non subsistit, subiectum autem adhuc non est. Ergo creatio sic intellecta pugnat.

R. D. M. Praecedens prout *ab agente* fluens, i. e. ut a *movente* procedens, *C.* Ut in *moto* (passo), *Sd.* Ex conceptu actionis ut sic, *N.* Actionis *successive* et per motum *proprium* exsistentis in *moto*, *Sd.* Prout in una parte τοῦ fieri exsistens, ad alias accedit partes eiusdem fieri successivi, *C.* Ex conceptu actionis proque toto simul effectu consideratae, *N. M.* — *Ctr. m.* Et subiectum adhuc non est nec opus est ut sit ante, *C.* Opus est ut sit ante, *Sd.* Si ex eius potentia educendus esset modus, *C.* Aliter, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1° Sicut accidentia e potentia subiecti educta, similiter modi ex eadem velut educti vel fluentes e subiecto, v. g. sessio a, b, c..., evidenter praesupponunt

---

(1) De Pot., q. 3, a. 3, ad 2.

(2) Suarez, M. D. 20, s. 4, n. 21: « Nulla potentia activa, ut sic (prout activa), recipit complementum seu actualitatem *ex actione*, sed solum *exercet*... Nam in qualibet potentia *mere* activa, solum est *extrinseca* denominatio; potentiae enim activae actione *immanente seipsas* actuant (utique), non tamen ut activae *tantum* sunt, sed quatenus sunt etiam passivae ».

subiectum in quo recipiantur, seu quod afficiant et perficiant; sed actio creativa nullatenus ad hoc pertinet accidentium modorumve genus, sed ad τό primum rei fieri sine novitate aliqua, quae esse praecedenti addatur; hinc simul cum effectu exsistit.

2° Actio considerata ut *ab* i. e. ut *a causa* et virtute, utique habetur ut quid *medium* et natura prius effectu, quia virtus in actu est saltem natura prior effectu.

3° Immo actio considerata ut *in* i. e. *in termino*, in effectu, adhuc accipi *ut media* solet, quia prae oculis habere consuevimus actiones *successivas*. In his sane, cum stricta per eas in subiecto verificetur mutatio i. e. motu physico et successivo, pars τοῦ fieri partis *a* praecedit partem b et c, ad quas adque motus terminum acceditur per τό fieri partis *a*... Sed si momentanea fuerit actio motuque carens, aliter se res habet. Hinc creatio non tam *passio* quam *actio est;* tota enim ordinatur *ad esse primo*, quod quasi coronat, constituitque subiectum passionis.

4° Ponentes creationem passive in mera *relatione* difficultas etiam magis urget; quia relatio (aiunt) certe fundamentum praesupponit, *effectum*, ideoque concipi ut *medium* nequit, sed post causam et *post effectum*. Respondere possunt per ea, quae nuper (n. **1028**) dicebamus: satis est ut praesupponat *actionem*.

5° Tandem solutio videtur S. Thomae: Mobile, « dum est in *ipso moveri* (in vero motu successivo), *recedit* ab uno termino motus et *accedit* ad alterum (a quo ad quem, « ab albedine in nigredinem »); quod non est (non accidit) in termino motus...; quia in ipso *termino* motus iam (mobile) non *accedit* in nigredinem, sed *incipit esse* nigrum... Creatio autem... non potest accipi ut *moveri*, quod est (quod sit) *ante* terminum motus, sed accipitur ut *in facto esse;* unde in ipsa creatione non importatur aliquis *accessus ad* esse, nec trasmutatio a creante, sed solummodo inceptio essendi, et relatio ad creatorem a quo habet esse » (1).

1031. — *Obi. VI.* Quidquid exsistit, vel substantia est vel accidens. Atqui creatio in creatura nec *a*) substantia nec *b*) accidens est. Ergo nihil reale est in creatura. — Min. *a*) patet; *b*) « quia accidens sequitur suum subiectum; creatio autem est naturaliter prior creato, quod nullum sibi supponit subiectum. Ergo creatio non est aliquid in rerum natura » (2).

Respondet Aquinas: « Ad tertium dicendum, quod illa relatio *accidens* est, et secundum *esse suum* considerata prout *inhaeret* subiecto, *posterius* est quam res creata, sicut accidens subiecto, intellectu et natura, posterius est; quamvis non sit tale accidens, quod causetur ex principiis subiecti. Si vero consideretur secundum *suam rationem, prout ex actione agentis* innascitur praedicta relatio, sic est quodammodo *prior* subiecto, quae sicut ipsa divina actio, est eius causa proxima » (ib., ad 3).

1032. — *Obi. VII.* Modus sine subiecto concipi nequit. Atqui ita deberet concipi, si creatio in modo consisteret. Ergo creatio non in hoc consistit.

R. D. M. Aut sine subiecto proprie tali et *in quo*, aut sine termino, et *ad quem*, *C.* Sine subiecto praecise proprie tali et in quo, *Sd.* aut simultaneo aut praevio, *Tr.* sine praevio, *Sd.* si determinat esse rei iam constitutum et e potentia subiecti quasi educitur, v. g. sessio Petri..., *C.* Si est ipsum fieri et inceptio esse subiecti nec e potentia subiecti educitur, nec in effectu est proprie ut in subiecto sed ut in termino, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Hic modus e specialibus est, non ex ordinariis; est inceptio τοῦ esse dependenter ab alia activitate, cui debetur *res* ipsa et motus ad rem; est *modus* quo incipit *esse substantia*, est *motus ad* substantiam; non est motus ex substantia ortus, quique *praeviam* substantiam taliter qualiter *modificet*, quasi substantiam augens; non « causatur ex principiis *subiecti* » (n. **1031**).

1033. — *Obi. VIII.* Modus ille dependentiae, in quo reponitur actio creativa, *tempore* quidem *simul* esset cum effectu, sed *natura prior* quam effectus. Atqui

(1) De Pot., q. 3, a. 3, c.
(2) *l. c.*, obi. 3.

omnis modus tenetur esse saltem natura *posterior* re modificata, quam afficit. Ergo creatio sic intellecta pugnans est.

R. 1º Per expositionem a S. Thoma factam verbis supra (n. **1031**) relatis. Inde

R. 2º Et haec valent de actione (creatione) ex parte *agentis*, i. e. actus *Dei* creativus est natura (saltem) prior effectu, re creata, *C.* Etiam de actione ex parte *effectus*, i. e. de actione ipsa formali, quae est in re facta, *Sd.* in successivis, ubi datur fieri partis et partis et vere transmutari pro priori ad *factum esse* totius, *Tr.* In instantaneis, ubi fieri est factum esse, ideoque actio non proprie *via*, sed *ultima* rei determinatio est, terminatio, et corona, *N.*

R. 3º *D. M.* Actio illa (modus), si pro *virtute* sumatur agentis in actu, ideoque ut aliquid agentis, erit *prior natura* quam effectus, *C.* Si ut aliquid effectus vel ad effectum sumatur (sic rectius sumenda), *Sd.* Etiam sic non est natura *posterior* quam effectus, *C.* (revera effectus *non causat* illam); nequit esse *simul* natura cum effectu, *N. M.* — *Ctr. m.* Ita est de modis rem per prius constitutam modificantibus (de sessione...), *C.* Etiam de aliis rem primo terminantibus, ad τό esse primum ducentibus, *N. m.* — *N. c.*

Explico. 1º *Naturae* prioritas habetur in causa et virtute respectu effectus et actionis, quia causa utrumque producit; proprie non habetur in actione formali respectu effectus; hunc enim non actio sed *virtus* producit. Igitur in virtute creativa (in actu creativo) habetur prioritas saltem naturae respectu sive rei creatae sive creationis formalis; non autem proprie in formali creatione respectu rei creatae.

2º Haec specialiter in actione urgent *instantanea*. Sed in rigore etiam de *successiva* valent; in hac enim ipsa, licet pars *prior* effecta et effectionis in effectu causare videatur sequentem partem effectus ideoque natura prior esse effectu sequente, reipsa tamen sola *virtus* agentis causat omnes effectus partes. Unde *virtus* quidem natura prior est effectu, non vero actio, quae est in effectu. Aedificatio, prout in *aedificante* consideratur, quaeque proprie non *aedificatio* sed *vis* est *aedificativa*, natura prior aedificato est; prout autem est in *aedificato* et proprie in eo est (Arist.), licet ob successivitatem aedificationis posset adhuc dici *natura prior* aedificato respectu unius partis ad sequentes, simpliciter tamen non ita est, quia non actio sed virtus causat et aedificium *ut quod*, et aedificationem *ut qua*. A fortiori autem haec de actione *instantanea* valent in ipso effectu, ubi proprie est, considerata; sic enim nec *producit* effectum, nec proprie *via* est *medians* inter causam et effectum.

3º Ex alia parte actio non est natura posterior effectu, ut patet; igitur est *simul;* ideoque nec necesse modum illum pro aliquo signo prioritatis naturae sine termino, sine subiecto, consistere. Ad rem Losada: « Cum actio dicitur *via* ad terminum et *medians* inter causam et effectum, locutio est impropria et *abusiva*, inde orta, quod actio non cognoscitur per speciem propriam, sed apprehenditur *instar* viae mediantis et tendentis in effectum. Revera tamen actio est ultima formalis determinatio et exsecutio effectus, totaque illius essentia est reddere effectum actu positum in rerum natura. Loquor de actione instantanea... » (Phys. Tr. 2, disp. 4, c. 1, n. 18).

Scholion I. Specialis habitudo creationis ad effectum ut terminum, et ut subiectum.

Quo datae solutiones necnon explicatio Aquinatis (n. **1031**) vera sint solutio nec mera evasio, duo adhuc notanda:

1º Creatio proprie non *passio* sed *actio* est; hinc illud *fieri termini*, quod ut termino prius concipitur (creatio passiva, actio creationis), proprie non est *in subiecto*, sed est *ad subiectum*, potestque concipi quasi *in se* ob eius excellentiam; non enim dependet a termino ut *a subiecto causali* (ut sessio Petri a Petro) seu ut ab aliquo, quod natura prius sit respectu eiusdem, sed ut a mero *terminante* ipsam; seu: habet ad terminum eam mere habitudinem, qua via respicit terminum, calefactio calorem, unio compositum. Cum terminus *non causet* viam, non est *prior natura* quam via, nec via est *in* termino ut *in subiecto* passionis sed est *ad* terminum, et calefactio est *ad* calorem.

2º E duabus modorum vel actionum indicatis classibus: alii (sessio, ubicatio...) sunt actio et passio proprie *subiecto haerentes* ideoque praevium requirentes subiectum, e quo velut educuntur; alii v. g. unio, calefactio respectu *caloris* (respectu

enim *calidi* seu subiecti ferri pertinet ad classem priorem), creatio, sunt *ad* terminum, nec proprie haerent ut *in subiecto*, e cuius educantur potentia (1).

1034. — *Scholion II. De prioritate naturae.*

I. Prioritas naturae *proprie* talis convenit solum *causis* respectu effectuum. — Etenim *prioritas* naturae est « *independentia* non mutua unius ab alio, tamquam a causa », et *posterioritas* naturae est « *dependentia* non mutua... ». Iam causa facit effectum a se dependere ut a dante esse, quin e converso dependeat ipsa ab effectu in ratione proxime potentis causare, quam potentiam iam aliunde habebat, nec accipit ab effectu.

Haec *independentia* causae dicitur *prioritas*, *a*) quasi *dignitatis* et praecellentiae: « Beatius est magis dare quam accipere »; *b*) et *praecedentiae*, quia effectus *oritur* a causa, proin haec praesupponitur et praeexsistit. — Dicitur *naturae* a nascendo; effectus nascitur a causa.

Omnis prioritas naturae est prioritas *a quo*, quia *a causa* accipit effectus suum esse. Causa *a*) habet hanc *solam* prioritatem *a quo*, quoties adeo cum effectu nectitur, ut *sine hoc exsistere non possit; b*) in casu contrario habet *etiam* prioritatem *in quo naturae*, seu *perfectae praecisionis;* hanc habet maxime causa *libera.*

II. *Signa naturae.* — Prius et posterius.

Signum prius est actus, est causa, in actu *primo* sive remoto sive proximo. — *Signum posterius* est effectus prout a causa dependens. Hinc cum praecisione *a tempore*, aliquid exsistere *in signo priori* est esse virtutem vel praerequisitum *causae* ad causandum; exsistere *in signo posteriori* est exsistere per modum *effectus.*

Haec sunt *realia*, ut patet; a nobis passim concipiuntur ut *instans* in 1ª sui et 2ª quasi parte.

III. *a*) Omnis causa *efficiens* habet prioritatem *a quo*, etiam *in quo*, si non *necessario* conectitur cum effectu.

b) Causa *formalis*, per *creationem* producta (anima spiritualis), habet respectu compositi prioritates *a quo* et *in quo;* si *educta*, solum habet *a quo;* cum enim sit ultima determinatio ut compositum exsistat, nequit intellegi exsistens vi eductionis quin conexa sit cum exsistentia compositi.

IV. *Actio* respectu effectus non habet *prioritatem in quo;* cum enim sit ultima *determinatio* et exercitium, quo effectus in esse ponitur, esse nequit quin sit et effectus. Quia non est causa *ut quod*, non habet prioritatem *ut quod;* quia vero est causa *ut quo*, habet prioritatem *ut quo.*

Sed prioritas *ut quo* non sufficit ut actio dicatur *proprie* natura prior effectu: *a*) quia nec est causa nec praerequisitum, ut omnes concedunt; proin non est proprie natura prior, etsi sit prior *ut quo. b*) Quia est *extra signum prius*, eo quod non sit ex parte *actus primi;* igitur est in signo *posteriori*, quod est effectus; in productione enim unius effectus nemo admittit nisi *duo* signa, non *tertium* pro actione. Atqui quae in *eodem* signo sunt, sunt *natura simul.* Ergo. *c*) Effectus spectat ad actum *secundum.* Actio etiam, quia certo non ad *primum.* Ergo si actio haberet proprium signum, et *praecederet* natura effectum, esset *secundum;* proin obligaret effectum ut in *actu tertio* poneretur, quod nemo admittit. *d*) Actio et effectus *unica* actione producuntur; ergo sunt *natura simul;* nam ea dicuntur natura simul, quae per eamdem actionem producuntur.

1035. — *Coroll.* Ergo etsi actio, creatio, sit prior *ut quo*, non est proprie prior *prioritate naturae* respectu effectus (2).

---

(1) Cfr. Suarez (M. D. 20, s. 4, n. 27): « Sicut calefactio *et est in re*, quae calefit (ferro), et *in calore* qui fit; in illa *ut in subiecto* inhaesionis quod supponit (pro priori exsistens), in hoc vero *ut in termino* formali ad quem tendit et ideo illum (calorem) non supponit sed secum affert... ».

Inde (concludit) creatio trahatur vel ad praedicamentum *substantiae*, cum sit *via ad* substantiam, vel etiam ad *accidens;* in hoc enim praedicamento ponuntur non solum quae *subiecto inhaerent*, sed etiam quae modum hunc *imitantur*, quin tamen haereant; v. g. habitus, locus extrinsecus, etc.

(2) Cfr. Suarez, M. D. 26, s. 2. — Losada, *l. c.*

Articulus III.

de subiecto vis creativae

Propositio LXIV. Vis creatrix nulli competit creaturae nec ut causae principali, nec ut instrumento sive connaturali sive elevato.

1036. — *Praenotc nda. St. q.* Quaeritur quisnam creare possit seu quodnam sit subiectum vis creativae. *Subiectum* enim virtutis creativae dicitur illud, in quo vis creandi reperitur.

Responsum compendiale: *Solus Deus.*

Quaestio de facto. — Quaestio de iure. — 1. Quod mundum totum *de facto* creaverit solus Deus, non alius, non v. g. *a*) principium *malum*, ut Manichaei et Albigenses dicebant; *b*) aliquis *spiritus*, qui per prius a Deo creatus, deinde alias ipse creaverit intellegentias, sive animam sive corporalem naturam mediante spirituali, ut « quidam philosophi posuerunt » (S. Thomas alludens ad Platonem in Timaeo, ad Avicennam, Algazelem), catholicis sive philosophice sive theologice certo constabat, etiam de fide habetur, post decreta praesertim Vaticani Concilii, sessione 3ª (1). Suo iam tempore S. Thomas: « philosophi posuerunt intellegentias creare, quamvis sit haereticum... In hoc erraverunt » (2). Damascenus dixerat: « Quicumque dixerit Angelum aliquid creare, anathema sit » (3).

2. Igitur quaestiones solum *de iure* moventur: de *possibilitate* inquam creaturae creantis. Hanc ipsam principalem esse posse causam praeter *Durandum* contendet nemo, instrumentalem pauci; unde et nunc quaestio potius esse solet de *efficacia* rationum; utrum necne impossibilitas apodictice demonstretur (4).

1037. — *Pars* 1ª *declaratur.* Causa efficiens illa est, quae influit esse in effectum agendo seu per actionem. — Erit *principalis*, si ad effectum concurrat non superiorem se, unde nec alteri subordinari teneatur.

Instrumentalis, si pro effectu se nobiliori producendo, subordinate solum inque vi alterius causae ad operationem concurrat.

Pars autem *prima*, excludens ullam creaturam esse posse causam principalem creationis, 1º evidenter agit de causa *physica; moralis* enim esse potest creatura; i. e. suis precibus obtinere poterit ut *Deus creet.* — 2º Agit de creatura, prout haec sub divino operatur concursu, sine quo sane nulla creatura quidquam efficere valet. — 3º Causae vero finitae potentiam denegat non

---

(1) « Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas... anathema sit ». Et in capite 1º cui canon respondet: « Hic *solus verus Deus*... liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque *de nihilo condidit* creaturam, spiritualem et corporalem ». Denz. nn. 1562, 1632.

(2) 2º Dist. 1, q. 1, a. 3, c.

(3) 2º Orth. Fidei, c. 2.

(4) Notaverant Mendive et Urráb. cum Valentia et Vazquez. Suarez autem: « Et mihi quidem posterior sententia vera et *certa* esse videtur: difficillimum tamen censeo *cogentem* demonstrationem... afferre» (Disp. Met. 20, s. 2, n. 12). Etiam Durandus negative passim se habet: repugnantiam talis creaturae *ostendi non posse;* clare sic deinde Arriaga, necnon Ripalda (Cfr. Beraza n. 154). — At Durandus (et Arriaga) tandem censuit *posse* dari talem creaturam. — Ceteri contradicunt, licet deinde forsan teneant id certo non *demonstrari.*

solum creandi *omne ens* (nec id Durandus volebat), sed etiam ens, cuius natura specifica perfectionem causae non excedat, immo *vel* infimum unum ens. Profecto difficultas nunc non tam ex elevatione *effectus*, quam ex elevatione repetitur *modi* seu viae factivae.

1038. — *Prob.* 1ª *pars.* Causa creatrix ut suum *formale* obiectum, ideoque *primo* ac *per se*, attingere tenetur rationem τοῦ *esse* in effectu causato, qui est *tale esse. Atqui* saltem naturaliter inque linea causae principalis nulli id creaturae permittitur. *Ergo* vis creatrix, ut causae saltem principali, creaturae non competit.

Mai. Hoc praecise creativa ab eductiva differt virtute, quod eductiva tamquam formale sibique proprium attingit *talitatem* effectus et ex praesupposito esse formam educit, unde nec effectui dat τό esse, quod iam exsistebat; creativa autem ipsum τό esse primum, quia non praeexsistebat.

Primo autem ac *per se* a causa in effectu fieri illud dicitur, quod in eo suaque ex parte *non erat*, seu quod operationem non praecessit; quia omne, quod fit, ad hoc fit *ut sit* (S. Th.); v. g. a vi nutritiva primo ac per se attingitur caro qua talis seu forma carnis, non qua *ens*, non qua *aliquid;* praecedenter enim erat *ens*, esse, erat herba...; si autem *antea exsistebat* qua ens aliquod, nunc produci nequit *qua ens*, quia producitur *ut sit.* « Sic igitur, cum fit aliquod ens, ut homo vel lapis, *homo* quidem *per se* fit, quia ex *non homine; ens* autem fit per accidens, quia non (fit) ex *non-ente* simpliciter, sed ex non ente *hoc*, ut philosophus dicit » (S. Th. 2º c. G., c. 21 in fine) (1).

Min. Virtus factiva *finita* esset, cum non a se sed a Deo fuerit communicata; agitur enim de virtute *creaturae* seu quae in creatura subiectatur (2). Atqui virtus finita effectum attingere nequit in ratione τοῦ esse simpliciter ac primi. Ergo attingere rationem τοῦ esse primo et per se nulli competit creaturae.

Ult. Min. 1. Quanto potentia (passiva) in actum reducenda magis ab hoc actu elongatur, maior requiritur potentia virtutis activae faciens hanc reductionem potentiae passivae seu: quo maior distantia vincenda, eo maior virtus distantiam vincens. Ergo si potentia passiva nulla est, ideoque ab actu essendi infinite distans, necessaria erit virtus infinita ad eam reductionem faciendam, ad eam vincendam distantiam (S. Th., De Pot., q. 3, a. 4, c. 5ª ratio) (3).

1039. — *Eadem Minor ac thesis prob.* 2. Vis creativa nequit alia esse virtus, quam aliqua voluntas et *volitio efficax* faciens surgere de novo simpliciter ens. — Aliae enim energiae, velut mechanice operantes, tenentur cadere supra aliquid, supra ens; nec intellegitur ut quid inserviant *maiores* energiae, nisi ad maiores vincendas maioresque resistentias, seu nisi in aliquid impingant.

---

(1) Cfr. Arist. I Physic., text. comm. 51. Si ex albo fit nigrum, fit sane et nigrum et coloratum; sed quia *coloratum* praeexsistebat in albo, primo et per se nunc fit *nigrum.*

(2) Nec philosophi Arabes (supra citati) rebantur primum spiritum, qui a Deo immediate procedens alium creabat, sicut hic alium..., vi creativa *a seipso* donari, sed a Deo et quidem *instrumentaliter* potius. « Et movebantur ad hoc opinandum propter hoc quod credebant quod ab uno simplici (Deo) non posset immediate nisi unum provenire, et illo mediante ex uno primo multitudo procedebat. Et hoc dicebant, ac si Deus ageret per necessitatem *naturae*, per quem modum ex uno simplici non fit nisi *unum* » (De Pot., q. 3, a. 4, c.).

(3) Videtur fuisse ratio Aquinati praedilecta; saepius ad illam confugit. Nitide in 4º Dist. 5, q. 1, a. 3, solutio 3: « Communis opinio habet quod creatio non potest alicui creaturae communicari; quia est opus infinitae potentiae propter distantiam infinitam, quae est inter simpliciter ens et simpliciter non ens, inter quae est mutatio creationis: potentia autem infinita non potest esse in essentia finita... ».

Atqui finita voluntas et volitio tanti operis incapaces sunt. Etenim, ut ex inductione atque ex ipsa creatae volitionis essentia colligitur, voluntates finitae habent actus pure immanentes, quibus nihil unquam *ad extra* producitur; ad illarum nutum non aliud quam volitio ipsa exsurgit. Ergo vis creatrix nulli competit creaturae, saltem ut causae principali.

Si ais contra prob. 1am *a*) Distantia vincenda non est infinita, cum res creanda tandem finita sit. Nam aliquid ab uno oppositorum (a non ente) tantum distat, quantum de alio (de infinito ente) participat. Atqui res creata non participat *infinite* naturam entis *infiniti*. Ergo nec distat infinite a non ente.

R. N. assertum. — Ad prob. *N. M.* « Nihil prohibet aliquam distantiam imaginari infinitam ex *una* parte et ex alia finitam ». Ex utroque erit infinita si utrumque extremum ponitur infinitum: *Deus* et *nihil*. — « Distantia ergo *infiniti* entis a *non esse* simpliciter, est infinita ex *utraque* parte. Distantia autem entis *finiti* a *non esse* simpliciter, est *infinita* ex *una* parte tantum, et requirit nihilominus potentiam *infinitam* agentem » (1).

Si ais b) *Maior* distantia maiorque erit difficultas, si trahendum ad esse *chimaera* sit.

R. N. suppositum. Chimaera enim extra omnem sistit capacitatem etiam obiectivam, extra campum possibilitatis absolutae ad esse, ideoque extra quaestionem; nunc enim sub nulla capacitate *subiectiva* supponitur tamen obiectiva seu *possibilitas*.

1040. — *Pars* 2a. Creatura non est *instrumentum connaturale* creationis.

Notiones et *Adversarii*. Causa efficiens *instrumentalis* ea est, quae alteri *subordinata* ad aliquid efficiendum concurrit *superius* se sibique aut in effectu aut in *modo* producendi improportionatum. Quoties duae causae ad unam confluunt operationem, *a*) dicuntur principales (inadaequatae) et *coordinatae*, si in effectu vel effectione, eo quod effectus non *entitative* sed velut *quantitative* solum unamquamque superet causam, *pars* uni et *pars* alteri tribuibilis assignari queat, v. g. in motu currus singulis equis; *b*) dicuntur vero *subordinatae*, si in effectu aut effectione nihil adsit uni tribuendum quin et alteri, sed *totum* ita debeatur uni, ut etiam alteri debeatur totum; v. g. cognitio facultati ac speciei, pictura pictori et penicillo. Quod si tunc effectus aut effectio ex omni sua parte entitatem alterutrius causae superet, haec causa nuncupatur *instrumentalis*.

Instrumentum vel erit *a*) *naturaliter* sufficiens atque ad opus illud quasi *per se* destinatum, dispositum, ad opus rursum sive *naturale* sive *artificiale;* et tunc instrumentum dicitur *connaturale*, ideoque pluries operi quasi de more inserviens, v. g. *calor* ad nutritionem (naturale), calamus ad scribendum (artificiale); vel *b*) ex quadam solum elevatione supra eius indita naturam applicatur ad opus sibi non naturale, ideoque per elevationem valde *transeunter* factam; tunc autem instrumentum audit *oboedientiale* seu elevatum. Quae quidem distinctio pro nunc vix necessaria nec veteribus nota; profecto in materia *creationis* instrumentum *naturale* clare interdictum videtur.

1041. — *Adversarii*. 1) *Magister* Sententiarum opinatus est creaturae communicari *posse*, licet de facto non communicetur, « *ministerium* creationis non *auctoritatis* »; haec quidem de *instrumentali* virtute apte intellegentur;

(1) De Pot., q. 3, a. 4, ad 2.

ad Magistrum alludens S. Thomas passim excludit a creatura etiam instrumentaliter vim creativam; mentem tamen eiusdem non satis determinari S. Doctor insinuat in 4º Dist. 5, q. 1, a. 3 (1).

2) *Durandus* ipse videtur potius in causa cogitasse *instrumentali*.

Hinc 2ª pars habenda (notat Valentia) tam communis fere quam prior, ex difficultate *improportionis*, aeque unam atque aliam capiente causam; unde et Aquinas utrumque sub communi argumento per modum unius absolvere consuevit.

1042. — *Prob.* 2ª *pars.* 1º Creatura, prout divinae subordinata virtuti ad creationem instrumentaliter concurrens, sui exercitio aut *a*) materiam quasi praevie disponeret viamque principalis causae operationi praepararet, aut *b*) actionem principalis causae determinaret, aut *c*) deficientiam causae principalis pro obtentione totalis effectus utcumque suppleret. *Atqui* respectu creationis nihil horum potest saltem naturaliter. *Ergo* creatura nec ut naturale instrumentum ad creationem concurrere potest.

Mai. Si enim concurrit, suum exsequetur munus; nec nisi aliquo ex dictis modis. Sive enim *sua intrinseca* et connaturali vi sese exerceat [ut plerique censent cum S. Thoma (2)], sive virtute principalis *in se fluenter accepta*, ut de instrumento in genere plures opinantur; instrumentum aut 1) praevie ac quasi mediate materiam disponit (serra lignum), viam parat effectui principalis; aut 2) ubi non est locus materiae eiusve dispositionibus receptivis, immediate actionem ipsam indeque effectum principalis *determinat* ad *hanc* potius quam ad *aliam* effectionem iuxta indolem entitativam ideoque quasi *directivam* instrumenti, v. g. sic phantasma in effectione speciei; 3) quod influendi genus, simul ac efficiens est, de genere quoque causae materialis participat ac dispositivae (Cfr. Psych.); supponitque aliquam in principali causa *deficientiam* aut potentialitatem pro totali effectus causatione *complebilem;* secus enim *quodlibet* pro quolibet sumeretur instrumentum, vel potius nullum.

Min. per partes. Possibilitas concurrendi modo *a*) vetatur a *creatione* ipsa, in qua nihil praesuppositum adest, praeparationis capax. — Nec modo *b*). *Determinatio* enim effectionis in ipsa habetur *principali* causa, quae plena causa est pleneque determinata, omnem sive potentialitatem excludens sive receptivitatem determinationis passivam. — Nec modo *c*). Cum enim creatio nutui debeatur *infinitae* vis *volitivae*, simplicissimo inquam nutui, huius excogitare adiutorium completionemve pugnat. Unde

1043. — *Prob.* 2ª *pars.* 2º Creatio est operatio non sub alia energia quam sub nutu voluntatis tota quanta enascens. *Atqui* quod huic nutui adiutorium accedat nulla ex parte possibile est... *a*) Cum enim sit infinitae virtutis, in hac saltem *linea* nihil permittit accessorii. *b*) Adiutorium instrumenti esset,

---

(1) Ibi in « solutione III » ita concedit posse verba illius accipi, ut per illa abiciatur quidem quod creatura sit *primus creator* virtutis a se, hinc infinitae, ideoque producens ex nullo praesupposito etiam *agente*, quasi ex propria *auctoritate* et virtute; quin abiciatur tamen quod creare possit ut *ministeriale* creans, i. e. ex priori *agente* praesupposito, a quo receperit virtutem; iam priorem appellat creationem *strictam*, posteriorem « minus proprie ». Tunc vero etiam causa principalis, quae in 1ª parte erat *creatura*, esset creans ministeriale, et revera S. Thomas rursus addit « atque ita aliqui philosophi posuerunt aliquas creaturas creare »; quasi ab illis hoc solo Magister separaretur, quod illi *factum*, hic *possibilitatem non factum* admitteret. Immo S. Thomas excusat Magistrum atque ita explicat distantiam tunc fore aliquomodo *non infinitam* inter non ens et ens *creaturam*, ut quasi rem acceptare videatur. Omni modo in Summa sive theologica sive contra Gentes clare ac decisive exclusit creaturam etiam instrumentaliter creare posse.

(2) « Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi inquantum per aliquid *sibi proprium* dispositive operatur ad effectum principalis agentis » (1 p., q. 45, a. 5).

esse solet, in *diversa* potius linea. Sed in casu non datur exire ex *una* linea « *volitionis* ». Ergo.

1044. — *Pars* 3ª. Nec ut instrumento *oboedientiali;* i. e. creaturae, etsi haec Deo subordinata perque sibi indebitum auxilium a Deo moveri ponatur, creare non competit.

De potentia oboedientiali. a) *Improprie* lateque potentia *oboedientialis* dicitur quaecumque ad actum reduci incapax est nisi ex imperio agentis *rationalis*, v. g. marmor ad formam Caesaris, penicillus ad picturam B. Virginis...; sic sumpta non opponitur potentiae *naturali. b*) *Proprie* talis definitur « aptitudo rei ut supernaturali auxilio sibi indebito munus adimpleat naturaliter sibi impossibile »; opponitur iam potentiae *naturali* seu in actum *naturaliter* trahibili (1).

Potentia oboedientialis propria dividitur in *passivam* et *activam.*

Passiva est capacitas subiecti ad formam in se recipiendam naturaliter in tali subiecto irreceptibilem, v. g. capacitas animae ad gratiam. *Activa* est capacitas faciendi aliquid naturaliter a tali potentia non factibile, v. g. capacitas animae ad eliciendum *actum* fidei supernaturalis, ad actum visionis *beatificae.*

Circa has potentias observa: 1º Utraque *a*) est profecto *naturalis entitative* et *subiective*, quia est *aptitudo*, in *natura* rei exsistens ad sic oboediendum Deo, ad tales formas passive-active supernaturaliter habendas; atque haec aptitudo non in quibusvis reperitur naturis, non v. g. in lapide, in planta, ad gratiam et fidem... Adhuc *b*) non dicitur potentia *naturalis*, cum *naturalis* dici consuescat ex *termino* potius naturaliter sibi debito, quoties videlicet potentia effectum respicit seu formam *naturali* actione producibilem, seu ad quem producendum *supernaturali* non indiget adiutorio. Igitur respectu v. g. nostri intellectus: potentia *naturalis*, qua nunc *intellegit*, et potentia *oboedientialis*, qua per lumen gloriae *videbit*, identificantur *subiective* (entitative) ex data ratione; sed distinguuntur *terminative* i. e. sive ex terminis sive ex cognitionibus naturali et supernaturali, necnon ac per prius *completive*, quia prior in ratione potentiae proximae per naturalia completur, posterior per supernaturalia principia, comprincipia. 2º Oboedientialis *activa* hoc a *passiva* differt, quod α) activa *inadaequata* est inque genere causae efficientis etiam secundae complenda [ut sub *b*)] i. e. per *lumen* gloriae ad actum visionis ponendum; passiva autem est *adaequata*, i. e. anima ad recipiendam in se gratiam supernaturaliter compleri non egens, ne in infinitum eamus. Consequenter β) *elevatio* potentiae passivae in divino consistit solum decreto formam in hoc subiecto producendi ipsi indebitam, nec quasi tangit naturam potentiae; *elevatio* autem activae in huius consistit *coniunctione* cum activo Dei auxilio. Unde et 3º Ob necessitatem interventus *supernaturalis* pro exsecutione ministerii, potentia sive activa sive passiva dicitur suum implere munus *supernaturalizata.*

Nunc quaerimus de potentia oboedientiali *activa* creaturae; utrum a Deo elevari queat ad concursum activum instrumentalem pro creanda re aliqua etiam minima, an vel id pugnet, fere sicut pugnat v. g. quod lapidem Deus ad intellegendum elevet.

Communius pugnare dicitur, paucis cum Suarez exceptis.

---

(1) « Nihil prohibet quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam, quae inferior potentia facere non valet; et ista vocatur potentia oboedientiae. secundum quod quaelibet creatura Creatori oboedit » (De Pot., q. 6, a. 1, ad 18).

1045. — *Prob.* 3ª *pars.* Creatura, etiam sub motione Dei oboedientialiter more instrumenti operans, operari nullatenus poterit, si extra totalem ducatur naturalis suae activitatis sphaeram, ubi nihil potest; proin tunc instrumentum non erit. *Atqui* id in casu eveniret creaturae. *Ergo* ne oboedientialiter quidem creare potest.

Mai. 1) Unumquodque instrumentum in sua solum inservit sphaera; extra eamdem nihil. Hinc *varietas* instrumentorum, et quod *determinate* unum, aliis omissis, sit desumendum, quasi hoc capax quidem, cetera incapacia sint concurrendi. 2) Tunc sane *tota* operatio adiudicanda esset causae principali, instrumento vero nihil, quasi non esset.

Min. Ut enim ex 2ª parte constat, omne huic instrumento ministeriale servitium intercluditur, sive in praeparando seu praedisponendo viam, sive in determinando, sive in complendo utcumque principalem causam, et quidem ex essentia sive creationis sive causae secundae. Atqui essentiae ne supernaturaliter quidem mutari queunt, nisi destruantur. Ergo.

1046. — *Confirmatur.* « Omne instrumentum in id, circa quod instrumentaliter operatur, habet *propriam* actionem sibi connaturalem, et non solum illam actionem, secundum quam agit in virtute principalis agentis; immo exercendo primam actionem, oportet quod efficiat hanc secundam » (1). *Atqui* prior actio esse debet *inserviens secundae*, non quaelibet; inserviens autem creationi *nulla* esse potest. *Ergo* impossibile absolute est creaturam efficienter ad creationem concurrere.

1047. — *Obi. I.* Modus operandi sequitur modum essendi. Atqui angelus exsistit independenter a materia. Ergo potest ita quoque operari, hinc creare.

R. D. M. Negative, i. e. excedere nequit modum essendi, *C. Positive*, i. e. operationis elevatio respondere debet elevationi entitatis causae, *Sd.* quoad « substantiam facti » (i. e. quoad indolem entitativam), *Tr.* quoad *modum* praeterea faciendi, *Sd.* Si aliunde constet, *C.* Ex solo hoc capite, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Potest rem a materia independentem facere, *Tr.* modo creativo ex nullo praesupposito, *N.* — *N. ult. cons.*

1. Sequeretur aquam, cuius esse materia et forma constat nec ab alio pendet subiecto, posse facere aliam aquam independenter ab omni materia et subiecto, i. e. posse facere et materiam et formam aquae.

2. Angelus constat potentia et actu *a*) inquantum eius quidditas est potentia ad esse, et *b*) inquantum eius activitas actusque operativus in essentia subiectantur realiter distincta. Ergo eius quoque operatio ac effectus supra aliquod subiectum cadent, in quo recipiantur; hinc creare non poterit. Sic de aliis.

1048. — *Obi. II.* Vis creandi creaturae ideo denegatur, quia cum infinita esse teneatur, creaturam extra fines creaturae poneret. Atqui vis creatrix infinita esse non debet, cum nec distantia vincenda infinita sit. Ergo creatura creare potest. *Min.* Deus utique, si crearetur, a nihilo infinite distaret; res autem finita non sic. Quia « unumquodque tantum distat ab uno oppositorum, quantum de natura alterius participat »; creatura autem creata nunquam participaret *totum Deum;* hinc a nihilo infinite nunquam distaret (S. Th., De Pot., q. 3, a. 4, 2).

R. C. M. — *N. m.* — Rat. *dist.* Deus ex *utraque* parte distaret infinite et creatura ex *una* sola, *C.* Et creatura ex *nulla*, *N.* Sufficit autem ut ex *una* parte distet infinite, ut vim infinitam requirat (S. Th. ad 2). Effatum autem de distantia oppositorum agit de contrariis sub eodem genere positivis; album eo plus a nigro distat quo *plus* de albedine infinita participet.

---

(1) In Supplem. 3 p., q. 70, a. 3, c. Idem latius exponit in 2º c. G., c. 21: « Praeterea omne agens instrumentale... » (versus medium).

1049. — *Obi III.* Contrarium resistit plus quam nihil, quia resistit positive. Atqui creatura e contrariis aliquid facere potest. Ergo etiam creare poterit.

R. N. M. sensu quaestionis de improportione vincenda quoad *modum* agendi. Contrarium offert subiectum positivum, ideoque energiae eductivae supra illud quasi mechanice exerceri queunt; minime autem supra nihilum. Ergo hoc resistit plus possibilitati exercendi actionem creatam (Cfr. S. Th., l. c., ad 16).

1050. — *Obi. IV.* Causa instrumentalis tripliciter iuxta diversas de instrumento sententias influere intellegitur: 1) *Mediate* in praevia praeparatione (potius sic Scotistae); 2) *Immediate* sed per virtutem principalis intrinsecus in se receptam seu per *formalem* ac *intrinsecam* elevationem (ita thomistae plerique); 3) *Immediate* sed sua *propria* virtute quin virtutem principalis in se recipiat ideoque per *effectivam* solum atque extrinsecam elevationem (Reliqui) (1). Atqui licet 1º et 2º modo non possit, at 3º modo concurrere capax apparet creatura. Ergo sic elevari posse dicenda est.

R. C. M. — *C. m.* 1am p. — *N.* 2am p.; ratio specialis aliqua apparet impossibilitatis, cum agitur de creatione (Cfr. prob.).

1. Revera longe probabilius habemus instrumentum in genere inque specie tertio concurrere modo (Cfr. Psych.); i. e. pugnare ut intrinsece ac formaliter elevetur; solum effective et extrinsecus elevari; tenemus videlicet pugnare ut in calamo etiam fluenter ac intentionaliter subiectetur *aestrum* poëticum *conceptusve* scribentis poëtae, aut in phantasmate virtus *spiritualis*.

2. Non dicimus *omnem* instrumenti etiam extrinsecam elevationem pugnare, sed singularem adesse rationem, cur (quidquid de concursu aquae baptismalis... ad gratiae productionem dici velit) interventus creaturae ad *creandum* admitti nequeat; quia tale instrumentum nulla ex parte utile reddi potest aptumve exsecutioni cuivis ministeriali; inutilia autem ad suae operationis consortium Deum admittere pugnat.

Inst. Data ratio nulla est. Ex ea enim solum hoc sequitur, quod creatura neque ut operam disponens neque ut determinans interveniat. Atqui etsi non pro his muneribus potest Deus creaturam acceptare, ut cum ipso immediate operetur. Ergo creatura potest esse instrumentum creationis.

R. C. M. — *N. m.* Ex Maiori sequitur absoluta inacceptabilitas, ut sequitur eius inutilitas: *a*) Ex dictis, quia nullatenus principalem *complet* et adiuvat. *b*) Quia ipsa vis creativa est essentialiter *volitio*, igitur adiumentum deberet esse volitio, non vis alia mechanica; volitio autem divina est *incomplebilis*.

1051. — *Obi. V.* Phantasma in se materiale, sine *intrinseca* sui elevatione, vere tamen concurrit instrumentaliter ad effectionem speciei sibi improportionatae. — Ergo et creatura poterit similiter ad creationem concurrere.

R. N. parit. 1) Phantasma in homine naturaliter ad hoc destinatur; et determinat indolem repraesentativam speciei. 2) Eius influxus sicut et influxus intellectus agentis exercentur *ad modum* energiae *mechanicae*. 3) Complet causam *incompletam* et *potentialem*. 4) In opere potius eductivo. — Contraria habentur in creatione: *a*) Nulla creatura ad hoc naturaliter est destinata; *b*) creatio fit nutu voluntatis; *c*) causa principalis *completa* est actusque purus; *d*) opus est *creativum*.

1052. — *Obi. VI.* Quidlibet ad *quodlibet* producendum divinitus elevari posse est *quasi lex* pro multis theologis, a qua excipi volunt solum pauca quaedam clare contradictoria v. g. quod quis ad seipsum producendum elevetur aut ad efformandum iudicium de sui non exsistentia. Atqui creatura creans longe a tali abest contradictione. Ergo elevari potest ad creandum.

R. D. M. Et ab hac lege excipi debent solum ea, quorum impossibilitas statim appareat, *N.* Quorum impossibilitas utcumque *probetur*, *C. M.* — *Ctr. m.* i. e. contradictio non statim redditur tangibilis, *C.* Non ostenditur, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Iidem effati auctores (Arriaga, Losada...) sat plura, alii alia, excipere

---

(1) Cfr. Beraza, *op. cit.*, n. 171.

coguntur, v. g. quod lapis elevetur ad intellegendum, belua ad visionem beatificam, etc.; nec desunt qui praecise excipiant elevationem creaturae ad creandum; de hoc ostendimus excipi debere.

Igitur dicta lex obicienda non est contra puncta particularia; exspectare potius tenetur cuiusque puncti examen ab ipsa independens, ut deinde perpensum casum vel intra se vel extra se ut unam exceptionem accipiat, seu lex non tam est regula particularium quam regulata a particularibus.

1053. — *Obi. VII.* Aqua in baptismate (idem dic de aliis Sacramentis) elevatur ad producendum *physice* gratiam; ignis corporeus ad *physice* torquendos spiritus. Atqui improportio horum pro effectu non minor est, quam in casu creationis. Ergo creatura ad creandum elevari poterit.

R. Tr. M. — *N. m.* 1º Gratia per dicta instrumenta aquae... *non creatur*, sed *educitur* e potentia animae; sic et tortura e potentia spiritus, si revera *physice* produceretur (1). 2º Aqua etc. probabilius producunt gratiam non *physice*, sed *moraliter;* immo sunt qui dispositive solum influere contendant; ideo transmissa est Maior quoad 1am partem. 3º De modo, quo ignis cruciet spiritum, *nihil certi* adhuc fuisse obtentum notant Mendive et Huarte. *a*) Plures cum *Suarez* rentur ignem elevari a Deo ut qualitatem *physice* producat eaque mediante dolorem in spiritu; *b*) alii cum *S. Thoma* probabilius habent spiritus ab igne non *physice* tangi ac immutari, sed *moraliter* cruciari, i. e. catenari; spiritus nempe divinitus ad ignem ligantur ut canis ad catenam, atque haec ligatio, quia contra nativam eorumdem libertatem, cruciatrix eos torquet. Daemones nunc per mundum vagantes, memoria vexantur punitivi carceris, a quo exire post diem iudicii non permittetur.

1054. — *Obi. VIII. Contra totam thesim.* Caput probationis fuit virtus *infinita;* cuius necessitas fere sic ostendi consuevit: Si creatura *unum* ens crearet, creare posset *omnia;* ad hoc autem requiritur virtus infinita, quae in creatura finita subiectari nequit. Atqui ratio non subsistit; quia ex *uno* creato fallaciter ad *omne* creabile obiectum *formale* extenditur.

R. C. medium probationis ex virtute infinita praesertim desumi; concedo eiusdem necessitatem passim ex allata ratione suaderi; sed nego non adesse alias forsan efficaciores; aliam usurpavimus. Transmitto impugnationem.

1055. — *Scholion. De efficacia dicti argumenti.* Eo parum convincimur. Videlicet: ex eo quod creatura unum ens crearet, v. g. anima patris animam filii, ut Frohschammer voluit, non videtur sequi quod posset omnia creare, i. e. quod obiectum *formale* illius potentiae creatricis esse teneretur *omne* creabile, sed id ignoraremus usque ad alias et alias creationes. Nam: 1º Sicut creavit *hanc* determinatam animam, dando huic primum utique et *simpliciter esse*, ita creavit *hoc esse*, quod identificatur cum hac anima. Si creasset *esse* sine addito, deinde *hoc* esse realiter a priori distinctum, sane obiectum formale haberet « esse », et argumentum concluderet; sed esse sine addito, esse ut sic, ens ut sic, sunt abstractiones *mentales;* in re non dantur. Ergo *nescimus* adhuc utrum necne illa causa possit et angelum creare; quia obiectum eius formale est hucusque *hoc esse*, i. e. animae rationalis. 2º In dictorum confirmationem: Planta generans plantam, educit e potentia materiae formam, animam plantarem; attingit effectum in ratione *formae*, in ratione *animae*, nec sequitur tamen posse iam *formam omnem*, animam omnem, producere; sed hucusque scimus solum educere posse animam *illam*, formam *illam* (specie *talem*). Cuius ratio est: quia non eduxit *formam simpliciter*, nec animam simpliciter, sed *hanc*..., in qua non realiter distinguuntur forma et haec forma, anima et haec anima. Ergo a pari, mutata eductione in creationem. Disparitates autem erunt pure *materiales* nec *vim* paritatis destruentes. 3º Lux alba A producit (educendo) formam, qualitatem, colorem, albedinem et hanc albedinem huius gradus; si haec omnia produceret ut totidem *realitates*, tunc sequeretur obiectum eius *formale* esse qualitatem..., ideoque producere posse *omnes* qualitates, colores... Sed quia

(1) Cfr. Huarte, « De Deo Creante », n. 43.

realiter sunt *haec albedo*, quam solam produxit, ignoramus utrum necne extensio obiecti eius formalis amplior sit. De facto convincimur capacem esse producendi *solam* albedinem, et *huius* intensitatis nec maioris unquam; tamen produxerat *albedinem*, colorem, formam... Ergo a pari, etsi creatura aliqua primum et simpliciter *hoc esse* per creationem produxerit, quia non produxit *esse*, sed *hoc singulare esse* (notetur enim etiam sub ratione τοῦ esse et entis esse hoc singulare esse), ignoramus utrum obiectum eius formale magis se protendat. 4° Immo, quia accidens a substantia realiter adaequate distinguitur, lux producens albedinem, sol calorem, etc. dant illi qualitati *primo* ac *per se esse*, nec formam albedinis... tantum, quia τοῦ esse albedinis nihil praecesserat; attamen non sequitur τό esse *qualitatis* esse obiectum formale vis illius eductivae. Ergo a pari, ex esse primo ac per se per creationem producto in *una re creata*, non sequitur huius creativae virtutis obiectum formale esse *quodlibet esse ac ens*.

Articulus IV.

de conservatione

1056. — Quamvis dogma conservationis sicut et creationis, quasi partes Providentiae Dei, pleniorem sibi magisque proprium locum in tractatu « De Deo Creante » vindicare videantur, adhuc et philosopho nonnihil de his delibare pro modulo conceditur.

Propositio LXV. **Deus res omnes in suo esse positive directeque conservat; haec tamen conservatio formaliter ac per se a divina rerum effectione realiter non distinguitur, sed ratione.**

1057. — *Praenotanda.* 1. *Notiones. Conservatio* est continuatio τοῦ esse rei dependenter ab aliqua causa. Accipi potest *passive* et *active: a*) *passive*, seu ex parte rei pergentis in esse, est rei in suo esse permansio dependenter a causa; *b*) *active*, seu ex parte retinentis rem in suo esse, est influxus causae rem in esse suo pergere facientis.

Conservatio passiva a *duratione* differt per *dependentiam a causa;* duratio id de se non dicit; *mere* dicit *perseverantiam* rei in esse. Unde omne quidem conservatum durat, sed non omne durans conservatur (Deus). — Agimus de *activa*.

Conservatio activa dividitur in *negativam* et *positivam. Negativa* est mera non destructio rei ex parte illius, qui posset eam destruere, si vellet. *Positiva* est realis aliqua actio vel influxus conservativus.

Rursum pauloque aliter conservatio activa in *indirectam* dispescitur ac *directam. Indirecta* seu per accidens est impeditio actionis destructivae vel remotio causarum destructivarum, vel etiam subministratio mediorum contra elementa corrumpentia. Indirectam exercet tenens puerum ne ad ignem accedat, sal carnes praeservans, etc.

NB. Indirecta *negativa* quoque dicitur; respectu videlicet rei *conservatae;* vel enim *a*) actionem non exercet; vel *b*) eam non directe in *rem* ipsam conservatam, sed in *aliud* exercet, in elementa nempe destructiva (sal...); vel *c*) in rem quidem conservatam exercet, non tamen actionem *de se* conservativam (puerum *tenens*...).

Directa seu *per se* est iugis influxus conservativus supra rem ipsam, quae conservatur, exercitus.

Conservatio *directa* clarius in *spiritibus* resplendet; hi enim, quia *contraria* non habent, si ab aliquo positive conserventur, *directe* conservantur. Hanc appellant et *immediatam.*

In universum videlicet conservatio activa in *mediatam* et *immediatam* dispescitur. *Mediata*, quam Deus in unam rem mediante alia exercet; *immediata*, quam sine media creatura exercet. Conservans *mediate* conservator non in directo exsistit contactu (conservativo) cum re conservata; unde conservare mediate non est idem ac conservare rem *in consortio* alterius; consortium enim, dicens rem ab hoc et ab alio praeterea conservari, neutrius negat immediationem in conservando rem.

1058. — 2. *St. q.* Explicare assumimus sive factum conservationis positivae, directae (*pars* 1ª), sive naturam seu modum eius (*pars* 2ª).

Pars 1ª. *De facto.* Attentio primo ac principaliter ad res omnes ducitur a Deo immediate creatas, sive initio mundi, spiritus et corpora, sive deinde v. g. spirituales animas. Quia vero et ad effectionem reliquorum Deus supponitur concurrere, conservatio Dei etiam ad haec extenditur.

Propositio esse posset sive *affirmativa* sive *exclusiva;* sumatur saltem primario ut affirmativa, sensusque classici; i. e. necessitatem stabilire vult conservationis positivo-directae ex parte *Dei.* Utrum deinde talis conservatio ex parte *solius* Dei exerceatur necne, non resolvit. Adhuc quia quaedam de hoc minutiora iuxta rerum varietatem plures distinxerunt, praecipua in *Scholio* dicentur.

1059. — *Adversarii.* Quod Deus *aliquo modo* res omnes conservet debeatque conservare, si esse pergant, nullus unquam negaverit theista, sicut etiam quod potentia easdem annihilandi Deo competat (1). Sub maiori autem sive conservationis sive rerum determinatione varietas adest iudiciorum, ut inter catholicos ipsos alii aliive citentur adversarii: *a*) logice *Durandus* (nuper Klee) de rebus a creatura (sine immediato Dei concursu) factis; directum enim Dei interventum pro conservatione τοῦ esse urgere magis, quam pro prima eiusdem effectione, non satis elucet. *b*) Plures innominati (apud Lessium et Ruiz), iuxta quos quidam generalis sufficiebat concursus partialisque conservatio, a creatura deinde partim exercenda immediateque complenda. *c*) Alii mere dicunt sola naturali ratione propositionem non evinci (2).

1060. — *Prob.* 1ª *pars.* Respectu creatorum vel utcumque productorum, in esse semel accepto permanentium ratio est assignanda permanentiae seu continuationis τοῦ esse, sicut pro ipsorum fieri ac velut initio rationem assignare tenemur. Aliunde rationem illam in activo aliquo influxu esse quaerendam liquet, cum consistentia in esse eidem debeatur, i. e. cuiusdam quasi retentio organismi in propria compage. *Atqui* talis influxus non debetur *a*) alteri creaturae, nec *b*) ipsimet rei conservatae. *Ergo* venit a Deo, qui directam exerceat conservationem.

Min. 1ª *pars.* Experientia rationeque constat res singulas tam individualiter in proprio consistere esse, ut unius in aliam influxus aut actuatus aut etiam possibilis nullibi affulgeat, v. g. substantiae ad substantiam, unius ho-

---

(1) Immo quasi res *de fide* a theologis tractatur. « Omnia entia extra Deum pendere in suo esse ex divina conservatione. Haec assertio sub his terminis certissima est, et de fide » (Suarez, D. M. 21, s. 1, n. 4).

(2) Difficultatem nemo negat — Cfr. Suar. (l. c. n. 1): « An possit ratione naturali demonstrari... ».

minis in alium hominem, unius lapidis in alium lapidem...; porro alia disparente, alia pergit esse sicut prius. Nunc autem agitur de universali permanentia rerum in esse.

Min. 2ª *pars* (in qua maior est difficultas). 1) Influxus rei in sui τό esse exercitus esset virtus rei; hinc huius virtutis permanentia supponeret pro priori permanentiam substantiae; prius enim est substantiam esse inque esse permanere, quam accidens esse ac in esse permanere. Atqui posterius rationem *prioris* esse absonum est. Ergo influxus eiusdem rei conservandae (accidens) ratio suae conservationis *substantialis* esse nequit. Immo virtus ipsa, per prius ad actualem influxum perennem, conservari eget in suo esse accidentis perenniter. Ergo etiam virtus ipsa ab alio per prius conservanda esset.

2) In tantum res perdurans rationem perdurationis non in alio sed in semetipsa habere conciperetur, inquantum vel *a*) *actio* factiva eiusdem, i. e. eius *fieri* (creatione vel qualicumque productione) ex sese cum persistentia in esse, adeo necteretur, ut nullum ad hoc alius causae reclamaret influxum; vel *b*) eius *esse factum* cum eadem persistentia sic necteretur. Atqui neutrum. Non *a*); quia actio seu fieri (substantiae praesertim) in indivisibili sistens *completur* tota finiturque in momento fieri, nec ulterius quid involvit, i. e. non dicit durationem sequentem; sistens in divisibili (pro multis accidentibus) in ultimo fieri rursum completur ac finitur. — Nam actiones hae, *cum positae* sunt, iam esse desiverunt; erant enim transeuntes, fluentes; ideoque sunt iam nihil et non-ens; non-ens autem influit nihil.

Non *b*). Etenim *esse* illud factum cum τοῦ esse sui persistentia nectitur vel α) necessario absolute, vel β) necessario *naturaliter*. Atqui neutrum; immo sub utraque hypothesi aliquid creatum *absolute* indestructibile poneretur etiam pro Deo cum iactura divinae potentiae. Ergo esse ipsum creatum (utcumque productum) cum permansione τοῦ esse sui ex sese non conectitur.

Ad min. In hypothesi α) patet; quod enim *essentiale absoluteque* necessarium est, Deus mutare nequit. Etiam in hypothesi β) nullam Deus rem destruere posset. Non ex mera *suspensione* conservationis; hanc enim non exercebat. Sed nec actione *positive* destructiva, cuius terminum esse *nihil* pugnat. Ergo in utraque hypothesi creatura, durante saltem suo proprio influxu conservativo, absolute indestructibilis esset, sicut *Deus*. Hinc praecise

1061. — *Prob.* 2. Deus *absolute* potens est creaturas in nihilum vertere. *Atqui* nonnisi eas directe positiveque conservet. *Ergo* sic eas conservat.

Mai. Ex parte *creaturae*, cum contingens sit, oppositio non datur. Ex parte *Dei* perfectio dominii exigit de omnibus ad libitum disponere posse. Ergo.

Min. Annihilatio est desitio totius esse, ut creatio est positio totius esse. Atqui totalis desitio, quid pure negativum, obtineri nequit: *a*) per actionem *positivam;* cum enim haec consistat in ipso *fieri* termini, seu ipsemet sit terminus inquantum fit et nascitur, pugnanter in nihil terminaretur; esset simulque non esset actio. *b*) Sed nec per *negativam;* haec sane, in cessatione actionis positivae consistens, tunc solum possibilis est, cum exercetur positiva. Atqui haec non exercebatur a Deo. Ergo negativa sensu caret.

1062. — *Scholion. De exclusivitate conservationis.* Propositio erat affirmativa « Deus omnia conservat *ut causa prima* »; non erat exclusiva i. e. non addebatur « ut causa *unica* »; addi tamen potuisset; pro plerisque enim ac praecipuis entibus

Deus *unicus* est Conservator, certissime unicus est *Universalis* conservator. Sed quaedam etiam creaturae videntur alias conservare, v. g. intellectus suas continuatas intellectiones; tunc creaturae erunt con-conservatores cum Deo, sicut sunt cooperatores.

De his: 1) Quod *negative* necnon positive *indirecte* aliae alias in esse sustentent creaturas, satis liquet. 2) Positive directe immediateque substantias alias ab aliis non conservari de causis saltem *particularibus* facile conceditur; his enim disparentibus, substantiae genitae in esse durare pergunt, nec ulla aliunde talis conservationis aut necessitas, aut factum, aut etiam possibilitas adumbratur (1). Hinc substantiae spirituales, ut a solo Deo fiunt, sic a Deo solo conservantur; necnon materia prima; sed et substantiae corporeae, licet aliae cooperante Deo ab aliis generentur, a Deo solo deinde conservantur protractione productionis primae, quae ad modum creationis (si placeat) continuatur; effectus enim conservativus plenus est, quasi rem Deus creavisset (2). 3) Ex *accidentibus: a*) quaedam a solo Deo conservantur; ea scilicet, quae vel a solo Deo fiunt, ut gratia sanctificans, vel licet a creatura quoque fiant, sed independenter ab ea in esse perdurant, v. g. nisus in corpore moto receptus; *b*) quaedam conservantur a Deo *in consortio* activo cum creatura; v. g. actus vitales, cognitio, appetitio..., colores producti a luce, illuminatio aëris a sole... 4) Denique nihil *seipsum* in esse suo conservare posse evincebat probatio 1ª theseos. Hinc animam semel creatam naturaliter exigere sine fine esse, non significat ex *propria* id virtute *exsequi* posse, sed exigere ut *a Deo* conservetur; unde et illud solves; si anima naturaliter immortalis esset, haberet *in se* virtutem *infinitam.*

1063. — *Pars* 2ª. Conservatio ab effectione *solum ratione* distinguitur. 1. *St. q.* Hac 2ª parte, in naturam inquirentes conservationis, huius decretamus *realem* identificationem cum *actione* illa, per quam primo facta fuerat creatura; inde fluet conservationem nonnisi *continuatam esse creationem:* « Deus *non alia* operatione *producit* res in esse et eas in esse *conservat* » (3). « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam *novam* actionem, sed per *continuationem* actionis, qua *dat esse* » (4).

Iam conservationem et effectionem ex parte *Dei* prout in Deo sunt *actus* conservativus ac creativus, esse realiter idem, per se patet; sic enim ipsa sunt divina *virtus* increata, potentia ipsa Dei, *prout his* destinata officiis, seu cum relatione rationis *ad haec* munia. Dubitatur solum de conservatione et effectione *formalibus* ac *creatis*, quae sunt in passo, i. e. in creatura facta et conservata. Etiam sic sententia communis stat pro *identitate.*

1064. — 2. *Adversarii.* Realem utriusque distinctionem *a*) palam est professus sub peculiari quidem conceptione *Baylius*, pro quo conservatio non continuata sed *iterata* creatio erat, singulis nempe instantibus de novo *repetita;* unde concludebat me singulis momentis *alium* et *alium* esse contra identitatem personae. Sic denaturata conservatio non tam *conservatio rei unius*, quam *mutatio* esset in *aliud. b*) Simpliciter tenuerunt pauci Nominales ac Gandavensis, quin destruerent *identitatem rei* effectae et conservatae, etsi per duas explicarent operationes *realiter distinctas.*

3. Ceterum thesim sonare vellemus sensu perseitatis ac formali, non ma-

---

(1) Solus Kant reciprocos decrevit omnium in spatio positorum influxus, ut categoriam *communitatis* (sub limitatione) explicaret.

(2) De causis *universalibus*, de sole, calore... communiter admittebatur (teste Ruiz) eas conservare partialiter corpora mundana; sed potius *mediate* est id intellegendum, inquantum conferunt ut convenienti organismi dispositione servata, diutius perdurent in esse a Deo immediate conservato. Id sine dubio ac ut minimum intendit Angelicus dicens: « Deus conservat res quasdam in esse mediantibus aliquibus causis » (1 p., q. 104, a. 2).

(3) De Pot., q. 5, a. 1, ad 2, etc.

(4) 1 p., q. 104, a. 1, 4.

teriali etiam atque concreto et per accidens. Sic ait: conservatio sub *formali sua ratione* non infert *realem* sui a *prima* rei productione distinctionem; quidquid deinde in concreto mereque materialiter contingat.

Quam sane solutionem *de formali* exactius intellegemus in re *creata* atque a solo Deo conservata, v. g. in anima; in re nempe ab *eodem* conservata, a quo erat producta; sub *diversitate* enim causarum factivae et conservativae realem non negamus distinctionem, quae tamen mere materialis tunc erit, per accidens et in concreto seu ratione *subiectorum;* non erit formalis ac per se, non ratione effectionis et conservationis ut sic.

1065. — *Prob.* 1. *a*) *Identitas specifica.* Identitas vel distinctio inter duas actiones, quoties hae ab una *eademque* exercentur virtute, e *termino* erit diiudicanda. *Atqui* in casu creans atque conservans *eadem* est virtus (Dei); terminus quoque creationis ac conservationis unus idemque est, v. g. haec anima. *Ergo* creatio et conservatio realiter eadem actio sunt saltem *specifice.*

b) *Identitas etiam numerica.* Nam virtus eadem creans et conservans se exercet *sine interruptione* circa eumdem terminum. — *Ergo* unica numerice est actio in primo sui esse ac deinde, seu qua creans et qua conservans.

Ant. Secus enim res esse desineret in interruptione, et de novo crearetur.

Conseq. Nulla ratio, aut experientia, aut etiam possibilitas apparet plurificationis actionum; utique ratio *unicitatis.* Volitio, visio..., nisi *novo* actu libertatis interrumpantur impetuve *novo* utcumque psychico, una numerice actio initio ac deinceps sunt. Ergo a pari et a fortiori.

Si ais: Distinctio actionum ex obiecto desumitur non materiali sed formali; unde licet *terminus,* anima, idem *materialiter* sit, obiectum tamen *formale* pro creatione est anima prout *in fieri,* pro conservatione autem prout *in facto esse.* Ergo creatio a conservatione etiam specie differre dicenda est. *R.* Et hoc probat distinctionem *rationis, C.* Realem, *N.* vel *Sd.* Si obiecta *formalia* actiones peterent *re* distinctas, quod est in quaestione, *C.* Si ostendatur per *unicam* re actionem utrumque attingi, *N.*

1066. — *Prob.* 2. Ratio cur conservatio ipsa *una realiter* actio est prout in priori sui momento aliisque creaturam a se pendentem tenet, est praecise *identitas termini* seu rei conservatae v. g. eiusdem animae in 1º, 2º, 3º... momentis conservationis. *Atqui* identitas *termini* exsistit non minor etiam pro momento creationis proque priori conservationis momento; agitur enim de *eadem* anima creata et conservata. *Ergo* actio conservativa non minus una est *cum creatione,* quam *secum,* i. e. quam in comparatione partium conservationis ad invicem in una continuata conservatione.

Nota adhuc. Momenta successiva *realia,* licet in continuo realiter exsisterent, in duratione tamen substantiae praesertim *spiritualis,* cuius duratio est aeviterna, admitti non possent. Hinc creatio, quia terminum tangere tenetur (ut omne fieri termini terminum tangit) *reipsa* conservatio est eiusdem termini in *primo* momento τοῦ esse termini.

Ratione differunt. Colligitur: 1º Ex *definitionibus* diversis; 2º ex diversis *connotato* et habitudine. Etenim creatio est esse *primo,* seu est esse connotando *prius non* fuisse, est « esse *cum novitate* » (S. Th., De Pot., q. 3, a. 3, c.); conservatio autem dicit esse non primo, sed connotans *prius fuisse;* est esse *sine novitate* essendi.

1067. — *Obi. 1.* Potestas divina annihilandi res salvatur hoc solo quod res a Deo *mediate* conserventur. Sub mera enim primae conservationis suspensione ces-

sabunt intermedii creaturarum influxus, sequeturque desitio rei, mediate solum a Deo conservatae. Ergo directe immediateque conservatio inde non evincitur.

R. N. Ant. — *Prob. Dist.* In *abstracto* id habetur, aut haberi concipitur, *C.* In *concreto*, *N.* — *N. c.*

Explico. In *concreto* haec non subsistunt. Nam 1) *Substantiae*, maxime spirituales, sui conservationem creaturis commendatam non habent; unde si *immediate* eas Deus non conservat, nec easdem ullatenus destruere poterit; divina tamen potestas ad substantias praeferenter se referre debet. 2) *Accidentia* ipsa destruere non poterit ne ea quidem, quae immediate a creatura conservari posse concessimus, ut erant actus vitales qua tales. Si enim Deus talia accidentia immediate non conservabat, quia aliunde substantia, a qua conservantur, destrui ab ipso nequit, nec accidentia destruere poterit.

Inst. Sed potest. Etenim accidentia: *a*) Deo cooperante producuntur a substantia; *b*) conservantur autem per continuum substantiae activum influxum Deo rursum cooperante. Ergo cessante Dei cooperatione accidens cessabit esse.

R. N. inst. prob. *C.* Et id praecise ostendit a Deo (quoque) *immediate* conservari accidentia; quia conservatio realiter non differt ab actione factiva vel confectiva accidentis, minus adhuc ab actione constanter ac immediate cooperante dum res in esse perdurat. Unde Deus ideo poterit annihilare, quia immediate conservabat.

1068. — *Obi. II.* Artefactum de se instabile imperfectionem denuntiat artificis. Ergo res a Deo facta, perseverare per se impotens, Deum imperfectum faceret.

R. N. par. Divina perfectio infert res cum ea praecise perfectione conficere, quae cum esse creaturae concordet; hoc autem esse totalem petit a Deo *dependentiam*, cuius testificatio erit conservatio. Iam creatura exinde imperfecta erit non *privative* ex carentia sibi debiti, sed *negative* ex carentia ulterioris sibi *indebitae* perfectionis.

1069. — *Obi. III.* Res non tendunt in non esse; quaedam ex his, v. g. anima, exigunt semper esse. Atqui conservatio supponit contrarium. Ergo admitti nequit.

R. N. m. — Aliud est tendere in esse et petere semper esse, aliud tendere in esse *vi propria* sustentandum, et petere esse semper ex propria sufficientia persistendi. De anima ostendimus (in Psych.) naturaliter petere semper esse, sed quomodo id exsequi posset ex propriis an ex alienis, ignorabamus; nunc autem proclamamus intrinsecam animi insufficientiam.

1070. — *Obi. IV.* Si res proprium *esse* ab alio acceptum conservare nequit, nec alienum conservabit. Sibi enim proximior quam alteri est. Atqui alienum conservat. Ergo et proprium.

R. N. M. — Rat. *Dist.* — Proximior sibi entitative ideoque incapacior pro conservatione sui, *C.* Capacior, *N.* « Quia sicut nulli effectui praestari potest, quod sit causa *suipsius*, potest tamen ei praestari, quod sit causa *alterius;* ita etiam nulli effectui praestari potest quod sit *suipsius* conservativus, potest tamen ei praestari quod sit conservativus alterius » (1).

Praeterea conservatio alieni esse ex parte creaturae inadaequata solum est, adaequata nunquam; conservatio igitur Dei *immediata* semper requiritur. Videlicet *consortium* creaturae conservationem Dei non reddit *mediatam;* quamvis enim Deus tunc *mediis* uti creaturis dicatur, adhuc et ipse in immediato consistit contactu cum re conservata. Ad summum igitur *inadaequate* seipsam creatura conservaret; sed etiam hoc improbatum est.

1071. — *Obi. V.* Conservatio effectus ad eum pertinet, a quo effectus pendet in *esse*. Atqui a solo Deo pendet in *esse*, ab aliis in fieri. Ergo creaturae concedi nequit conservatio.

R. D. M. Ad eum quidem pertinet, *C.* Ad eum solum, *Sd.* Si ipse solus fecit rem, *Tr.* Si in consortio creaturae, *Sd.* Si res ab utroque confecta pergere in esse

(1) 1 p., q. 104, a. 2, 2.

naturaliter queat sine influxu effectivo creaturae, *C.* Secus, *N. M.* — *Tr. m.* — *D. p. c.* pro rebus *creatis*, *Tr.* Pro *effectis* a creatura et Deo, *Sd.* Si sine influxu creaturae pergere in esse naturaliter queant, *Tr.* secus, *N. c.*

Thesim aliunde probabamus, nec ex medio obiectione insinuato; transmisso enim huius valore, evenire poterit permanentiam in esse concursu effectivo *etiam creaturae* naturaliter obtineri, ut in actibus vitalibus. Tunc et pro his, etiam in casu, quo eorum esse non consistat in ipso fieri, pro ipsa τοῦ esse conservatione exigi poterit ut causa creata exercere pergat τό fieri effectus (continuatum), quamdiu illorum esse a Deo proprie conservetur. — Quod quidem facilius intellegitur ex reali identificatione actionis factivae et conservativae (Cfr. 2ª p.).

CAPUT XV.

De Concursu.

1072. — Nec creat solum creataque conservat Deus, sed cum operante creatura ipse quoque immediate concurrit cooperans; seu causae creatae pendent a Deo, non in essendo solum sive quoad esse primo cum « quadam novitate seu inceptione » essendi (1) sive quoad pergere in esse sine novitate essendi, sed etiam immediate in omni operari. Quaeritur de *facto* et de *modo* concursus.

Articulus I.

EXSISTENTIA ET NATURA ACTIONIS CONCURSIVAE

§ I. — *Exsistentia concursus immediati.*

Propositio LXVI. **Deus in singulas creaturarum actiones immediate concurrit.**

1073. — *Praenotanda.* I. *Sensus propositionis.* Quoties creatura suam operando activitatem exercet, toties et Deus ipse active intervenit, i. e. divinam potentiam actu exercet. Igitur dum actu loquor, et ipse tunc mecum cooperatur locutionem, sic et meam cogitationem (2).

1074. — II. *Notiones.* *a*) *Concursus* Dei est influxus activus Dei in operationes creaturae; definitur « cooperatio divina ad operationem creaturae ».

b) Pro diversa influxus indole duplex in universum distinguitur concursus: *moralis* et *physicus.* — *Moralis* est influxus causae *moralis*, in vi praeceptorum, consiliorum, minarum, etc. Qui concursus, quia respectu operationis semper mediatus est, cum mediato passim confunditur; mediatus tamen *latius* per se patet, cum et physicus esse possit.

Concursus physicus, unicus perpendendus, est cooperatio physica i. e. per efficientiam physicam. Dividitur in *mediatum* et *immediatum.*

---

(1) S. Th. 1 p., q. 45, a. 3, ad 3.

(2) « Tam Deus quam natura *immediate* operantur; licet ordinentur secundum prius et posterius » (De Pot., q. 3, a. 7, ad 4).

Mediatus est, qui in operationem creaturae *remote* influit, inquantum videlicet activam virtutem suppeditat creaturae, conservatque; unde creaturam *entitative* potius exornat; quia tamen dicta virtus ad operationem ordinatur, subministrans *virtutem*, hoc solo iam quasi a longe ad operationem concurrit cumque creatura in actualem ipsius operationem cooperatur.

Immediatus autem dicitur influxus actualis, exercitium scilicet concurrentis actuale dum creatura actu operatur; cooperatio actualis. Filius regis hostem patriae gladio percutit. Rex, dans praeceptum, concurrit (mediate) *moraliter;* ensem porrigens concurrit *physice* mediate; brachium movens filii concurrit physice *immediate*. Agitur de ultimo.

c) Physicus Dei concursus *generalis* dicitur, nec talis *uno* est titulo: 1) *Extensive*, inquantum in *omnes* cuiusvis creaturae actiones influit sive immanentes sive transeuntes. 2) Velut *qualificative* quoad indolem *concursus*, i. e. quatenus concursus est *ordinarius* per distinctionem a speciali ac *inconsueto* v. g. ad subitam peccatoris poenitentiam. 3) Velut *qualificative* quoad indolem tum *causae* tum *effectus* eidem tribuendi, quatenus nimirum causa tam potens est tamque *universalis* (efficaciae tam *generalis*), ut nulla perfectio, nullus effectus, in iisque ratio exsistat nulla ipsimet impervia, ipsius superans virtutem. Profecto in *omni* actione, in *quovis* effectu, concursui debetur ratio *entis*, creaturae autem ratio *talis* entis et in *quibusdam* tantum rebus. Seu: ratio formalis, *sub qua* Deus (causa *universalis*) efficit res omnesque res, est *ens qua ens;* ratio autem formalis, sub qua creatura (causa particularis) efficit quasdam res, est *tale ens*, et qua *tale*.

1075. — III. *St. q. a*) De concursu Dei morali per legem naturalem etc. tractat Ethica. *b*) Concursus physicus *mediatus* constat ex creatione rerumque cum suis potentiis conservatione. *c*) Quaestio est de *physico immediato*, quoad *factum*. Doctrina *Durandi* factum negantis severe a theologis iudicari consuevit *temeraria, prope haeretica*, vix ferenda ac similiter, ob Scripturam praesertim ac Patres (1). Coram sola nunc ratione rem agimus.

Iam naturali rationi (posita creatione) *aliquis* Dei concursus cumque operantibus creaturis cooperatio facile apparet necessarius; nec id Durandus recusat; sufficere ait *mediatum*. Pro illo nimirum Deus creator virtutes dederat, usque conservat, earumque exercitio adiuncta adaptat, motores parat externos, stimulos movet internos. Quod insuper *immediate* rursum directeque cum operante creatura Deus adlaboret, id non necesse. De potentia Dei *absoluta* possibile hoc esse Arriaga, Hurtado, pauci alii tenent (2).

1076. — *Prob.* 1. Ex perfectione *dominii* Dei. — Deus, primus rerum auctor, perfectissimo utitur dominio supra omnes causas, actiones earumdem

---

(1) Cfr. *Suar.*, M. D., 22, s. 1; unde *Losada:* « Conclusio haec adeo recepta est inter Orthodoxos, ut eam plures existiment prope catholicum dogma, et contrariam, cuius praecipuus defensor est Durandus, erroris *in Fide* damnent » (Phys. Tract. 2, disp. 8, c. 1, n. 1). — *Mendive* sic: « Est sententia communis et certa: nec contraria Durandi opinio tolerari potest » (Theod., n. 243).

(2) Ipsum Aquinatem in Durandi fuisse sententia propugnat *Stufler*, S. I. « Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante », Oeniponte (Innsbruck), 1925. Censet nec ex Scripturis solis Patribusque *solidam* derivari *certitudinem* pro *immediato* concursu, nec theologorum consensum plena pollere vi, contradicente Aquinate (*op. c.*, n. 282).

Sane per haec radicitus a S. Doctore amoveretur attributio praedeterminationum, quae immerito a pluribus eidem fit; sed etiam testimonia pro immediato concursu sat urgere videntur. Videlicet: tria passim distinguere amat: *dare* esse, illud *conservare*, ad operandum *applicare:* « Deus non solum *dat* formas rebus, sed etiam *conservat* eas in esse, et *applicat* eas ad agendum » (1 p., q. 105, a. 5, 3). — Deinde (ib. ad 2) ponit *unicam actionem* a *primo* et secundo agente elicitam (Cfr. de his Huarte ad « Gregorianum », Martio, 1925, pp. 89-114).

ac effectus. *Atqui* non nisi in singulas cuiusque operationes immediate concurrat. *Ergo*...

Maior. Intellege tamen *perfectum*, atque hinc *sapiens* dominium, rerumque naturis aptatum in exercitio, nec omnes ad unam velut massam mechanicam passivam reducens.

Min. 1) Ex parte *creaturae.* Creatura plenius subicietur Deo, si non in fieri solum ac conservari τοῦ esse sui cum virtutibus, sed in singulis quoque virtutum actuationibus a Deo ita dependeat, ut hae ex solo *non actuali* Dei interventu et ipsae suspendi tenerentur. Immo aliter res nec *in fieri* seu nasci sui, nec *in conservari* a Deo penderent; si enim dum has res producebat secunda causa, Deus in eas actu non influebat, res illae quoad fieri nec plenam a Deo nec etiam aliquam ab actuali eius influxu dependentiam habuerunt; nec iam satis apparet curnam deinceps et quandonam Deus velut novum faciet in ipsas ingressum activum, ut actuali easdem influxu *conservet;* conservatio rerum erit solum *mediata.*

Min. 2) Ex parte *Dei.* Perfectioris quidem dominii est, posse Deum, quoties libuerit, opus creaturae per meram impedire concursus *abstentionem*, quam id nonnisi per creaturae destructionem obtinere posse. Atqui sub alia hypothesi Deus ad vitandam operationem creaturae, creaturam ipsam destruere teneretur, i. e. *a*) ignem Babylonicum non urere, ex vi solum opposita naturaeque destructiva obtineret. Naturaliter enim ignis sub debitis exsistens adiunctis (quae tunc dabantur) urit; seu ex sua natura ignis ille in actuali versaretur ustione. Ergo ignis ille, ut ab urendo abstineret, vi ustiva per prius spoliandus erat indeque denaturandus. *b*) Liberam voluntatem ab actu impedire suo potentiae Dei non est denegandum. Si autem non mera concursus suspensione, id obtinebit destruendo naturam potentiae. Ergo.

1077. — *Prob.* 2. Omnis res in suo *conservari* a Deo pendet actu operante. Ergo et in suo fieri seu in productione sui primo esse. Ergo ad omnes rerum effectiones Deus actu operans concurrit.

Ant. Deum positive ac directe res *conservare* (prop. LXV), doctrina est communis (forsan *fidei*, vult Suarez, sed intellegendus de *aliqua* conservatione). Directa positiva vix negata est nisi a Durando (logice quidem), a Klee paucisque aliis (1).

Conseq. Facilius ex terminis apparet conservare quod quis iam habet, quam primo acquirere illud. Ergo si pro primo eius accipere sufficit actuale creatae activitatis exercitium, nec ad eiusdem conservari erit requirendum actuale divinae virtutis exercitium. Seu, ut paulo aliter argumentatur Aquinas: « Videtur inconveniens, ut quod a se non habet esse, a se agere possit, cum etiam a se durare non possit quod a se non est » (2).

1078. — *Prob.* 3. Facultas cum operatione (v. g. immanenti) plus est quam facultas sola. *Atqui* ratio huius velut incrementi bene redditur per Dei cooperationem, difficile sine illa. *Ergo* cooperatio Dei exsistit.

Mai. Sicut anima cum intellectu, substantia cum accidente, plus est quam sola substantia; sic anima cum intellectu et intellectione plus est, quam cum intellectu nudo; potentia cum actu plus, quam sola potentia (quod etiam de actione transeunte valet).

---

(1) Cfr. Beraza, « De Deo Creante », n. 1363.
(2) 2° Dist. 37, q. 2, a. 2.

Min. Sine cooperatione quidem Dei difficilius apparitio evitabitur realitatis adaequato sui explicativo carentis, seu difficilius explicabis undenam facultas crescere queat. Si autem perfectio actus partim ex operatione Dei venire supponatur, tunc inquam novitas perfectionis clarius redditur possibilis. Ergo.

Si ais: Augmentum explicetur ex motoribus *aliis* extrinsecis, qui quasi obolum tradant. *R.* At etiam eorum posito concursu, adhuc facultas in actu primo passim perseverat (voluntas). Ergo *novitas actus* adaequatius Deo cooperante explicabitur.

1079. — *Scholion.* Partitio concursus in *immediatum* ac *mediatum* minime est confundenda cum divisione concursus in concursum actus primi et actus secundi. — Haec enim est *subdivisio immediati*, seu est status duplex, in quo consideratur concursus *immediatus;* qui videlicet appellatur actus primi seu in actu primo, prout *decretum* est concurrendi (ad actiones *immediate*), alio nomine concursus *oblatus*, paratus, hypotheticus; actus autem *secundi* seu in actu *secundo*, prout actu se cum creatura operante exercet: concursus *collatus*, actualis, exhibitus etc.; solus hic proprie dicitur concursus; in actu primo non tam concursus quam *voluntas* concurrendi. Unde etiam: α) concursus in actu primo aeternus est, *formaliter* unus (*volitio* una) *virtualiter* tantum *multiplex;* β) in actu autem secundo temporalis *formaliterque* multiplex (Fusius de his in tractatu concursus simultanei) (1).

1080. — *Obi. I.* Causa materialis et formalis in proprio genere causant, quin in eodem genere Deus cum ipsis concauset; pugnat enim Deum fieri materiam aut formam creaturae. Ergo causa quoque efficiens poterit efficienter sine concausatione Dei causare. Si primum non detrahit dominio, neque alterum.

R. 1º *N. cons. et parit.* Aliud est causare in linea causae *intrinsecae* (*constituendo* creaturam), aliud in linea causae *extrinsecae* (*producendo* creaturam). Pugnantia primi nihil de altero dicit. *R.* 2º *D. Ant.* Causant, quin Deus *efficienter* ipsas conservet, *N.* Quin Deus confiat aut materia aut forma creaturae, *C. Ant.* — *C. Rat.* — *N. c.* Praeterea in mutua duorum communicatione qua tali *novitas* entis nulla, sola adest unio; in *operatione* autem plus habetur, inceptio *entis novi* efficienter producti.

1081. — *Obi. II.* Ad operandum sufficit *virtus activa.* Atqui eam causae secundae habent. Ergo concursus immediatus redundat.

R. D. M. In Ente primo, quod est sua virtus ipsaque sua operatio a nullo pendens, a qua ut a causa universali cetera pendent, *C.* In ente participato, cuius esse et operari dominio causae universalis subici omnino tenentur, *N. M.* — *Ctr. m.* Donantur vi accepta atque hinc dependente ab alio, *C.* Vi a se, independente, sibique plene sufficientissima, *N. m.* — *N. c.*

Virtus activa secundis causis conceditur a Deo; quae virtus in suo licet ordine *completa, absolute* tamen completa non est, ex nuper ostensis. Contrarium accipiens principium petit. Quonam scilicet pacto creaturae quonam gradu sint activae, in lite cum occasionalistis non solvebatur; nunc primo resolvitur.

1082. — *Obi. III.* Virtus causae secundae absolute sufficere dicenda est. Qui enim dat naturam, dat consequentia naturam. Atqui virtus *sufficiens* activa sequitur naturam. Ergo datur ab auctore naturae.

R. C. M. (Qui dat humanitatem dat intellectum, loquelam...) *Dist. m.* sufficiens in linea *propria* causae *secundae*, *Tr.* sufficiens *absolute*, *N. m.* — *D. p. c.* in suo ordine, *Tr.* Absolute, *N. c.* Est in quaestione.

Inst. Atqui Deus, auctor naturae, eam perfectam pleneque sibi sufficientem constituit. Ergo. Quo enim potentior causa sapientiorque, eo perfectius sua ex

---

(1) Cfr. Frins ap. Vacant, « Dictionn. Théol.,. », ad vocem « Concours » (T. 3, c. 782).

parte sui exsequitur opera, atque eo magis opera facta sibimet sufficiunt. Genitor, filium generans adaequate proque omnibus sibi sufficientem, perfectissimus pater haberetur. Atqui Dei creatura eo est perfectior, quo plenius sibi pro operando sufficiens, eo autem imperfectior, quo maiori ad operandum egens subsidio. Ergo Deus mundum patravit sub suis energiis sibi sufficientem.

R. N. m. s. — Ad prob. *D. M.* Sed simul ordinate, ita nempe ut ex tota cogitata perfectione nihil divinis detrahens attributis plenoque causae dominio sequatur, *C.* Inordinate... ut sequatur, *N. M.* — *C.* Exemplum, cum nihil inde contra paternam sequatur dignitatem, sed ideo *N. par.* — *Ctr. m.* Simul ordinate intra sphaeram creaturae posita, *N.* Inordinate absoluti dominii sapientiaeque divinae attentator, *C. m.* — *N. c.* — Explicatio in probationibus propositionis.

1083. — *Obi. IV.* Causa, impotens operari sine actuali influxu altiori, *instrumentalis* est. Sed creaturae causae *principales* sunt pro sua quaeque operatione; ignis pro calefactione, anima pro intellectione... *Ergo* necessitas immediati concursus nulla.

R. D. M. Si intra ambitum id contingit ordinemque causarum *secundarum*, *C.* Absolute, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Ex parte alterius causae secundae, *C. Primae*, *N. cons.*

1084. — *Obi. V.* Necessitas duorum arguit insufficientiam *utriusque* separatim. Atqui saltem de Deo id dici nequit. Ergo necessitas concursus non est.

R. D. M. in eodem sistentium ordine (*duorum* equorum ad currum trahendum), *C.* In diverso, *N. M.* — *Ctr. m.* Et est in *eodem* ordine, *N.* In diverso, *C. m.* — *N. c.*

Explico. Insufficientia cuiusque sequitur quidem pro causis naturalibus totaliter virtutem in opere expendentibus; quia si fuit necessitas utriusque, neuter sufficiebat. At casus praesens alius est. Necessitas duorum hic non *utrimque* est, sed ex *altera* solum parte, cum Deus se *solo* sufficeret. At bonitas summa in creaturas diffusa ipsam quoque activam Dei potentiam voluit ab his participari, gloriam creatoris cum eisdem velut condividi, quin essentiali tamen dominio quidquam detraheretur, nec creatura supra propriam elevaretur sphaeram; igitur legibus dependentiae subiecta, in exercitio virtutis nequibat Dei independentiam imitari.

1085. — *Obi. VI.* Quoties effectus naturam causae superans non conspicitur, causa pronuntiatur se sola sufficiens. Atqui mundani effectus tales se exhibent; calor respectu ignis, intellectio respectu intellectus. Ergo concursus in his non habetur.

R. N. M. eiusque suppositum; mensura capacitatis activae non natura solum causae est, sed etiam sapientia exigentiaeque attributorum Dei. Ipsa conservatio entis creati est aliquid, apparenter quidem creatae activitati proportionatum, reipsa tamen increatam exigens. Ergo non mirum si effectio creaturae a creato concursum increati exposcat.

1086. — *Obi. VII.* In duobus creatura Deo assimilatur: est actu et agit actu. Atqui si ad agendum actu sibi non sufficeret, secunda similitudo periret. Ergo sibi sufficit.

R. D. M. Est similis, *C.* Aequalis, *N. M.* — *Ctr. m.* Periret aequalitas ac univocatio, *C.* Similitudo analogica, *N. m.* — *N. c.* Sicut respectu prioris i. e. τοῦ esse actu, similitudo habetur *analogica* solum: ut Deus *essentialiter*, sic creatura *contingenter* est; ita respectu alterius non gratis sed probando univocationem exclusimus.

1087. — *Obi. VIII.* Si Deus immediate ad creatas concurrit actiones, tunc actio creaturae et cooperatio Dei aut *una* dicuntur actio, aut duplex. Atqui neutrum. Ergo non concurrit.

R. C. M. — *N. m.* saltem quoad 1am partem. Necessitas immediati concursus statui suaderique potest, quin aeque fixe fuerint soluta ulteriora quaedam dubia circa naturam operationis iam sic complicatae, v. g. circa unitatem vel dualitatem

actionis in casu. Pro *unitate* standum esse opinamur. Quo tamen similes obiectiones sub una semper solvantur norma, ipsaque concursus condicio intimius per gradus innotescat, brevis accedit de hoc puncto tractatio.

§ II. — *Natura actionis sub concursu positae.*

Unica actio.

Propositio LXVII. **Actio creaturae et concurrentis Dei una numero eademque indivisibiliter est.**

1088. — *Praenota. St. q.* Adhuc non agimus de modo deque *natura concursus* immediati, sed de natura *actionis* in concreto a creatura operante et a Deo cooperante positae.

Cum enim duae diversae virtutes, creata ac increata, suos actu in operationem exerceant influxus (prop. LXVI), quaeritur utrum sicut virtutes ipsae ita etiam *actiones duae* sint, una Dei, creaturae altera, ut etiam in effectu pars et pars exsistant alteri et alteri disiunctim tribuenda actioni; an potius ambo sic compenetrentur influxus, ut *unam* constituant in singulis extensionis suae partibus tam homogeneam actionem, in qua sicut in effectu, sub cuius fieri actio prehenditur, nullam liceat designare partem, quae uni debeatur quin et alteri debeatur.

Solutio pro *unitate*, sicut primo aspectu durior, sic philosophice verior, vix non cogens apparebit, immo generice vageque sumpta, *communis* dici potest cum Aquinate (1). Cum tamen ad determinationem venitur, hinc inde non levia exsurgunt incommoda, specialia: *a*) pro his, qui veram formalemque Dei *actionem* ad extra, alias (v. g. in creatione) potius supprimunt, eam cum actu divino identificantes seu cum *volitione* ipsa immanenti ac aeterna; *b*) pro his, qui actionem quamlibet in agente ipso non in passo collocant; unde et nonnulli de unitate *effectus* plus quam *actionis* dicere amant, quasi postremam unitatem interdictam vellent, nec immerito; quid enim *divinum* cum creato unificare nefas est.

Pro nobis, utrumque punctum sive actionis sive subiecti actionis aliter cum Aristotele explicantibus (Cfr. prop. LXIII), via nunc sternitur multo expeditior.

Ceterum omnes (sub aliis vel aliis verbis) in re ipsa *capitali* convenire apparet, in eo scilicet, quod formale fieri effectus, τό produci termini, in quo actio creaturae consistit, simul a Deo indivisibiliter atque ita fluat, ut in effectu nihil Deo non tribuendum adsit, sive deinde ille Dei influxus *vera actio* sive aliter nominari velit.

Igitur propositio *quoad rem* communis fere est dicenda (2). Nec praevius concursus (supra notabamus) esset hic immiscendus. *Simultaneum* omnes admittunt; de hoc *solo* directe agimus; de praevio expresse alibi; adhuc quia et praesentem disturbat solutionem, necessaria de eodem dicemus.

---

(1) « Una actio non procedit a duobus agentibus *unius ordinis;* sed nihil prohibet, quin *una* et *eadem actio* procedat a *primo* et *secundo* agente » (1 p., q. 105, a. 5, 2). Ubi nota S. Thomam supponere actionem Dei non in Deo sed *in passo* intrinsecus recipi et reperiri. Nihil enim intrinsecus *divinum* identificatur cum creatura aut cum aliquo *creaturae.* « *Ipsa* naturae *operatio* est etiam operatio virtutis *divinae;* sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis » (De Pot., q. 3, a. 7, ad 3).

(2) Praeeuntibus Capreolo aliisque, expressa habetur apud Ioa. a S. Thoma (Curs. Philos., Phys. q. 25, a. 1). De his maxime Cfr. Fonseca (Met. L. 5°, c. 2, q. 9, s. 3), Suarez (M. D. 22, s. 3, n. 3) et Ioa. a S. Thoma (*l. c.*).

1089. — *Prob.* 1. Si pars una τοῦ fieri termini terminique ipsius non est actio ac effectus Dei sed creaturae *solius*, manente alia utriusque parte Deo tribuenda, tunc: *a*) Pars illa perfecto Dei dominio non subiacet; *b*) Si pro eius effectione virtus creata absolute suffecit, non est cur etiam pro reliquis eiusdem ordinis partibus efficiendis eadem non sufficiat virtus; unde cooperatio Dei innecessaria redditur (contra prop. LXVI). Seu brevius:

Si actio divina unam, actio creata alteram producit effectus partem, pars creaturae respondens a sola procedit creatura, non a Deo. *Ergo* Deus non ad omnes creaturarum actiones effectusque immediate concurrit.

1090. — *Prob.* 2. Directe unitas actionis. Actio non est nisi *produci rei* estque in re facta (aedificatio in aedificato), realiter enim cum passione *identificatur* (Arist., S. Thomas), et passio evidenter est in re *facta*. Ergo ubi unum indivisibiliter produci, ibi una actio. *Atqui* produci apparuit indivisibiliter unum (*Prob.* 1). — *Ergo* actio ipsa est indivisibiliter ac numerice una. Sicut actio causae principalis et instrumentalis, a duabus licet causis procedens, una est (S. Th.).

1091. — *Observa.* In tractione currus a duobus equis (sunt duae causae principales coordinatae et inadaequatae) adhuc effectus, immo actio, dici potest una, nempe tractio currus; at non indivisibiliter una, non stricte una. Videlicet: in quantitate dicti effectus tractionisque pars et pars extensiva datur, alteri ac alteri equo *divisim* respondens. Contrarium accidit in effectu et actione causae principalis et instrumentalis, causae creatae et increatae.

1092. — *Prob.* 3. Deum ad omnes creaturarum sive effectus sive actiones immediate concurrere sub utroque est admittendum aspectu *effectus* et *actionis;* cum iuxta Patres Deus sit causa omnis *effectus*, necnon *actionis* et *operationis* creaturarum. Id autem a pluribus (praedeterministis) ita intellegitur, ut Deus actionem concursivam *primo* ad actionem creati agentis terminet, quam Deus producit vel saltem determinat impulsu physico (in quo consistit *applicatio* causae ad agendum), ideoque actio concursiva per prius sit *actio actionis;* et *deinde* terminetur ad *effectum* Deo creaturaeque communem. Unde in complexivo phaenomeno operationis creaturae cum concursu Dei *duplex* saltem datur *actio:* una *Dei* solius, alia creaturae cum Deo; ac *divina* quidem inquantum praevie (ad effectum) terminatur in *actionem* agentis ut applicatio, ab actione creaturae sequenti realiter distinguitur (ut omnis *causa* a suo *effectu*); inquantum deinde divina actio *simultanee* cum agente creato producit effectum, est *nova* actio, et ipsa (ut quidam volunt) ab actione creaturae distincta; unde potius erunt *tres actiones.*

Atqui 1) *praevia* illa effectio (applicatio) admitti nequit; 2) *simultanea* vero cum actione creaturae *unam* constituit actionem. *Ergo* unica datur actio.

Min. 1ª *pars.* Non datur « *actio actionis* » seu « effectio *effectionis* » seu « actio ad actionem » (Arist., S. Thomas, Silv. M., Suarez... Cfr. prop. LXIII); quia *a*) actio est fieri *termini;* ad summum dici potest quod ipsa *seipsam* facit; *b*) actio agentis non est in agente ipso sed in passo, in effectu; ergo Deus nequit ponere praevie *in agente* actionem, qua agens operatur *aliud. c*) Si actio praevia daretur, redundaret *alia* simultanea ex parte Dei; i. e. eadem praevia, in agente posita, trans agentem *immediate* terminaretur in effectum Deumque *immediatam* retineret effectus causam. Sicut enim *una* actio *medians* inter causam et effectum non reddit causam *mediatam*, sic nec *duplex* actio *medians* reddit causam *mediatam* aut influxum eius *mediatum.*

Min. 2ª *pars.* Constat ex *prob.* 1 et 2.

Aiunt: Una actio nostrae voluntatis producit passim *aliam actionem* v. g. deambulandi. Ergo a pari. *R. N.* parit. Actio voluntatis imperantis deambulationem non producit actionem aliam in voluntate, sed est actus voluntatis, qui *effectum* in pedibus motis producit, vel stricte si loquamur, determinat primo locomotivam, quae deinde producit *effectum*, locomotionem pedum. Igitur actio volitiva terminatur in volitionem (*effectum* unum), et deinde in *effectum* alium receptum in pedibus per activitatem locomotivae; ipsam locomotivam determinat ad motum *sine* eo quod in ea *qualitatem* ullam producat (probabilius in Psychologia id habemus). Igitur nulla in his intercedit *actio actionis.*

1093. — *Obi. I.* Una actio a *duobus* operantibus fluens non concipitur, sicut nec unus motus a duobus motoribus. Atqui calefactio, intellectio, sunt actio una. Ergo Deus, si concurrit, per *novam* actionem concurrit.

R. D. M. Obiective seu terminative et effective, *N.* Subiective et principiative, *Sd.* a duobus adaequatis eiusdem ordinis, *C.* diversi ordinis, *N. M.* Exemplum pariter *D.* Obiective, i. e. motus ipse in mobili, *N.* Principiative, *Sd.* a duobus coordinatis et eiusdem ordinis, *Tr.* Subordinatis ordinisque diversi, *N.* — *C. m.* — *D. p. c.* Si esset eiusdem ordinis, *C.* vel *Tr.* — Si diversi, *N. c.*

« Nihil prohibet, quin una et eadem actio procedat a *primo* et secundo agente » (1 p., q. 105, a. 5, 2).

1094. — *Obi. II.* Pugnat ut actio Dei *increata* et actio creaturae *creata* unum idemque sint. Ergo concurrit per *aliam* actionem.

R. 1º *N.* supposito quod increata volitio immanens sit ipsa *actio* concursus *in actu secundo*, de qua est quaestio. — Volitio seu decretum, qua applicativum divinae virtutis ad *operationem* creaturae, est concursus paratus seu *in actu primo;* illud totum in Deo est (immo Deus), sed non est *actio* aut cum creatura *cooperatio*, in qua tamen consistit concursus *in actu secundo;* hic iam non increatus est, sed *dependentia creaturae* a Deo in sui enasci. Unde

R. 2º in forma. *D. Ant.* Pugnat ut actio immanens Dei, *volitio* ipsa divina (Deus) idem sit cum actione creaturae, *C.* Pugnat ut actio *transiens...*, *N.* vel *Sd.* Si consideretur adhuc causaliter, seu in principiis, ubi non est actio, *Tr.* Si effective seu in termino, ubi revera ceu huius produci reperitur, *N. Ant.* — *N c.* (Quae de creatione ostendimus, a fortiori clariusque de concursu valent).

1095. — *Obi. III.* Si actio creaturae ipsamet et Dei est, aliquid actionis a Deo, aliquid a creatura erit. Atqui id dici nequit. Ergo actio Dei diversa est.

R. 1º *N. M.* Tota a Deo, et tota a creatura indivisibiliter est, fere ut actio posita a causa principali et instrumentali, quae tota indivise utrique adscribitur.

R. 2º *D. M.* i. e. aliquid *causae* seu *virtutis* productivae est Dei, et aliquid *aliud* causae rursum virtutisque productivae est creaturae, *C.* Aliquid *effectus* immo *actionis* formalis est Dei, et aliquid aliud effectus immo actionis formalis est creaturae, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. In calefactione aquae a Sole: 1) effectus, *calor* (aquae) ut 5, totus Dei totusque Solis est, non 3 gradus Dei et 2 Solis. Hinc 2) actio ipsa, quae est fieri et produci 5 graduum caloris, similiter tota Dei totaque creaturae est. 3) *Virtus* activa, e qua actio et effectus fluunt, illa quidem partim Dei partim creaturae est. Virtus igitur *duplex* est, fieri autem effectus *unum.* 4) Unde duplex virtus, prout in actuali exercitio τοῦ fieri reperitur, non est consideranda (ut in causis coordinatis adaequatis) secundum separatam effectionem se habens, sed tam intime velut compenetrata, ut cum *reipsa* alia ab alia maneat distincta, pro externa tamen manifestatione in effectu unico eiusque fieri, i. e. in actione unica, se habeant quasi in unum fusae, identificatae.

1096. — *Obi. IV.* Si actio unica est, tunc effectus *totus* (et actio tota) erit tribuendus Deo, et totus creaturae. Atqui non ita est; sic enim *bis* effectus produceretur. Ergo duae sunt actiones.

R. D. M. Totalitate *effectus*, *C.* Totalitate *virtutis* seu causae, *N. M.* — *Ctr. m.* — et rationem. Si totalitate effectus et totalitate virtutis ab una et alia produceretur, *C.* si solum totalitate effectus, *N.* rat. — *N. c.* (1).

Explico. Sedulo perpende aliud esse totalitatem *virtutis*, aliud totalitatem *actionis* (tota virtus et totus effectus facilius distinguuntur). *a*) Quod effectus tribuatur Deo *totalitate virtutis* significat quod *virtus tota* influens esse effectui est Dei; unde aliam excludit virtutem influentem; idem de creatura. Igitur sic falso tribueretur effectus *totus utrique*. Virtus enim, quae a Deo tunc exercetur, non est tota, quae ad *effectum requiritur* et quam exerceret, si solus Deus illum produceret; sic et de virtute creaturae. *b*) Quod autem effectus tribuatur Deo *totalitate effectus* significat nihil esse in effectu, quod influxum Dei fugerit; similiter de creatura. Sic vere tribuitur totus effectus utrique. *c*) Quod effectus tribuatur Deo totalitate *actionis* (non actus divini) significat nihil dari in *effectu*, cuius fieri ac produci debeatur *soli* influxui virtutis creatae; similiter de creatura. Sic rursum vere utrique tribuitur tota actio; seu totalitas *actionis* sequitur totalitatem *effectus;* hinc de una et alio phrases aeque verificantur; minime autem de causa, virtute et *actione*, si actio pro ipsa *virtute* ac *volitione* divina sumatur. — Erit acceptio *impropria*, a nobis nuper reiecta (nn. **1012-1020**).

1097. — *Obi. V* (Inst.). Cum Deus et creatura producunt rem unam, Deus producit rem *qua ens*, creatura autem *qua tale ens*. Atqui hoc significat a neutro rem fieri totalitate effectus, a fortiori non totalitate actionis, sed sive effectum sive actionem respectu unius et alius *divisibiliter* se habere. Ergo dictae totalitates admitti nequeunt.

R. D. M. Et *ens* et *tale ens* sunt duae reales *partes* effectus producti, *N.* Sunt duae *rationes* universalis ac particularis mentaliter divisae, *C. M.* — *Ctr. m.* Si sensu reali id sumeretur, *C.* secus, *N. m.* — *N. c.*

Videlicet: nec Deus facit *universalia*, v. g. ens, calorem *universalem;* nec Sol vel ignis faciunt *talitatem* caloris sine *ente* calore, v. g. rationem 5 graduum sine calore. — Sed uterque facit *unicam* entitatem totam caloris determinati gradus. « Ignis enim est ens, et ens in igne non est nisi ignis; ideo si *ignis* causat ignem, causat ens; et si *Deus* causat ens in tali materia, causat ignem » (2).

Inst. Tunc sensu caret quod concursus Dei etiam in actu secundo universalior sit, perfectior, generalior, necnon quod ei debeatur ens, creaturae autem *talitas* ac specificatio entis in effectu.

R. D. Caret sensu *reali* i. e. realitatum, quia hoc sensu carere debet, *C.* Caret sensu formalitatum rationis necnon realitatum *praesuppositive* (arguitive), quem *unicum* sensum habere potest, *N.*

Explico. Concursus Dei *in actu primo* (decretum concurrendi) evidenter prior est quam creaturae, perfectior, universalior, generalior (complectitur *omnes* actiones). — *In actu secundo* huius operationis nec prior est nec generalis sed singularis, eadem scilicet creaturae actio; vel tunc si separatim utque *fluens* inspiciatur a virtute Dei, perfectior dicetur, universalior, generalior praesuppositive et arguitive; praesupponit enim (arguit) perfectiorem virtutem, universaliorem... Dei. Passim loquimur quasi Deus universalia produceret a parte rei, immo *ens ut sic;* caute erunt sumendae phrases.

---

(1) « Sicut igitur non est inconveniens quod una actio producatur ex aliquo agente et eius virtute, ita non est inconveniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente et a Deo, ab utroque *immediate*, licet alio et alio modo » (3° c. G., 70). « Patet autem quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab *utroque* secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus » (ib. in fine).

(2) Auctor Defensorii S. Thomae.

1098. — *Illustratur tota doctrina.* Intellectus et species ad intellectionem concurrunt. Species determinat concursum intellectus ad *hanc* intellectionem; concursus autem intellectus dicitur *universalior* (ex virtute ad omnes intellectiones), perfectior, etc. nec in actu primo tantum et qua virtus est, sed in ipso etiam actu secundo. Iam in actu secundo *uterque* concurrens producit intellectionem *hanc*, nec in sensu *reali* verum est quod tunc intellectus producat intellectionem *ut sic*, species autem *talitatem* intellectionis; adhuc in sensu *formalitatum* id tenet. Igitur tunc concursus intellectus, praesuppositive quidem et arguitive dici generalior poterit etiam *in actu secundo*, quippe qui virtutem arguit *plurium* actuum factivam (1).

1099. — *Obi. VI.* Si operatio creaturae tota et Dei est, Deus erit verus *auctor* peccati. Atqui id dici nequit. Ergo concursus Dei *aliter* explicandus.

R. D. M. Si insuper *determinatio* ad illum actum est Dei, *C.* Si non Dei sed creaturae est, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Ita ut praeter operationem creaturae non attribuatur Deo eius determinatio, *C.* Ut nec operatio ipsa sit tota Dei, *N. c.*

Explico. 1. Aliud est quod tota actio illa etiam a Deo ponatur, aliud quod positio eius *decisa fuerit a Deo*, a Deo electa, a Deo determinata. Decisio pertinet tota voluntatis electioni, quae *ita* eam elicuit operationem (a Deo etiam positam), ut eamdem omisisse *potuerit*. Ergo determinatio, non scilicet actus ab ipsa operatione posita distinctus, sed huius connotatio « *ita ut* », pertinet tota ad solam creaturam; supra ipsam igitur responsabilitas cadit, esse auctorem, reum peccati. « Et propter hoc dicitur quod *actio* peccati est a Deo, sed *peccatum* non est a Deo » (q. 3 de Malo, a. 2). 2. Per concursum indifferentem Deus non est arbiter, immo sese velut alteri submittit; quod *alter eligat*, illud facere tenetur. Contrarium est de voluntate creata. Videlicet: ille *determinat* et ille solum (solusque ille est reus), qui prius natura, quam operetur seu influat, *expeditam* habet potestatem *omittendi* actionem aut etiam aliam ponendi. Sed Deus per decretum sese creatae attemperandi libertati, omnino huic quasi renuntiaverat potestati. Ergo non Deus sed creatura operationis exsistentiam determinat (sed de his ex professo infra in art. IV).

1100. — *Obi. VII.* Si eadem creaturae actio etiam Dei actio est, tunc intellectio mea, volitio mea, simul vitalis ac non vitalis erit. Atqui id pugnat. Ergo non est eadem.

R. 1° *N. M.* Est solum ac *simpliciter vitalis*, vita creata non divina.

R. 2° *D. M.* Respectu *eiusdem* viventis, i. e. creaturae, *N.* Respectu diversorum i. e. respectu creaturae ac pro ipsa vitalis, respectu autem Dei ac pro illo non vitalis, *C. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.*

Explico. 1. Concursus Dei necessarius est pro omni nostra actione sive transeunte sive etiam immanente; ille autem *actio* semper *transiens* est, a Deo realiter distincta necnon ab actu seu volitione divina; recipitur semper in creatura (effectu), in qua recipitur et actio agentis creati.

2. Ceterum etiam intellectio, ab intellectu procedens et a specie, in ordine ad intellectum vitalis est, in ordine autem ad *speciem* est non vitalis, cum in specie non recipiatur; adhuc intellectio actio simpliciter vitalis est.

1101. — *Obi. VIII.* Deus agit *per* creaturas; operatur *omnia* in omnibus. Atqui 1um negat immediatum Dei concursum; aliud actionem creaturis denegat. Ergo concursus Dei immediatus non est eadem creaturae actio.

R. D. M. 1am p. *per* creaturas i. e. non ipse solus operatur sed unitus creaturae, *C.* Ipso tunc quiescente, solum creatura operatur, *N.* — 2am p. *D.* Et hoc est *affirmativum*, *C.* Exclusivum, *N.* Id est: Nihil fit a creatura quod et a Deo non fiat, *C.* i. e. omnia a *solo* Deo fiunt, *N.* — *Ctr. m.* Si indebite intellegantur, *C.* secus, *N. m.* — *N. c.*

---

(1) Cfr. Losada, Phys., Tr. 2, d. 8, nn. 8, 9.

1102. — *Observa.* 1° Difficilius (ut diximus) de unitate *actionis* evincimur quam de unitate *effectus*; adhuc tamen in *actione* ipsa quasi extensive intellegimus *nullam* eius partem esse velut vivam, quin a vi penetretur divina, sicut nulla pars actionis instrumenti, quin a principali invadatur, quidquam efficit. — Ut species cum intellectu, voluntas cum habitibus. — 2° Igitur nulla causa secunda est *absolute adaequata* respectu *ullius* effectus. — Adhuc ignis pro igne appellatur *adaequata*. Videlicet adaequata est in *proprio* ordine, ubi complemento non eget; adaequata est *relative;* idque subauditur cum creatam appellamus completam ac adaequatam quin de concursu cogitemus; talis enim adaequatio complementum *superioris* ordinis non excludit.

Articulus II.

CONCURSUS PRAE-DETERMINANS

Propositio LXVIII. **Cum physica praedeterminatio causis naturalibus inutilis, liberis inutilis ac nociva, Deo incohaerens appareat, modus sic concurrendi excludi debet.**

1103. — *Praenotanda.* I. *St. q. generalis.* Agitur de modo in concreto, secundum quem Deus ad actiones creaturarum active concurrit.

1104. — *Ratio difficultatis.* Conciliari debent *dominium* Dei in creaturam, *insufficientia* creaturae ad operandum, cum vera eiusdem *libertate* Deique attributis, sapientia, *sanctitate.* Ea igitur ceteris praeferenda erit explicatio, quae felicius haec in concordiam trahat.

Res praeiudicata in radice dicetur ex charactere a diversis scholis impresso scientiae de futuro ac de futuribili contingentibus. Adhuc sub novo scientiae aspectu officiisque eadem rursus cogitare necesse erit, proximam omnium ad concursum applicationem definire, quo indoles modusque concursus ipsius omnino determinentur.

Circa quod inde a saeculo XVI duo exhibentur systemata substantialiter fixa: *Prae-determinismi* cum Bañezio; *Simultaneismi* indifferentis cum Molina; primum thomistarum, alterum congruistarum, ut dicere amant.

Nunc agimus de concursu *prae-determinante.*

1105. — II. *Exponitur concursus per physicam prae-determinationem.* Praevie: Dupliciter sonat hic concursus: ut *decretum* praedeterminans, et ut *praedeterminatio.* Videlicet: *a*) omnes distinguimus ac separamus concursum *mediatum,* qui sunt *facultates* operativae creaturarum a Deo acceptae (Cfr. prop. LXVI) a concursu *immediato,* qui est *operatio,* cooperatio individualis cum creatura actu operante. Igitur mediatus non debet confundi cum *ullo* statu immediati, cum statu nempe actus primi. *b*) Etenim immediatus, cui soli nunc attendimus, in duplici rursum sistit stadio: *In actu primo* dicitur *paratus* estque aeternus, ipsum concurrendi decretum. *In actu secundo* dicitur *collatus,* estque temporaneus, ipsa *actualis* cooperatio. *c*) Enimvero decretum a diversis *diverse efformatum* concipitur: ab aliis dependenter a scientia media, a *libertate* creaturae; igitur ut *consequens,* non ut prae-determinans; ab aliis independenter ab his, ut *antecedens* et *prae-determinans. d*) Directe quaeritur de concursu immediato *in actu secundo;* evidenter hic decreti *condicionem* sequetur, cuius quasi exsecutio est.

1106. — *Quaestio ipsa et solutio* 1ª. Ad quaesitum: in quonam consistat concursus *actualis* propositio LXVII respondisse videtur, sensu quodam respondit, sub aspectu tamen mere physico ac quasi materialiter; formalius iam subque aspectu velut morali imputabilitatum indoles concursus perpenditur. Age vero praeter simultaneam cooperationem, actioni creaturae identicam (prop. LXVII), alia a Bañezianis admittitur *actio* Dei *praevie* in agente recepta, quaeque agentem ad suam applicet operationem. Unde divinus concursus, in dicta consistens *motione* (realiter *una* iuxta plures), quasi initio constat et fine; *incipit* in *actione* applicante, physice movente (quae a *solo* Deo ponitur), et *terminatur in effectu*, qui a creatura et a Deo producitur.

Id totum includit *prae-determinatio*. Est igitur concursus *praevius-simultaneus* licet praecipue subque nota actionis clare Dei solius *praevius* sit, receptus in *agente*, non adhuc in effectu; hinc *praemotio* seu *prae-determinatio* appellatur (1); cum autem more vis *physice* impellentis se habeat (nec ad instar consilii), *physica* dicitur. Unde

Praedeterminatio physica est: Qualitas realis ac fluens, a solo Deo in causis secundis praevie ad earumdem actionem producta, non per modum virtutis in actu primo, sed quasi motio, applicatio atque ultima determinatio, ut causa ab actu primo ad secundum transeat (2).

Respectu voluntatis est: Qualitas realis ac fluens, a Deo in voluntate praevie ad huius actum secundum producta, quam voluntas nec sibi dare nec datam recusare potest, sine qua recepta actum poni et cum qua recepta actum non poni aut alium poni metaphysice pugnat.

1107. — *Eius natura, characteres.*

1) *Mediat* inter *posse* et *agere* creaturae. *a*) Per ipsam non completur *potentia*, quae in suo actu primo per prius plene constituebatur, ne libertas nimis clare pereat; *b*) nec est actus ipse potentiae, non est *volitio* ipsa voluntatis; sed *c*) *motio* ad volitionem, hanc per prius determinans; *d*) a solo Deo producitur, ut deinde simultanee cum voluntate volitionem operetur.

2) Est *qualitas* activa (de praedicamento *qualitatis*), non tamen virtus permanens, sed *fluens;* motio *transitoria*, huic inserviens actui, hoc cessante cessans (3).

3) Tam absolute *praerequisita*, ut ullam sine ea actionem a creatura poni pugnet.

4) Tam *essentialiter* cum actione (ad quam praemovet) *conexa*, ut eam sub illa non poni, aut *aliam* poni, pugnet.

5) Tam *independenter* a creatura exsistens, ut voluntati nec eam sibi acquirere, nec praesentem recusare liceat.

Unde hic omnia ab arbitrio *Dei* pendent, ab arbitrio *creaturae* nihil.

Efficacia fructuum. Iam decretum, quo Deus coram se solo omnes ab aeterno creaturarum actiones praedefinit, easque decernit per talia praemotionum instrumenta suis obtinere temporibus, medium sane infallibile est *certae* de omnibus *scientiae*, absoluti supra omnia *dominii*, ut faciles taceam problematum Gratiae solutiones. — Sed videndum an humanae cohaereat libertati divinaeque sanctitati.

---

(1) « Praemotio » et « praedeterminatio » synonyme Bañezianis sonant; adhuc in tractatu de Gratia praedeterminatio trahit infallibiliter effectum, non sic praemotio.

(2) Ioa. a S. Thoma, « Curs. phil. ». Phys. q. 25, a. 2. — Explicatius apud Goudin « Philosophia iuxta... », 4 p., q. 4, a. 2.

(3) S. Thomas autem huic motioni titulum denegans *qualitatis* (notaverat Ioa. a S. Th.) qualitatem *permanentem* (ad instar *habitus*) intellexit.

1108. — *Character Scholae.* Pro recentiori thomismo doctrina de scientia concursuque Dei continetur tota in decretis praedeterminantibus cum descripta praemotione, adeo ut praedeterminatio dictis signata attributis appellata a multis fuerit « character Scholae » ac « tessera » veri thomismi (1), subaudi tamen *recentis* seu post Bañez. Quod enim « praemotionem physicam (ut Goudin scribebat) thomistae *omnes* cum utroque gratiae Doctore D. Augustino et D. Thoma, (tenuerint) primates theologi et philosophi... » historice dissonat (2). Profecto:

Ut *Capreolum* aliosque omittam veteres thomistas, qui aut probabilius aut etiam certo (sic Ferrariensis) a talibus abhorrebant motionibus, *Caietanus* pro viribus etiam hic, ut alias, D. Thomae premens vestigia, aperte praeviae motioni resistit: « Non enim oportet, cum aliquis vult aliquid, ceu cum sol illuminat, primam causam *praevia motione* cooperari, sed sufficit et exigitur eam *intrinsece* cooperari tali electioni vel illuminationi » i. e. simultanee (3). Unde et Bañez (4) expresse Caietani thesim refutans, speciatim in id invehitur, quod virtus et actio divina modificetur ex condicione causae secundae aut *determinetur*, ut Ferrariensis dixerat (5). Tempore *Bañez* ac deinceps eximios exstitisse constat thomistas sive extra sive etiam *intra* ordinem dominicanum (Albelda, Araujo...), qui in gratiam humanae libertatis contra *iuniores*, ut aiebant, irruerent thomistas, eo « quod eorum sententia destruatur libertas nec salvetur veritas definitionis Tridentinae » (6). Hos inter eminuit Iosephus de *Vita* (O. P.), auctor operis « De proprio et per se principio... » (1665) contra praedeterminationes ut D. *Thomae* eiusque principiis contrarias, *libertatis* humanae destructivas. — Tandem brevi sed non minus fortiter contra easdem doctrinas scribebat *Papagni* (in opere nuper citato).

1109. — *Adversarii.* Obstant: *a*) integra iuniorum schola thomistarum, quorum haec etiam est laus (ait Losada), ut rem clare inacceptabilem, vi

---

(1) *a*) *Goudin:* « Omnes, qui sincere profitentur se D. Thomam sequi, physicam praemotionem ut scholae thomisticae *tesseram* agnoscunt » (Philos. iuxta... Phys. d. 3, q. 1, a. 4). *b*) *Norbertus de Prado* « De Gratia » passim. *c*) *Sertillanges:* In thomismo aut totum aut nihil: « Il n'y a pas, à cet égard, deux façons d'être thomiste. Il faut adopter l'ensemble ou le laisser; car il est construit, comme le disait Renan, du christianisme, " avec des blocs de granit reliés par des crampons de fer „ » (*S. Thomas d'Aquin*, 2. Ed. Vol. 2, p. 330). *d*) *Losada:* « Cum his attributis, quae *recentioribus* thomistis communiter placent, physica praedeterminatio est velut *character* praecipuus hodiernae Scholae thomisticae » (Phys. tr. 2, disp. 8, c. 5, n. 1).

(2) Obstant: *a*) Non solum tota ab initio Iesuitarum Schola, sed *b*) tota Scotistica duce *Scoto* ut egregie nuper demonstrabat *De San* (De Deo, n. 195). — *c*) Scholastici ex insignioribus aevi medii, alii explicite, implicite vix non omnes, de quibus B. Card. *Bellarmino:* « Auctores *plurimi*, tum Scholastici tum Patres, *dissertis verbis docent non praedeterminari* voluntatem in actibus liberis, immo ut verum fatear *nullum* legi, qui contrarium sentiret... » (Scriptum Bellarmini... citatum a Schneemann « controversiarum... » p. 138). — *d*) *S. Thomas* etiam probabilius immo certo ut plerique neothomistae volunt, de quo plura in utramque partem scribuntur: 1) funditus omnino S. Doctorem anti-praedeterministam fuisse ostendit *De San* (*l. c.*, n. 229 in nota). 2) Deinde *Papagni* (O. P.) speciali opusculo id ipsum persequitur; omnino certum habet S. Thomam de praedeterminatione non cogitasse, eius mentem circa haec a thomistis falsificari. Cfr. « La Mente di S. Tommaso intorno alla Mozione divina nelle creature »; Benevento, 1902. — In cap. 3 ostendit necessitatem motionis *specialis* ad singulas actiones non esse doctrinam Aquinatis; in cap. 4 statuit hanc doctrinam esse *intrinsece falsam* (ad p. 16). 3) Tandem Ioannes *Stufler*, S. I. (Theol. lector Oeniponti), praeclaram de hoc scribebat monographiam « Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante » (Innsbruck, 1923). S. Thomam habet adversarium non praedeterminationum tantum sed cuiusvis *immediati* concursus. — Cfr. v. g. nn. 281, 282.

(3) In 1 p., q. 19, a. 8. — Sic etiam circa phrasim « Causa secunda non agit nisi mota a prima » notavit Fonseca (ut Cai.) esse *metaphoram* ex instrumentis haustam, quae praemoveri solent, *in veritate* autem significari per illud causam secundam *adiuvari* per primam *simultanee cooperantem* (L. 7 Metaph. c. 2, q. 9, s. 2).

(4) Cfr. *Bañez*, In 1 p., q. 19, a. 8.

(5) Cfr. *Ferrar.*, 3° c. G., c. 66, 5°...

(6) *Albelda*, O. P. (In 1 p., q. 19, d. 58, s. 2). Cfr. De San, *l. c.* — Urráb., 8, n. 288...

ingenii subtilitatumque reddiderint probabilem (1). — *b*) E non dominicanis pauci; nuper *Reinstadler*, cui « Sententia thomistica videtur esse *verior*, utpote fundata in deductione stricte logica. Est tamen *durior*, quia stupendum menti humanae praedestinationis mysterium ostendit... Sententia vero Molinistarum est *suavior*, cordi libertatis amanti magis placens, quia mysterium quasi tegere videtur » (2).

Pars 1ª. Praevia motio pro causis *naturalibus inutilis* est.

1110. — *Prob.* 1. Per simultaneum concursum plene obtinentur fines *a*) dominii ex parte Dei, *b*) dependentiae ex parte creaturae, ob quos inducitur praemotio. — Ergo haec redundat.

Antec. Per illum sane quidquid in causa secunda considerari potest (i. e. *virtus* activa, *actio*, *effectus*) a Deo perfecte pendens redditur Deique substans dominio: α) *virtus* fuerat a Deo data aut *immediate* in *creatione*, aut mediante creatura Deo tamen cooperante; a Deo iugiter conservatur. β) *Actio* et *effectus* sine actuali Dei cooperatione dari nequeunt (prop. LXVI). Ergo omnia ad causam pertinentia dominio substant Dei.

1111. — *Prob.* 2. Concedunt causam *qua potentiam* praemotione non compleri, praemotionem titulo solum requiri *applicationis* causae ad actuale operari, more *excitationis* determinantis. Atqui ad neutrum requiritur. Ergo inutilis est.

Min. Applicare sic causam, meritum inquam applicationis, in eo reponunt, quod causa constituatur actu profundens operationem, seu ultimo inclinata ad operari. Atqui ad hoc ipsa de se causa sufficit, praesentibus externis requisitis internoque concursus simultanei. Condicio enim necessariae contra liberam causam, haec praecise est, ut sub illis requisitis sponte in actionem erumpat, seu exactius, in actuali tunc operatione sistat, dicaturque actu agens. Qui plus requirat, id ostendere tenetur. Ergo.

1112. — *Observa.* Causa nuper descripta, ex parte sui velut in actione perpetua reperitur, nihil iam in se recipere petens; actio ipsa nihil novi in causa ponit qua tali sed in subiecto; unde nec per actualem actionem transit de potentia in actum alicuius *sui* sed de actu sui *ad actionem*. Igitur si subiecto actionis receptivo debita adsint adiuncta, *a*) causa in se actu plena nec incrementi indiga versabitur in actione; *b*) atque ab effectu dicetur tunc actu operans. Unde unica actio, sub Dei creaturaeque virtute tunc de novo surgens, in *subiecto* ponetur effectus receptivo (3).

---

(1) *Losada*, l. c., n. 15.

(2) *Reinstadler*, « Elementa Phil. Schol. », Vol. 2, p. 308 (Edit. 5 et 6 et p. 344, Ed. 11 et 12), Friburgi, 1911, et 1923, etc. Laudato auctoris consilio verioribus standi, in casu notabimus mysterium ostendere (coram oculis scilicet ponere) non idem esse ac illud etiam titulo Logicae in intricatis retibus compedire. Deductio autem, ad quam appellat, derivatur ab iis sic dictis principiis « omne quod movetur, ab alio movetur » etc. tam clause sumptis, ut totus inde mundus cum voluntatibus in massam trahatur passivam; quod certe nec logica permittit nec veritas.

(3) Vera haec de causis doctrina clare ab Aquinate traditur: *a*) « In omnibus, quorum *potentia activa* determinata est ad unum, *nihil* requiritur ex parte agentis ad agendum *supra potentiam completam*, dummodo non sit impedimentum ex defectu recipientis ad hoc quod sequatur effectus: sicut patet in omnibus agentibus ex necessitate naturae » (1° c. G., c. 30). *b*) « Sicut enim..., ita et actio ex necessitate formae, per quam agens est actu; sic enim agit ut actu est. Differenter tamen (in actione immanente et in transeunte). Nam in primo genere actionis sequitur ex forma, per quam agens *fit in actu* (i. e. completum), necessitas *actionis ipsius*, quia ad eius esse (actionis) nihil extrinsecum requiritur *in quod actio terminetur*... In secundo autem genere actionis, sequitur ex forma *necessitas actionis, quantum* ad *virtutem agendi;* si enim ignis est calidus, necessarium est ipsum habere virtutem calefaciendi; non tamen necesse est ipsum calefacere, eo quod ab extrin-

Pars 2ª. Praedeterminatio pro causis *liberis inutilis* est ac *nociva*.

1113. *a*) *Inutilis. Prob.* Voluntas ad praesentiam requisitorum potentia est in se *completa*, causis in hoc aequiparanda necessariis. *Atqui* necessariae nulla egent praemotione ut in actionem se profundant (1ª *pars*). *Ergo* nec libera.

Mai. Indifferentia libertatis est *activa electiva* (Cfr. Psych.) non ex defectu sed ex eminentia nascens activitatis aeque capacis ponere ac omittere actum inclinationis sub stimulis boni ab intellectu propositi. Atqui haec capacitas resolvitur in unam prae alia partem non ab extrinseco determinante, sed ab ipsa voluntate. Ergo.

Ad min. In hoc praecise consistit activitas *electiva* et *dominium*. « Dominium est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet, nec in aliquod eorum *determinatur* nisi *ex seipsa*, quod totum convenit voluntati » (1). Nemo enim est *dominus* illius, quod ex aliena solum habet actione, ab ipso independenti. Ergo non externa *praemotio* sed voluntas ipsa actum resolvit. — *NB.* Cum aliunde simultanea Dei *cooperatio* necessaria sit, ex dictis non sequitur voluntatem *se sola* volitionem aliquam ponere (Cfr. prop. LXXI).

1114. — *b*) *Est nociva libertati.*

Prob. 1. Libertas sine *dominio voluntatis* supra actum suum non exsistit; tunc enim imputabilitas, responsabilitas, praemia et poenae sensu carent. *Atqui* sub praedeterminatione tale *dominium* disparet. *Ergo* et libertas.

Min. Ex characteribus praedeterminationis. Etenim: *a*) Tam *essentialiter praerequiritur*, ut sine ea actio non ponatur. Ergo in signo *priori* actio in mea manu non est. *b*) Tam *essentialiter* cum actione *conectitur*, ut sub ea actionem non poni pugnet. Ergo nec in signo *posteriori* actio mei est dominii. *c*) Tam *independens* est, ut eam acquirere non concedatur. Ergo nec eius *procuratio* sub meo cadit dominio. Igitur volitionis positio in nullo signo a me dependet: nec directe (ante aut post receptionem), nec indirecte (quoad receptionem ipsam). Ergo sub praedeterminatione dominium voluntatis supra volitionem perit.

1115. — *Observa.* Igitur *a*) dicere quod sub singulis praedeterminationibus remaneat in voluntate posse ad *contrarium* sub *aliis* adiunctis ponendum, seu in sensu *diviso* a praesenti adiunctorum complexu, vanum est. Singulis enim vicibus eadem repetetur catenatio; ideoque homo, *potentia* vere libera ornatus, ne *unum* quidem ponet unquam actum, qui in sua fuerit manu; hinc punitio quoque esse debebit *potentiae*, a Deo datae, non *operationis*, ab homine positae. *b*) Sed etiam actus ipsi (dicunt) punibiles sunt; praedeterminatio enim *determinat* quidem actum, simul tamen facit ut causa libera *libere* illum ponat, i. e. *determinat* ad *libere* ponendum. *Respondeo:* ad summum *putabit*, illudetur, se libere ponere, sed non *ponet* libere; erit *putative* sed non

---

seco impediri potest... Si igitur talis dispositio, secundum quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria et absolute in agente et patiente, erit *necessitas absoluta* in causa agente, sicut in his, quae *agunt ex necessitate et semper* » (2° c. G., c. 30). Igitur 1° Tales causae propria necessitate versantur in actu pleno, *ex parte sui* etiam in actione, immo *absolute* etiam in actione, subiecto praesente cum adiunctis, quin aliud exspectent, i. e. quin *applicatio* adiungi debeat aut motio ad exercitium. De his ne verbum quidem in relatis testimoniis. Unde 2° Sol, causa in actu, quoniam lucis *receptivum* praesto ei adest, in perenni versatur *actione* (illuminativa), immo in infinitis fere simultaneis actionibus, ex *sola* quidem nativa Solis necessitate iuxta D. Thomam; iuxta illos non sic, sed quia Deus a creatione usque nunc *singulis* momentis *novas* Soli superaddit qualitates (motiones, applicationes). Superflua.

(1) 2° Dist. 39, q. 1, a. 2.

realiter liber. Etenim effectus sine causa dari nequit. Atqui causa *deerat* in casu ad « amo Deum »; prae-motio enim ad amorem, *essentialiter* aliunde requisita, non aderat; ideoque amor Dei *poni* tunc *non potuit*. Ergo nunc omittens amorem, homo *realiter* liber non fuit. Hinc Aquinas: « Deus... non de necessitate eam ad unum determinat, sicut determinat causas naturales, sed *determinatio* actus relinquitur in potestate *voluntatis* et rationis » (De Pot., q. 3, a. 7, ad 13).

1116. — *Prob.* 2. Paulo aliter: « Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad *eum determinatio* sui operis pertineret » (1). *Atqui* sub praedeterminatione determinatio sui operis non pertinet *ad hominem*. *Ergo* sub illa perit libertas.

Min. Nam praedeterminatio ad *actum*, actum ipsum seu operationem *determinat* (Ex 1ª *prob.*). Ergo saltem proxime et directe operationis determinatio ad hominem non pertinet. Atqui neque remote et indirecte; procuratio enim ac praedeterminationis obtentio rursus ad hominem non pertinet. Ergo determinatio sui operis ad hominem simpliciter non pertinet; seu: ergo positio vel omissio suae operationis ab arbitrio creaturae nullatenus pendet; sine quo sane libertas non est.

Urgentur argumenta. Voluntas coram amore hic et nunc inhonesto, vitando, si nec actu habet nec in potestate sua est habere nunc requisitum, sine quo actum illum nunc omitti pugnat, de actu posito respondere nequit, in sua manu non erat. *Atqui* actum posuit praedeterminata ad ipsum atque ita ut requisitum essentiale ad eiusdem omissionem nec actu haberet nec potestate. *Ergo* de actu posito respondere nequit.

Mai. Tunc enim voluntas ad omissionem amoris non magis est expedita quam qui eiectus e turri casum omittere potens diceretur.

Min. Ex natura praedeterminationis. *Retorquet* Goudin: Posita Dei praescientia de hoc actu, hic actus infallibiliter ponetur. — Praescientia autem ab *omnibus* admittitur. Ergo difficultas eadem pro *omnibus* est. *R.* Praescientia iuxta nos non *antecedit* sed *subsequitur* determinationem *a voluntate positam;* hinc nulla pro nobis difficultas. De aliis instantiis infra.

Pars 3ª. Deo autem incohaerens, i. e. divinis opposita attributis, prae primis sanctitati.

1117. — *Praenotanda.* I. *Declaratur sensus.* Praedeterminatio facit Deum verum *auctorem peccati*, cui scilicet peccatum ut vero responsabili sit imputandum, et quidem peccatum simpliciter. Non dicimus *a*) Deum fore tunc *peccatorem* (commissorem peccati), seu quod Deus per illum actum peccaret; legislator enim non sibi imponit legem. Nec dicimus *b*) tunc Deus efficeret cum creatura *actum* ipsum, qui est peccatum *creaturae;* hunc certe et a Deo effici constat ex concursu Dei in *omnem* creaturae operationem. Dicimus *c*) Deo fore *imputandum* peccatum *creaturae.*

1118. — II. *Notiones. Peccatum* definitur libera transgressio legis divinae seu « voluntarius recessus a lege Dei ». Varie dividitur.

Peccatum *commissionis* est quod committitur *positione actus* prohibiti; *omissionis* est quod committitur *omissione actus* praecepti. Huius possibilitas ostensa est in Psychologia.

---

(1) S. Th. In 2º Dist. 28, q. 1, a. 1, et passim.

Nunc attentio ad peccatum fertur *commissionis*. Peccatum dicitur *mere materiale*, quando transgressio indeliberata est ac involuntaria. — *Formale* quando lex scienter et volenter libere violatur (1).

In peccato ipso *formali* distinguitur: *a*) *Materiale peccati*, i. e. *actus* physicus, quasi physicum peccati; est actus voluntatis deliberatus, cum advertentia scilicet ad regulam morum positus; est actus, *qui* peccatum (formale) est. *b*) *Formale peccati*, i. e. *malitia* ipsa, qua actus ille inficitur; est quasi *morale* actus peccati; seu est actus peccati *qua* peccatum est. *Observa.* Haec tamen duo philosophice distinguentes, non intendimus *realiter separabilia esse*, sed quasi duas peccati partes considerari posse: ut concretum (peccati) et formam (peccati).

1119. — *Prob.* 1. Verus *auctor* peccati est, qui positionem actus (qui peccatum est) *determinat*, seu qui plene conscius naturae huius actus in ordine morali, actus videlicet cum suis proprietatibus inhonestatis..., adhuc actum hunc intendit eiusque positionem ita determinat, ut ab illo dependeat quod ponatur potius quam omittatur. Idem dic de determinante omissionem actus ponendi. *Atqui* in hypothesi Deus respectu actus peccaminosi ita se habet. *Ergo* verus auctor peccati est.

Mai. Actus ei ut vero responsabili imputatur, qui scienter volenter actus positionem determinat. — Considera quisnam et curnam sit auctor homicidii, incendii..., cui talia imputentur.

Min. Deus enim positionem mei « volo furtum » physice invicteque determinavit; ad positionem τοῦ « *nolo* » aut ad omissionem τοῦ « volo » concursum denegavit. Aliunde perfecte noverat illud « volo » peccatum esse. Ergo quod actus ille ponatur potius quam omittatur, a Deo dependet.

Aiunt: Sed tunc Deus non *malitiam* ipsam intendit, sed *actum* positivum; i. e. vult *materiale* peccati, non *formale* peccati. *R. Satis est* ut verus auctor peccati sit; secus nec homo peccaret, quia malitiam ipsam non intendit, sed *actum* iucundum amat, iniucundum omittit: « Nemo intendens in malum operatur » (S. Th.). Si conscius actum positivum amavit eumque vel poni vel omitti in sua erat potestate, tunc inquam homo et peccator est (ponit enim actum peccati), et *verus auctor* peccati in sensu praesenti imputationis. Ergo et Deus, hoc solo quod positionem actus positivi ipse determinaverit, verus auctor peccati erit (ad imputationem).

1120. — *Prob.* 2. Deum in hypothesi *verum fore auctorem peccati* simpliciter talis (quoad materiale et formale peccati, seu actus et malitiae).

Etenim *malitia* (sive in negativo consistat sive in positivo), si cum actu physico conscie posito realiter non identificetur, saltem ex eo *resultat* semper et *per se;* seu cum eo inseparabiliter coniungitur. *Ergo* si Deus, quia positionem actus determinat, auctor est *actus* qua talis, auctor quoque *peccati* erit simpliciter, seu etiam auctor actus *qua hic formale peccatum* est.

Antec. Si unum separare ab alio liceret, expedita pateret via ad impunem libidinis fruitionem; actum se non malitiam amavisse omnes reclamarent.

Conseq. Qui vult antecedens vult et consequens, seu qui scienter volenter positionem determinat unius, cui aliud aut identicum aut adiunctum est,

---

(1) Gury-Ferreres, I, n. 143.

etiam hoc aliud determinat ipsique imputatur. Id in se certum inter evidentia passim D. Thomas recenset (1). Hinc

1121. — *Prob.* 3. Qui alium determinat ut actum ponat, quem sine peccato ponere nequit, eum peccare facit verusque auctor peccati est. Id in se manifestum, ex inductione habetur omniumque suasione. *Atqui* creatura in casu actum ipsum (materiale peccati) ponere nequit, nisi peccando (quia scienter). *Ergo* Deus determinans primum etiam alterum determinat, seu verus auctor utriusque est, ideoque peccati.

Aiunt: Sed Deus malitiam producit non *qua malitia* est, sed *qua* physica *entitas*, qua actus vitalis, qua *ens*.

Resp. 1) Non agitur de praecisionibus intellectus, sed de *reali* consecutionum historia. — Sequetur Deum in *sensu reali* esse auctorem malitiae « *fieri* pertinet ad ipsam rem, secundum quod in se est » (2); solum *ficte ab* hoc liberari.

2) Deus non producit *universalia;* non producit ens ut sic, sed entia *determinata;* in casu est *determinate* ens malum, ens malitia, seu ens malitia affectum. Ergo si determinat ac efficit productionem entis illius actusque vitalis, determinat productionem aut resultantiam malitiae; omni modo determinat quod alter (saltem) ponat malitiam formalem.

3) *Ens transcendit* formaliter differentias adeo, ut ne mentaliter quidem liceat differentiam sine ente cogitare. — Ergo a fortiori non poterit *realiter* ens a malitia separari (quae supponitur positiva). Ergo si actum Deus determinat facitque qua ens, etiam determinat et facit qua malitiam.

4) Malitia est formalitas positiva (passim ita volunt), ideoque positive *producta*, et quidem contenditur fieri a *sola* creatura, non a Deo. Atqui tunc *a*) Deus non concurreret ad omnem *positivi* productionem (contra prop. LXVI et LXVII). *b*) Positivum illud non posset imputari *creaturae* ut responsabili, eo quod *necessario* comitetur actum vitalem, qui qua talis determinatus est *a Deo ut poneretur*. — Ergo etiam sic solus Deus erit *totius operationis* pro materiali et pro formali verus auctor moralis, unicus responsabilis. — Ergo omnis evasio devenit certo nulla.

Obicitur in 2am partem. Libertas non perit.

1122. — *Obi. I.* Praedeterminatio, etsi non originarie aut ex parte *principii*, *terminative* tamen in nostra manu est; *praemovet* enim *accommodate* ad libertatem, hanc *perficiendo*.

R. N. assertum cum utraque probatione. *a*) Cum enim uni solum extremo inserviat, eique infallibiliter conectatur illius *determinans* positionem, *terminus* ipse unus prae alio *decisus* per ipsam est; igitur ne *terminative* quidem in nostra manu est. *b*) Nego id possibile esse; cum enim determinatio opponatur indifferentiae, hanc, nedum perficiat, *destruit*. *c*) Conceditur pugnare ut cum praedeterminatione ad actum coniungatur omissio actus. Atqui terminatio ad actum, cuius omissio hic et nunc pugnat, pugnanter dicitur esse in nostra manu. Ergo praedeterminatio ne *terminative* quidem est in nostra manu.

1123. — *Obi. II.* Salvatur indifferentia *facultatis* seu τό *posse*. Etenim: sub motione quidem actuali ad A inque sensu *composito* huius motionis, omissio actus A

---

(1) *a*) » Stultum enim est dicere, quod aliquis intendat aliquid, et non velit illud, quod ut frequenter vel semper adiungitur » (2 Phys. l. 8). *b*) « Si semper vel ut in pluribus adiungatur malum bono, quod per se intendit voluntas, non excusatur a peccato, licet illud malum non per se intendatur. Delectationi autem, quae est in adulterio, semper coniungitur malum... unde non excusatur a peccato... » (De Malo, q. 1, a. 3, ad 15 et per totum).

(2) S. Th. 3 p., q. 24, a. 1, ad 2.

locum habere nunc nequit, sed utique in sensu *diviso* a dicta motione. Ergo ipsum *posse* ponere et omittere salvatur; atque haec est indifferentia facultatis. Seu: non datur quidem facultas *simultatis* i. e. simultaneandi nunc omissionem τοῦ A cum motione actuali ad A, sed datur *etiam nunc* simultas *facultatis*, i. e. cum motione actuali ad A simultaneat nunc facultas seu τό posse actuale τοῦ non A. Etenim in *alia* occasione, cum motio haec non aderit, *potero* omittere actum A. — Igitur cum facultas non mutetur pro temporibus, si deinde in divisione ab hac motione *omittere potest* actum A, signum est etiam dum sub motione ad A posuit inevitabiliter actum A habuisse simul τό *posse omissionis* eiusdem actus A.

R. 1° Denaturatur conceptus libertatis. *Actus* enim liber non *ex eo* est liber, quod facultas *possit deinde* alium actum ponere aut illum omittere, sed *ex eo*, quod *ille actus* ita positus est, ut in mea *tunc* manu fuerit *illum* omittere. *a*) Cantus passeris nunc canentis *non est liber*, attamen deinde poterit facultas canora *a cantu abstinere*. *b*) Canis videns dominum nunc currit, sed quia in sensu diviso potest non currere, *liber* est. *c*) Homo nunc ligatus *libere* omittit templum adire, quia habet nunc posse τοῦ adire *deinde;* etc.

R. 2° Ipsa libertas *facultatis* nugatoria redditur; est enim facultas, quae ne unam quidem ponet operationem non necessario; *ligatio* enim nunc sic, aliter deinde, sed semper *ligatio* repetetur. Puniatur igitur potentia, sed non *operatio* (ut supra).

1124. — *Obi. III* (Instat Goudin). Voluntas praemota ad actum, actumque exercens, habet simultatem τοῦ *posse non agere*, etsi careat potestate simultandi actum cum non actu. Atqui ad libertatem sufficit 1um posse, 2um impossibile immo est. Ergo salvatur libertas. — *Min.* Qui actu sedet habet simul *posse* ambulare deinde, sed dum sedet nequit simultaneare actum sedendi cum non actu. — A pari; in sensu composito nequit, in sensu diviso potest voluntas...

R. In his merum haberi sophisma; exitur e quaestione. Determinate *R.* 1° Si sessio *illa* ab alio fuerat determinata, actus ille sessionis non erit *liber*, cum omnibus posse pro deinde. Ita sunt singuli actus voluntatis. Ergo *nullus* liber.

2° Nemo unquam intendit vindicare homini simultatem sessionis cum non sessione; pro tanta contradictione nullibi adest virtus ne in Deo quidem. — Ignoratio *elenchi*.

3° Si nunc sedet necessario, et deinde ad ambulandum pariter determinari debet, et rursum ad sedendum..., ille homo non habet *libertatem* nec τό posse *facultativum* sedendi et ambulandi; habebit capacitatem passivam recipiendi ab alio flexionem nunc A, deinde B, sicut machina quaedam.

1125. — *NB.* Hic repeti possunt instantiae ac solutiones in Psychologia perpensae circa possibilitatem determinationis ex parte voluntatis: « Nihil reducitur ad actum nisi per ens actu », « idem simul esse nequit in actu et potentia », etc.

Sufficiat inde innuisse *indifferentiam* voluntatis esse *a*) non obiectivam seu ad esse, nec *b*) subiectivam passivam, sed *activam electivam; c*) ideoque *determinativam* sui ad actum.

Praeclara de his documenta apud Aquinatem: *a*) « Sciendum, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum *determinationem* agentis ad actum; et hoc proprie in *potestate* agentis esse dicitur, ut est in *voluntate:* ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, *indifferens* est ad plura; sed quod *determinate exeat in hunc* actum vel in illum, *non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate* ». His causis contraponit causas necessarias (1).

b) « Hoc autem (dominium sui actus) est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet, *nec* ad aliquid eorum *determinatur nisi ex seipsa;* quod tantum voluntati convenit » (2).

c) « Manifestum est quod voluntas movetur *a seipsa* » (3).

---

(1) 2° Dist. 39, q. 1, a. 1, c.
(2) Ib. a. 2, c.
(3) De Malo, q. 6, a. unic.

d) « Voluntas non secundum idem movet et movetur: unde nec secundum idem est in actu et in potentia: sed inquantum actu vult finem, *reducit se de potentia in actum* respectu eorum, quae sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit » (1). — Etc.

Articulus III.

CONCURSUS INTRINSECE INDIFFERENS; PRIMO AD ACTUS BONOS

1126. — *Introductio. Solutio verior.* Supposito facto immediati concursus Dei cum omni creatura inque omne eius operari, modus huius concursus verior proponitur; quid secum sive intra sive extra Deum ferre dicendus sit, per quod virtus Dei efficaciter, suaviter atque ita exerceatur, ut neque divina natura neque creata libertas quidquam inde patiantur. Exclusa severiori praemotionum via, rationes eaedem, quae illam creatae increataeque condicioni incohaerentem ostendebant, fixum imponunt solutionis characterem, *intrinsecam* virtutis *indifferentiam.* Id in genere verum, suis non caret incommodis. Quo facilius haec capessantur, enodentur, de concursu ad bonos malosque actus separatim agemus; concursum ipsum in actu sive primo sive secundo perpendemus.

De concursu ad actus bonos.

§ 1. Exsistentia concursus in actu primo.
§ 2. Natura concursus in actu primo.
§ 3. Concursus in actu secundo.

§ I. — *Exsistentia concursus in actu primo.*

Propositio LXIX. **Datur concursus in actu primo, consistens in aeterno Dei decreto qua virtutis divinae applicativo in tempore ad actiones creaturarum; quod et causam primam cum secundis ad operandum coniungit, et has in actu primo proximo constituit.**

1127. — *Praenotanda. St. q.* — *Sensus propositionis.* Concursus in duplici statu accipi debet. Cum enim sciamus exsistere in actu secundo (propos. LXVI), facile suademur Deum non tunc primo, cum cooperatur, de hoc cogitasse, neque tunc creaturam de novo ingredi, sed ab aeterno sicut res creare decrevit et conservare, ita etiam ad agendum dispositas retinere voluisse. Seu: praeter *actualem* cooperationem, quae concursus *collatus* dicitur et actus secundi, concipimus alium ad modum destinationis specialisque servitii a divina virtute praestandi. Quae destinatio absolute decretata, seu virtus *hoc fine* creaturae applicata, nominatur *concursus* in *actu primo*, *oblatus*, *paratus.*

Quaerenti quid ille determinate proprieque sit, respondemus esse *de-*

(1) Ia-IIae, q. 9, a. 3, ad 1.

cretum non sane *utcumque* omnipotentiam adhibendi (pro effectu v. g. creationis, conservationis), sed ipsam ad singulas creaturae *operationes* actu applicandi. Hinc dicimus *a*) tale decretum exsistere in Deo; *b*) recte appellari concursum actus primi; *c*) decretum alia quoque explere munera: α) Deum cum creatura in ordine ad operandum coniungere; β) merito ipsius causas secundas, quoties externa adsunt requisita, in actu primo operationis *proxime* constitutas reddi.

1128. — *Prob.* 1ª *pars. Exsistit tale decretum.* Nihil Deus inconsulto operatur; igitur in tempore cum creatura cooperans sciens et volens operatur. *Atqui* quae Deus novit et voluit, ab aeterno novit et voluit. *Ergo* exsistit aeternum in Deo decretum potentiam in tempore ad singulas creaturarum actiones applicandi.

1129. — *Prob.* 2ª *pars.* Concursus in actu primo est *decretum.* Nam si concursus in actu secundo est actuale virtutis exercitium in actuali cum creaturis cooperatione; in actu primo erit virtus ipsa, *prout huic* muneri parata, determinata, et applicata. *Atqui* virtus, *prout talis*, est decretum applicandi illam *ad operari* creaturae. *Ergo* concursus in actu primo nihil aliud nisi decretum est.

Min. patet, maxime cum virtus activa Dei a *volitione* ipsa non distinguatur, inde nec a decreto; et omni modo nonnisi per decretum sic applicetur. Ergo aut virtus sola prout talis et huic applicata muneri, aut virtus et decretum seu virtus sub decreto, est concursus in actu primo.

1130. — *Scholion I. Diversa stadia concursus parati.* Virtus in decreto parata: *a*) *ante* creationem, ante unionem virtutis cum creaturis, erit concursus in actu primo *valde remoto; b*) *post* creationem creaturis iam unita, erit in actu *primo remoto, non praesentibus* adhuc aliis ad operandum requisitis; *c*) erit in actu primo *proximo*, eisdem *iam praesentibus* et per prius ad operationem.

1131. — *Scholion II. Variae decreti virtualitates. Eius actus primus. Eius actus secundi.* Concursus actus primi identificatur (ut diximus) cum decreto, *qua* applicativo virtutis ad *operandum* cum creatura; seu est virtus ipsa, *quatenus* applicata ad *operandum cum* creatura. Porro eadem virtus, quatenus destinata (applicata) ad *creandum*, non concursus est sed creatio *in actu primo;* eadem autem, quatenus destinata (applicata) ad *conservandum* in esse creaturas, est *conservatio in* actu primo. Iam *a*) *virtus in se* sub singulis his aspectibus actibusque *primis* quid *divinum* est (est Deus ab aeterno ubique praesens, etiam ubi deinde creaturae dabuntur); cum creaturis actuatis intime quidem unitur, sine immixtione tamen aut inhaerentia, i. e. quin eisdem entitative misceatur in ipsisve subiectetur; est enim actus purus. *b*) Virtutis eiusdem *actus secundi*, creatio scilicet, conservatio et cooperatio, sunt iam creatura vel aliquid *creaturae*, vel quid in *creatura* receptum; singula suis locis probata sunt.

1132. — *Prob.* 3ª *pars.* « Per decretum causa prima coniungitur causae secundae, qua causae ». Nam cum de facto Deus cum creatura cooperetur, utraque causa ad operandum coniungitur in ratione *causae. Atqui* modus Deo dignus coniunctionis hic est, nec alius. *Ergo* per decretum.

Min. Coniunctio *casualis* dedecet Deum praevisorem; coniunctio utriusque ex imperio tertii *superioris* pugnat cum ente *primo*, nec minus coniunctio utriusque ex imperio *creaturae* coniungendae. Ergo solum ex proprio consilio et volitione Dei, seu ex *decreto.*

1133. — *Prob.* 4ª *pars.* Causam secundam in actu primo proximo adaequato *constituit.* Etenim creatura, cum *egeat* concursu (prop. LXVI), sine eo parato nec ipsa erit in actu primo *complete* constituta. *Atqui* Deus inconsulte non agit (1ª *pars*). *Ergo* decretum requiritur, ut causa secunda in actu primo proximo plene constituatur.

1134. — *Coroll.* Ergo concursus in actu primo *concrete* rebusque iam exsistentibus identificatur cum tertia ex tribus classicis Dei praesentiis per essentiam, per praesentiam, per potentiam. Est quasi *pars* huius; est haec inquantum ad *cooperandum* determinata, *non* inquantum *creans, conservans.*

§ II. — *Natura concursus in actu primo seu decreti.*

PROPOSITIO LXX. **Concursus in decreto causis liberis paratus in sua ad extrema libertatis sufficientia intrinsece indifferens est; extrinsecus tamen et quasi obiective ad unum extremum determinatur, pro quo solo erit de facto efficax.**

1135. — *Praenotanda.* 1. *St. q.* Aperitur intrinseca natura, tendentia, significatio, velut concreta decreti de seipso locutio; seu definitur indoles concursus admittendi, ut insigne vereque internum eluceat discrimen, quod hac in re praedeterministas dividit a simultaneistis. Quia vero difficultas in causis urget *liberis*, ad has solas attendimus; concursus enim necessariis coaptatus ad unum in seipso determinatur.

2. Concursus in actu primo est vel *decretum* applicandi virtutem ad actionem, vel *virtus ipsa* prout *huic* destinata muneri; quod autem sub hac destinatione reperiatur creaturae *iam unita*, haberi potest quasi *primus* decreti *fructus* (1). Sane virtutem nunc, qua concursum, melius sumemus ut libertati iam unitam, ad actum secundum de se praeparatam.

1136. — *Prob.* 1ª *pars. Est intrinsece indifferens.* Concursus paratus unum ex praerequisitis est ut causa libera in actu primo constituatur; hinc sufficienter efficax esse tenetur simulque condicioni facultatis adaptatus. *Atqui* tunc pro utroque inserviens extremo, neutrum *ex se* determinans. *Ergo* subiective et intrinsece indifferens est.

Min. Ex se significat ex nativa virtutis indole independenter a scientia Dei de extremo a voluntate libere eligendo. Atqui in illo signo virtus a Deo videri debuit *a*) sufficiens ad utrumlibet, evidenter; nec *b*) aut speciem actus aut exercitium ex se determinans; quia utramque libertatem revereri tenebatur. Ergo *condicioni* facultatis conformatur concursus tunc solum, cum in sua ad utramque sufficientia neutram ex se partem determinat.

1137. — *Prob.* 2ª *pars. Extrinsecus et quasi obiective determinatur.* Etiam dicta virtus (per decretum oblata) a Deo conspicitur estque iam quasi historice et concrete cum *uno* libertatis extremo coniuncta; cooperabitur enim *determinate illud* et *non alia. Atqui* quod virtus cum uno determinate extremo

---

(1) Si decretum sumatur ut habens hunc *fructum*, evidenter efficax semper est, quia cum *hoc fructu* et quasi effectu generali coniungitur semper. Sed efficacia, quae sonat in propositione, se refert ad *aliud*, i. e. ad operationem *creaturae*, quae de facto exerceatur.

iam uniatur, a Deo prout talis conspiciatur, eidem venit non a se (1ª *pars*), sed ab *externa* voluntate sic determinante; de facto etiam virtus cooperabitur ad hanc determinate actionem, ad hunc effectum, non ad alios possibiles. *Ergo* extrinsecus ac velut obiective virtus ad unum extremum determinatur.

1138. — *Observa. Determinari obiective* ac improprie opponitur nunc τῷ determinari *subiective* seu *physice*, i. e. per receptionem in se alicuius *realis* qualitatis; unde obiective idem est ac *terminative;* nec mutationem virtuti importat. *Obiective* autem determinatur virtus seu decretum non a causa solum libera, sed etiam a necessaria, quae Deum necessitat ut aptatum sibi concursum paret. Videlicet: Deus auctor, benefactor, Bonum boni, singulis subvenire decrevit pauperibus; sed quod uni sic, alteri aliter, id a naturis eorum obiective determinatur sine ulla Dei mutatione. Similiter *exercitium* ab externis adiunctis determinatur pro Deo ipso (1).

1139. — *Pars* 3ª. Est efficax pro uno tantum extremo. Etenim decretum bifariam dici potest efficax: *a*) minus proprie, i. e. pro *virtute* sua, quae facultatem reddat *capacem* actus; quo sensu melius dicetur *sufficiens; b*) proprie, quatenus cum *effectu* actuque coniungitur; tunc sane sive voluntas sive decretum ab omnibus appellatur *efficax. Atqui* licet virtus, per decretum parata, ad *alia* quoque libertatis extrema *ex se* sufficiat ideoque facultatem reddat ad illa pariter capacem, de facto tamen nonnisi cum *uno* coniungetur extremo, unum producet effectum unamque actionem. *Ergo* solum respectu *unius* extremi *proprie efficax* est.

1140. — *Coroll.* 1. Ergo decretum concurrendi ad tales has operationes, ad quas solum de facto concurret cooperans, non est decretum *simpliciter antecedens*, i. e. a Deo coram se solo resolutum; sed potius *consequens*, i. e. sub scientia media coram iis efformatum electionibus, quas voluntas sic et sic constituta haberet. Nec alius exsistit modus iuribus consulendi *libertatis.*

1141. — *Coroll.* 2. Ergo decretum illud, *a*) *formaliter* quidem simpliciterque *absolutum*, *b*) *virtualiter* tamen ac *aequivalenter condicionatum* est. Videlicet: *a*) In se quidem categoricum est « Decerno... » seu de facto exsistit, hinc *subiective* absolutum; de obiecto insuper actuque *determinatis*, qui ponentur; unde etiam *obiective* absolutum est: « Decerno concurrere ad actum A », licet utique est praesupponens scientiam mediam « Si creatura *a* collocaretur sic et sub concursu *in se* indifferenti, eligeret A », necnon decretum « decerno creare et sic creaturam *a* collocare »; ad quae quasi *sequitur:* « decerno *de facto iam* concurrere ad actum A ». Igitur *absolutum* redditur pro actu A *post* electionem voluntatis praevisam. *b*) Quia vero haec electio contingens fuit substituique potuit ab electione non τοῦ A sed τοῦ B, tunc decretum applicativum eiusdem virtutis fuisset absolutum pro actu B. Unde *virtus* ipsa quantum *in se est* seu *ex se* ad singula quasi convertitur extrema, seu ex parte sui condicionate se habet hac fere tendentia: « Decerno quidem *hunc* concursum seu concurrere determinate ad actum A; id tamen non decernerem, si creatura nollet actum A, sed B, aut nullum ». Nec aliud significat Deum, ad

(1) Nec aliud intendunt Molina, Montoya..., indifferentiam concursus per hoc explicantes quod ad rationes *generales* tendat; non quod concursus faciat *ens*, *substantiam*, creatura autem *speciem* entis, sunt enim *realiter idem;* sed quod concursus Dei, *unica* virtus *indifferens* et capax omnium, determinatur ad speciem *huius* operationis a causa secunda sicut et ad exercitium.

influendum, quasi exspectare influxum creaturae; nihil ab hac recipit (Cfr. nn. **1153** et **1154**).

1142. — *Scholion. Actus individuus. — Non eligitur a nobis. — Determinatio negativa.* Intrinsecam rerum individuationem unam ab alia intra eamdem speciem v. g. actuum et effectuum discernere nescimus, ideoque nec nostrae subiacere potest electioni, prout specificatio actus exercitiumque subiacent. Hinc *individua* actus determinatio spectat ad decretum, in quo supponitur concursum offerri pro actu A' in una specie A, et pro actu B' in specie B et sic in reliquis, negatis concursibus pro aliis actibus *individuis* intra easdem species; atque id pro libertate sane specificationis in singulis electivis momentis. Similiter et pro libertate exercitii offertur concursus ad actum A' solum, qui et *poni* et *omitti* possit. — Quae individui determinatio respectu causae liberae dicitur et est solum *negativa* non positiva; negato enim ad alia individua concursu, horum omissio decisa est, quin tamen *positio* huius A' prae B' decidatur sicut nec positio ulla; ideoque utraque libertas intacta relinquitur. Quasi iter aggressuro, atque dubitanti mihi an equo, an curru, ex infinitis equis unus A' offerretur, unus currus; iam *negativa* haberetur determinatio, ut patet, minime *positiva;* plena enim adesset sive specificationis sive exercitii libertas: possum curru ire, omittere iter. Alia maior libertas ne dari quidem potest; hinc praecepta speciem praescribunt actus, non individuum: Actum fidei, caritatis, nunquam *hunc* praecise in *individuo* actum; ad impossibile nemo tenetur.

§ III. — *Concursus in actu secundo.*

PROPOSITIO LXXI. **Concursus in actu secundo, cum per simultaneam absolvatur cooperationem virtutis e se indifferentis, determinationem actus voluntati relinquit, quin ideo tamen voluntas volitionem aliquam se sola efficiat.**

1143. — *Praenotanda. St. q.* Concursus *in actu secundo* definitur: *actualis* cooperatio Dei cum creatura actu operante. Cum autem nomine concursus simpliciter haec *actualis* cooperatio significetur, exsistentia necessitasque concursus in actu secundo propugnabatur in propositione LXVI.

Nunc eius *naturam* cum sequelis brevi expendimus; brevi inquam, nec enim aliquid novum quodque virtualiter in concursu actus primi resolutum non sit, resolvendum manet; operatio enim eiusque indoles in indole ipsa virtutis operantis necessario determinantur.

1144. — *Pars* 1ª. Absolvitur per *simultaneam* cooperationem virtutis in se indifferentis. — *Prob.* Actus *secundus* virtutis divinae concurrentis dupliciter evenire capitur atque constitui: *a*) aut per *duas* operationes, quarum prior sit praevia motio, quae a sola virtute increata supra facultatem exerceatur eritque energia divina facultatem operationi « volitioni » applicans; altera autem sit *cooperatio* cum facultate, dum haec ponit actum « volo »; *b*) aut per *unicam* virtutis increatae operationem *simultaneam* cum operatione « volo » facultatis, sed virtutis aut α) *ex se* ad unum determinatae, aut β) *ex se* non determinatae. *Atqui* modus *a*) reiectus est (prop. LXVIII), et in modo *b*) virtus e se ad unum determinata exclusa est (prop. LXX). — *Ergo* manet simultanea tantum cooperatio virtutis *e se indifferentis.* — *Ergo* per hanc absolvitur concursus in actu secundo.

1145. — *Pars* 2ª. Determinationem actus *voluntati* relinquit; i. e. quod haec determinate operatio, prae alia vel prae nulla, fuerit posita, non virtuti

cooperanti sed soli debetur *voluntati:* « Licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam *determinatur* et specificatur » (1).

1146. — *Prob.* 1.Quoties duae causae in unam cooperantur operationem, *determinans* ea dicitur, quae ita operatur ut non operari tunc potuerit. *Atqui* id in casu voluntati, non Deo, competit. *Ergo* determinatio actus non Deo sed voluntati debetur.

Min. Nam *a*) Deus in signo priori ad operationem positam cum creatura non erat proxime potens cooperationem omittere. Ex natura enim decreti ligatus manet Deus ad cooperandum, quoties causa secunda (praesentibus aliis requisitis) operationem profundere vel necessitetur vel capacitetur, proin in sua manu iam non erat cooperationem denegare. Ergo Deus ita est operatus, ut iam non operari non potuerit. *b*) Voluntas autem in eodem signo proxime potens erat operationem omittere. Ex sua enim electiva indifferentia capax erat actum ponere et omittere, nec ad unum divina premebatur virtute, quae indifferens *ex se* nec determinans est (propos. LXIX). Ergo non Deus, sed voluntas *ita* est operata, *ut* potuerit non operari.

1147. — *Prob.* 2. Voluntas sub concursu *dominium* retinet supra suum actum. *Atqui* dominium illud actum *ab alio determinari* excludit. *Ergo* determinatio relinquitur ipsi; seu: ergo « quod (voluntas) determinate exeat in hunc actum vel in illum, *non est ab alio determinante*, sed *ab ipsa voluntate* » (2º Dist. 39, q. 1, a. 1). Probatio est D. Thomae: « Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle vel nolle, excludit determinationem virtutis ad unum » (1º c. G., c. 68). *Confirmatur rursum ex Angelico:* « Deus operatur in omnibus; ita tamen quod in unoquoque secundum eius condicionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut *determinans* naturam ad talem actionem. In *libero* autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen *determinatio actionis* et finis in *potestate* liberi arbitrii constituitur: unde remanet *sibi dominium sui actus*, licet non ita sicut primo agenti » (2).

1148. — *Pars* 3ª. Non ideo voluntas sola efficit aliquam *volitionem.* — In Psychologia sat de hoc egimus; adhuc et hic necessario repetendum.

Prob. Accusatio supponit determinationem esse *novam* pro priori ad actum volitionis volitionem, quasi determinatio sit *volitio volitionis.* Atqui determinatio in quaestione nihil tale est, sed mera *unicae* volitionis (Deo cooperante positae) connotatio ad *causam* indifferentem, expressa per « ita... ut » ... Ergo attributio *determinationis soli* voluntati non secum fert actum aliquem a *sola* voluntate positum. — Pro cuius intellectione perpendatur:

1149. — *Duplex acceptio* « *determinationis* ». « *Determinatio* libera » bifariam sumitur: 1) pro concreto τοῦ « volo » eiusque libertatis, seu volitionis eiusque connotationis ad causam liberam; et tunc est *actus cum* connotatione; ideoque efficienter tum a voluntate tum a Deo ponitur; 2) pro *forma* libertatis,

---

(1) De Pot., q. 1, a. 4, ad 3.

(2) 2º Dist. 25, q. 1, a. 1, ad 3, ibidem Dist. 39, q. 1, a. 2: « Voluntas in his, ad quae se habet indifferenter, non determinatur ad aliquid, *nisi a se ipsa* ». — « Ratio culpae... est ex hoc quod procedit ab eo, quod habet dominium sui actus. Hoc autem est in homine secundum illam potentiam quae ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, *nisi a seipso*, quod tantum voluntati convenit ».

per quam actus « volo » dicitur ac est *liber;* tunc autem *non est actus* volitivus, ideoque proprie a nemine *ponitur;* est igitur *mera connotatio* actus ab utroque positi ad *eam* causam, cui tribuendum sit quod actus fuerit positus potius quam omissus, ad eam videlicet, quae *ita* est operata, *ut* ab operando potuerit abstinuisse. Quia vero in casu *sola* creata voluntas sic se habuit, ad hanc *solam* connotatio habetur, unde et ad hanc solam determinatio libera sic sumpta pertinet, ad liberum *hominis arbitrium.*

In qua « τοῦ volo » forma libertatis paulum insistamus. Si supponamus *a*) illud « volo » sponte ac necessario a voluntate sola enasci, tunc actus necessarius est, sine dicta forma sed cum contraria; ideoque « volitio » tunc est determinatio non *libera*, sed *necessaria*, causam enim connotat praecise necessariam. Si supponamus *b*) illud « volo » poni a voluntate in se quidem libera sed necessitata *tunc* a Deo (libere id decernente), volitio adhuc dici poterit, si placeat, determinatio *libera*, nec erit tamen simpliciter talis sensusque usualis i. e. non erit libera *nobis*, sed *Deo* soli; erit enim connotans arbitrium *divinum* quidem sed non humanum in exercitio expeditum. Si tandem *c*) illud « volo » supponamus (quod verum est) a creata voluntate libere poni, tunc et tunc solum « volitio » dicetur eritque simpliciter *determinatio libera*, i. e. nobis; ideo solum, quia connotat liberum arbitrium *nostrum* in exercitio expeditum. In omnibus tribus casibus *actus* « volo » positus est et a creatura et a Deo, a voluntate sub Dei concursu; solum tamen in 3º casu actus « volo » attribuitur voluntati ut responsabili, quia solum in 3º casu actus ille induitur forma, quae ad solam voluntatem pertinet, eamque solam facit responsabilem positionis unici τοῦ « volo ». — Atque hunc actum *unicum* esse sed cum modo libertatis, clare D. Thomas: « Sciendum quod *aliquis actus* est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum *substantiam* actus (entitatem) quam secundum *determinationem* agentis actum; et hoc proprie *in potestate agentis* esse dicitur, *ut est in voluntate*.. quod (haec) determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, *sed ab ipsa voluntate* » (2º Dist. 39, q. 1, a. 1). Nam « Dicendum quod esse animae non est determinatum a seipsa sed ab alio, sed ipsa determinat sibi suum velle » (De Verit., q 22, a. 6, ad 1). Excludit *omne* aliud determinans, sive creaturam sive Deum, ad actus et bonos et malos.

Observa. Ex insufficiente praefatorum notitia persistens illa nascitur plurium accusatio, systema ipsum quasi circulo clausum damnans; sed immerito (1).

1150. — *Coroll.* 1. Ergo si sub aspectu *prioritatis* determinationem voluntatis cum actuali Dei concursu comparare velimus, voluntas se determinat: *a*) Non prius tempore, quam cooperatio exsistat, ut patet; cooperatio enim simul tempore cum operatione est, determinatio autem eadem operatio est cum connotatione. *b*) Nec prius *natura* quam cooperatio, quia determinatio *non causat* cooperationem. *c*) Prius igitur solum *logice* ac in subsistendi consequentia; inquantum nempe est ratio cur de facto fuerit cooperatio; si ipsa est et cooperatio *esse* tenetur; si ipsa non est, cooperatio *non esse* tenetur.

1151. — *Coroll.* 2. Ergo determinatio voluntatis « volo », licet tota quanta *physice* est, a voluntate et a Deo sit, adhuc sub *formali* ratione determina-

---

(1) Sic v. g. *Farges:* « Igitur Deus quasi exspectare debet ut homo educere velit illum ex sua indifferentia. Qui vero poterit creatura id obtinere, cum nullum possit actum sine concursu producere? » (« L'idée de Dieu »; Paris, 1894, p. 493). — Est ignoratio elenchi; ut apud alios passim.

tionis a *sola* voluntate est; eo fere pacto, quo actio vitalis, licet tota physice et a Deo et a vivente ponatur, adhuc *qua vitalis* soli tribuitur creaturae.

1152. — *Coroll.* 3. Ergo voluntas, cum se determinat, determinat actualem concursum quoad speciem et quoad exercitium; nec tamen per aliquid, quod *re* concursus ipse non sit, sed solum ratione ab eo distinctum; seu actio illa, inquantum creaturae, determinat concursum Dei, qui realiter *eadem* actio est.

1153. — *Scholion I. Tota decreti significatio.* I. Explicita et formalis. — II. Implicita et virtualis. — III. In quonam consistat decreti indifferentia. Quomodo indifferens et determinatum uni eidemque competere queant attentior quaedam decreti analysis dicet.

I. *Continentia et significatio explicita decreti.* — Decretum est totaliter determinatum.

Etenim decretum, quod de facto exsistit in Deo, duabus velut partibus constat: *a*) Decerno *virtutem* meam creaturae unitam habere ad opportune actu cooperandum; *b*) Decerno actu cooperari *ad actum*, i. e. ad operationes a, b, c,... quae successive ponentur. Quoad *a*) decretum evidenter est determinatum; *ponitur* enim volitio Dei determinata de *obiecto* determinato, quod est *unitio virtutis* cum creatura. Quoad *b*) decretum pariter de facto determinatum est, licet solum *extrinsece* i. e. in vi scientiae *mediae*. Etenim licet solum *consequenter* ad hanc scientiam, sed tandem Deus *de facto* decernit concurrere positive et quidem ad determinatam operationem *a* in hoc momento, non autem decernit tunc concurrere etiam ad *a'*, aut ad nullam; quia ponetur aliquid positive et *ponetur a*, non *a'* nec nihil; et id Deus noverat determinate per scientiam mediam. Ergo decretum tunc concurrendi etiam ad *a'* vel ad *nihil*, esset decretum inutile, falsum: « decerno *ponere* aliquid (*a'*) quod *non ponetur; omittere* aliquid quod *ponetur* ». Ergo decretum reipsa in Deo exsistens (exsistit autem dependenter a *scientia media*) in his, quae *explicite* dicit et significat, est totaliter *determinatum* totaliterque absolutum sive *subiective* (decerno) sive *obiective* (ad me uniendum et ad actu cooperandum in operatione *a*) (1).

II. *Significatio implicita decreti.* Attento charactere virtutis *intrinseco*, decretum (ut n. **1141** exposuimus) condicionatum est pro *aliis* extremis actu ponendis; hoc sensu indifferens quoque est; quasi dicens: Decerno quidem cum mea virtute concurrere iam ad actum *a* in tali momento; si tamen scientia media monstrasset actum *alium a'* fore a creatura tunc eligendum (ut evenire potuit), decrevissem sane cum hac eadem virtute ad actum *a'* de facto et in actu secundo concurrere; haec enim virtus ex se aeque sufficiens est ac parata ad *alios* quoque actuales concursus (2).

III. Elucet iam quid sibi velit indifferentia decreti; sequitur decretum dici indifferens *non in se* et formaliter, sed ratione *virtutis* seu potentiae.

Etenim: 1) Decretum est *plene determinatum*, iam ad nihil indifferens nec subiective nec obiective, nec quoad *a*) nec quoad *b*)... 2) Decretum non loquitur de aliis extremis, sed de uno solum iam fixe, quod libertas signaverat atque scientia media praeviderat pro unoquoque momento operativo.

1154. — *Scholion II.* 1° *Tendentia concreta decreti.* 2° *Ulterior quaedam analysis decreti sub hoc titulo.* — 1° Tendentia et significatio decreti, tota quanta in *Scholio I* exposita est. Illud sane decretum *unicum* in Deo, prout sub officio concursus exsistit

---

(1) « Decerno » non significat quamlibet Dei volitionem etiam seriam, sed *efficacem*, seu quae obtinet effectum volitum; v. g. Deus serio *vult omnes* homines salvos fieri, id tamen non *decernit*, i. e. de hoc non habet « decretum »; si id « decrevisset », omnes de facto salvi fierent. Similiter Deus non « decrevit » cum Petro concurrere in actu secundo ad actum confitendi Christum in atrio; secus de facto Petrus Dominum confessus fuisset.

(2) Deus (explicat Suarez) distincte nec caeco modo aut in vago ad actum concurrit particularem; virtus tamen oblata etiam ad alia extrema sufficiens est: « Quamvis Deus praesciat hanc voluntatem non effecturam alios actus..., nihilominus... offert illi sufficientem concursum ad *alios* actus..., ut per Deum non stet, quominus illos efficiat... Alioqui Deus... tolleret potentiam proximam atque adeo libertatem *ad alia* » (De Concursu, Libr. 1°, c. 14, n. 3).

n Deo, undequaque concretum est; i. e. et in se concretum est, et ambae eius tendentiae (iam specie relatae in *Scholio I*) sunt tendentiae *concretae*.

2º Nec concretae solum sed et multo veriores, ut opinamur, quam aliae, quas pauci auctores confingunt in quodam decreto, vel citra mediam scientiam inserviente. Illi scilicet virtute in se perpensa, ex huius dynamicitate saltum faciunt ad decretum; seu virtutem ipsam convertunt in decretum, et quidem titulo *ulterioris* studii et concretioris determinationis, cadentis supra decretum quo Deus concurrit. Timendum tamen ne per similem analysim res in deterius vertatur, falsificetur. Timendum inquam ne per tot circuitus exeatur tandem ad possessionem decreti non incerti solum, sed impossibilis. Significatio decreti concreta, aiunt, est determinatissima ita quidem, ut ad singulos actus unoquoque momento creaturae possibiles decernat concurrere aut *copulative*, aut *disiunctive;* unde decretum infinitis aequivalet decretis, tot nempe, quot actus voluntati tunc possibiles.

Sed decretum tale, praesertim si copulative sumatur, apparet inutile, impossibile: *Inutile*, quia de facto ad *unum* solum concurret, aut ad nullum. — *Impossibile*, quia in uno momento ab una voluntate poni nequeunt operationes a, b, c, d..., i. e. volo sedere *et* ambulare, *et* iacere. Ergo decerneret impossibilia. — *Si ais* 1º: sed id decernit « quantum in ipso est » seu ex parte *Dei*, non autem absolute ut ponantur; — respondeo aeque pugnare: *a*) quia si decernit concurrere (in actu secundo) seu *cooperari*, decernit ut ponantur illi concursus *simul in actu* secundo. *b*) Fingitur Deus *ignorans* seu ad instar ignorantis sese gerens; quod *realiter* evenire nequit (1). *c*) Etiam ex *parte sua* Deus impossibilia decernere nequit; atqui dare cooperationem uni enti ut nunc *et* sedeat *et* ambulet... est dare pugnantia; ergo nec ex parte sui talia decernit. — *Si ais* 2º rem aliter esse concipiendam, sic: Deus decernit dare *virtutem*, quae *et* ad a, *et* ad b, *et* ad c... uno momento sufficiens est, et ex parte sui *disposita* ad singulas operationes i. e. ad cooperandum actu cum creatura sive ad unum sive ad aliud. *R. a*) Haec est nostra doctrina. *b*) Ergo non *decernit concurrere* ad singulas nec copulative nec disiunctive. Porro aliud est *virtus sufficiens* et decernere *dare virtutem* sufficientem ad a, b, c..., aliud *cooperatio actualis* et decernere cooperari actu ad singulas, a, b, c... in singulis momentis. — Primum est possibile immo necessario exsistens in Deo; alterum nec necessarium nec possibile. *c*) Ideo notabamus transitum hic fieri ex *virtute* eiusque condicionibus ad actuale eius *exercitium*. *d*) Tandem si decerneret ad singulas actu cooperari, id *disiunctive* solum decerneret; i. e. virtus *copulative* sufficiens, solum disiunctive posset de facto *ponere* cooperationes; et quia decretum est *de possibili*, si daretur, daretur de cooperando *disiunctive*.

1155. — *Conclusiones*. 1. Ergo decretum in quaestione *unicum* est, et *sub scientia media* formatum: Decerno concurrere ad actum secundum *a* per virtutem ab intrinseco indifferentem in sua ad omnes possibiles sufficientia.

2. Ergo hoc decretum, quod *indifferens* dicitur, est tale non *formaliter* quasi decernens aliquid indeterminatum, id enim implicat, sed *virtualiter* seu ratione *virtutis;* haec enim ex se *non determinat* actum illum determinatum, ad quem solum de facto iam concurret, et ad quem solum iam Deus *decrevit* concurrere cum decreto vere tali et *efficaci*.

3. Ergo quaerenti quem locum occupet in ordine logico divinarum dispositionum decretum (sub tendentia sive copulativa sive disiunctiva) concurrendi ad singulas unoquoque momento possibiles actiones, respondendum est: nullum; in nullo enim signo exsistit.

Obiectiones contra doctrinam totius articuli.

1156. — *Obi. I.* Deus, causa prima, libere omnia decrevit. Ergo nullam permittit ab alio determinationem.

R. D. M. Libere decrevit creationem ideoque *radicaliter* omnia subsequentia, *C.* Etiam formaliter omnia subsequentia, *Sd.* Si non decrevisset dari entia *libera*, *C.*

---

(1) Deus nec *caece* nec *in vago* ad actum concurrit. Cfr. Suar., *l. c.*, De Conc., 1º. c 14, n. 3.

secus, *N. Ant.* — *D. p. c.* Ad *decretum* creandi, *C.* Ad concursum, *Sd.* A necessariis, *C.* A liberis, *Sd.* proprie talem, *C.* Ne impropriam quidem, *N. c.* — Explicatio data est.

1157. — *Obi. II.* Si virtus per decretum oblata indifferens est, de se pluribus actibus aeque inserviens, cum omissionibus aeque componibilis, tunc Deus quasi naturaliter caeceque se gerit. Atqui omnia consilio mensurat. Ergo decretum indifferens non est.

R. D. M. Si et intrinsece et extrinsece indifferens est et qua tale paratur, *C.* Si extrinsece determinata est idque Deo innotescit, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Omnimode, *C.* Intrinsece, *N. c.*

1158. — *Obi. III.* Deus videns sub scientia media actum, qui a voluntate ponetur, providentiae sat consulit, dans virtutem *in se determinatam* ad hunc actum. Atqui inutilia Deus non decernit. Ergo virtutem non decrevit de se indifferentem.

R. 1° *N. suppositum*, quod Deus talem actum videat ponendum fore independenter a concursu, et deinde decernat dare concursum. — Aliter se res habet: Viderat quid *sub concursu* tali, quali... creatura *eligeret;* ipsum dare decernens videt iam quid creatura sub *eodem* faciet *concursu* (qui *electionem* patiebatur); igitur ille in seipso indifferens remanere tenebatur; si enim mutaretur in actu secundo, actus ipse voluntatis non esset liber.

R. 2° *D. M.* Satis sed sapienter, *N.* Non sapienter, *C. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Et tunc egit contra sapientiam, *C.* Sapienter, *N. c.* — Sapientia suos obtinet fines per media rebus accommodata.

1159. — *Obi. IV.* Tale decretum *subiceret* nobis Omnipotentiam, ut ea uteremur; ad placitum enim ipsam determinaremus. Atqui id admitti nequit. Ergo tale decretum non exsistit.

R. N. M. quoad utramque partem. Rat. *D.* Determinaremus eam in *intrinseco* (i. e. Omnipotentiam), *N.* In aliquo *extrinseco* i. e. in actione et effectu, *Sd. Omni*, *N. Aliqua*, quae cum nostra identificatur, *Sd.* Adhuc ex *necessitate* ei ab alio ultimatim veniente, *N.* Ex *dignatione* libera Dei, *Sd.* Etiam tunc retinendo *absolutum* de re tota dominium, *C.* Sub absoluto *alieno* dominio, *N. rat.* — *N. c.*

Explico. 1. *a*) *Subiectio* non propria est et intrinseca; non est *omnipotentiae* ipsius, quae in sua sublimitate intangibilis manet, neque eius *applicatio* a nobis sed a Deo distribuitur. Hinc *b*) Neque *usus* nobis conceditur; usus enim potestatem dicit rem iis applicandi, quibus inservire possit, cum tamen plura sint sub Omnipotentia nobis non permissa. *c*) Res usu accepta, dum usus durat, ab utente pendet; Omnipotentia autem potius a se pendentes facit nostras virtutes, ut ipsa cessante et hae cessare debeant.

2. Subiectio est impropria, *externi* videlicet concursus (*externae* actionis) quoad intentionalem eius determinationem; haec autem a sapientia imponitur ut quid libertati essentiale. « Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad *eum determinatio* sui operis pertineret, ut ex proprio iudicio eligeret hoc, vel illud » (1). Vel ipsa *externa* Omnipotentiae actio: *a*) licet reipsa cum actione creaturae identificetur (2), *nobilior* tamen manet, universalior (ex se), adeo potentior, ut sine ea creatura operetur nihil, ipsa autem sine concursu creaturae possit omnia. *b*) Intervenit non ex impositione sed ex *dignatione*, licet intervenienti terminatio ab alio determinetur (non physice sed mere tendentialiter), ita tamen ut Omnipotentia totam possit deviare actionem atque etiam supprimere sive actionem sive creaturam; igitur absolutum supra omnia dominium in concurrente manet; ruuntque paritates ex baculo... desumptae (3).

---

(1) 2° Dist. 28, q. 1, a. 1.

(2) « *Ipsa* operatio naturae est *etiam* operatio virtutis divinae » (S. Th., De Pot., q. 3, a. 7, ad 3). Si igitur operatio voluntatis, nemine discrepante, *eius subicitur dominio*, etiam concursus externus aliquatenus subicitur subiectione dumtaxat proximae determinabilitatis, ut aiunt.

(3) Innocentius XI damnavit has propositiones: « Deus donat nobis suam *Omnipotentiam* ut ea *utamur*, sicut aliquis donat alteri librum aut villam. — Deus subicit nobis suam Omnipotentiam ».

1160. — *Obi. V.* Nemo negat *determinationem sui* operis ad *hominem* pertinere, sed quod ipsa eveniat *ante* decretum *praedeterminans*. Ergo quod *determinatio* relinquenda sit homini, non est ratio sufficiens ad ponendum decretum de se indifferens.

R. 1° *N. suppositum:* id *possibile* esse: Si enim determinatio venit *post* decretum et hoc erat de se *determinans*, determinatio non *ad hominem* sed *ad decretum* pertinet.

R. 2° Illogice haec obiciuntur. Plures enim *praemotionem* ad actum *primum* trahi prohibent, ne *nimis clare* libertas pereat; aliunde vero Albelda, Godoy..., *decretum* applicativum trahunt ad actum *primum*, ad *posse* voluntatis. Igitur decretum *ipsum* applicativum non erit praedeterminans, ne nimis clare libertas pereat, sed *ex se indifferens*.

1161. — *Obi. VI.* Causa ad alterius nutum concurrens alteri subordinatur, ab altero *pendet*. Atqui de Deo neutrum dici potest. Ergo est determinans.

R. D. M. Incapax de se aliter se gerere, aut intrinseca egens determinatione, *C.* In se plene constituta omnemque avertens additionem, *Sd.* Si in omnibus ita se gerit, *Tr.* Si in aliquibus, *Sd.* Si ex indigentia, *C.* Si ex dignatione, *Sd.* Si per id absoluto detrahitur dominio, *C.* Secus, *N. M.* — *Ctr. m.* — *N. c.* — Explicatio eadem.

1162. — *Obi. VII.* Conceditur determinationem (voli)tionem) a Deo etiam fieri; denominatio autem « determinantis » ideo ipsi non conceditur, quia positio prae omissione τοῦ volo non a Deo pendet sed a creatura. Atqui pendet a Deo. Ergo decretum est determinans. *Prob. Minor.* Quia secus non esset expedite potens ad impediendum actum « volo », sed vere ligatus. Atqui potens ad omnia est. Ergo quod ponatur vel non, a Deo pendet.

R. C. M. — *N. m.* — Ad eius prob. *C. M.* Naturaliter ita est. — *C. m.* — *N. c.* et suppositum id aliquid esse; est enim *contradictio*, pugna Dei secum. Si libertatem dare, revereri decrevit, iam de lege ordinaria ipsam violare nequit. Sicut pro adversariis, si qualitatem dederat praemotionis, simultaneum deinde concursum negare nequit; seu ad omnia potens est; adhuc quod actus ponatur vel non ab ipso non pendet.

1163. — *Obi. VIII.* Tunc Deus concurreret *determinatus a creatura*, quod tamen dici nequit.

R. 1° *N. Ant.* Transitur ab *operatione* ad operantem; potest autem aliquid operationi convenire quin conveniat causae. Unde

R. 2° *D. Ant.* Deus concurrit determinatus a creatura *intrinsece* (quoad *virtutem in se* et in actu primo), *N. Extrinsece* in concursu actus secundi, *Sd.* determinatione liberam supponente Dei dignationem, nec serviliter exsecutioni mandandam, *C.* Aliter, *N. Ant.* — *N. c.* Constituere subditum pro occasionibus ducem, non famulatus sed principatus est atque principis.

1164. — *Observa* pro similium solutione: 1° Quod Omnipotentia ab extrinseco utcumque *determinetur* proprium est causae primae: « Effectus... magis similatur causae secundae, quia per eam *determinatur* quodammodo actus primae causae ad hunc effectum » (1).

2° Nec ideo tamen Omnipotentia dicenda est *subiecta, subordinata, dependens* in operando: *a*) Quia est *Deus* ipse. *b*) Quia denominatio haec causam significat, quae vel ab alio virtutem accipiat, vel alieno applicetur impulsu, vel alieno *egeat* concursu; quorum nihil *Deo* competit.

3° Hinc non *quaevis* determinatio dicit subiectionem determinanti; causa inferior determinat superiorem (S. Th.) tamen... In concreto praeter nostrum casum: α) Deus, posita malitia peccati (a creatura), *determinatur* ad non conservandam ibi gratiam; β) posita praedeterminatione, *determinatur* ad non suspendendum concursum simultaneum; γ) posita promissione Gloriae, *determinatur* ad dandam...; *Omnipotentia* tamen nulli subicitur.

---

(1) De Verit., q. 5, a. 9, ad 10.

Articulus IV.

CONCURSUS AD ACTUS MALOS, AD PECCATA

Propositio LXXII. Deus ad physicam actus mali positionem ita concurrit, ut eam ipse non determinet, nec respectu eiusdem approbative se habeat et ut causa per se, sed permissive solum et ut causa per accidens: ideoque et ideo solum verus auctor peccati Deus non est.

1165. — *Praenotanda.* Actus malus intellegitur *immoralis* (contra divinas leges), actus peccaminosus, peccatum. Notiones de peccato in prop. LXVIII (3ª p., n. **1118**).

1166. — *St. q.* 1. Agimus de *vero* peccato (formali), de *volitione* contra legem Dei scienter posita. *Determinatio* ad peccatum (cuicumque ea sit tribuenda) est determinatio ad *actum malum* seu ad *materiale* peccati; ad *formale* enim, ad puram peccati *malitiam*, creatura saltem ordinarie nec movetur nec determinatur.

2. Propositio continet *duo* explicita et unum implicitum: *a*) Deus *non determinat* voluntatem ad ponendum actum *malum*. *b*) Implicitum: determinatio illius actus *soli* debetur voluntati; soli igitur voluntati quod « volitio » haec (peccatum) posita potius quam omissa fuerit (explicite de hoc in nn. **1145, 1146**). *c*) Ob id solum verus auctor peccati Deus non est (sed homo). Iam

1167. — *Pars* 1ª. *Prob.* 1. Quod ad *omnes* voluntatis actus ideoque etiam ad *malos* Deus physice (immediate) concurrat, vidimus (prop. LXVI). Quod horum positionem ipse non *determinet* colligitur ex articulo III. Si enim decretum *ex se indifferens* est (vim dans *sufficientem*) ut voluntas operetur actum bonum, a fortiori erit indifferens prout ad actum malum cooperatur. Ergo positionem actus mali Deus non determinat.

1168. — *Prob.* 2. Positionem actus ille determinat, a quo pendet ut actus ponatur (potius quam omittatur). *Atqui* id non a Deo pendet. *Ergo* positionem actus mali Deus non determinat.

Min. Quoties duae causae in unam influunt operationem, positio actus ab ea imputabiliter dependet, quae in signo priori ad actionem *expedita proxime* erat ad eiusdem omissionem, non ab ea, quae in eodem signo ad *unam ligabatur* partem. Atqui *a*) primum competit voluntati, *b*) alterum Deo. Ergo positio actus mali a Deo non pendet.

Ad min. a) Indifferentia activa voluntatis (ad nunc agendum et non agendum) de *essentia* est libertatis in actu primo, ideoque sub decreto subsistens. — Erg virtus decreti facere nequit ut voluntas ad *unum* sit nunc expedita; construeret et destrueret idem simul.

b) Virtus decreti, quia libertati coaptatur, ad illud iam ligatur extremum, quod libertas eliget, hinc per prius ad influxum non ita est *expedita*, ut pro suo lubitu influat vel non. Seu: Deus, quia sapienter iuxta naturas concurrere decrevit, ad instar iam concurrit causae necessariae: si voluntas in-

fluit et ego influam, secus abstinere tenebor. Unde: voluntas suam « volitionem » et *efficit et determinat;* Deus eamdem *efficit quin* determinet (Cfr. nn. **1145-1148**).

1169. — *Pars* 2ª. Cum Deus et creatura ponunt actum malum, Deus est causa *non per se*, sed *per accidens* etiam actus physici. Est eadem 1ª pars aliis expressa formulis.

1170. — *Prob.* Causa *per se* (ad casum) ea est, quae *intendit* effectum; *per accidens* autem, quae effectum permittit quin intendat; prima *efficienter* se habet ac *probative*, altera *efficienter* sed *improbative*. *Atqui* Deus in omnes quidem actus influere tenetur, sed omni via (praeceptorum, minarum) a certis nos retrahit actibus, ad eosque invitus cooperatur. *Ergo* in actum malum cooperatur ut causa *per accidens*, ideoque etiam ad materiale peccati concurrit non ut determinans, sed ut efficiens *mere permittens*. Profecto: Physicum actum *a*) Deus prohibet: « non furtum *facies*, non occides »; *b*) si eum probaret, malitiam quoque probaret; haec enim vel cum eo identificatur, vel ex eo fluit: « qui autem *vult* antecedens, vult et consequens ».

1171. — *Pars* 3ª. *Ideo* atque *ideo solum Deus verus auctor peccati non est;* i. e. *a*) Licet Deus actum causet, quia tamen eum non determinat, ideo peccatum ei non imputatur. *b*) Non ex *alia* ratione; Bañeziani aliam assignant: Quia licet entitatem actus pravi (materiale peccati) efficiat, determinet, approbet, nihil enim efficit Deus quin approbet, sed malitiam actus (formale peccati) non facit. Quod ita explicant: Malitia aut 1) stat in *privativo*, et tunc neque actionem Dei ad se terminat, nec ex ea fluit, qua est actio Dei, sed qua est actio *creaturae* de se defectibilis, ut claudicatio non ex vi animae, sed ex tibia resultat deficiente. Aut 2) stat in *positivo*, in actu odii Dei (tendentia positiva); et tunc Deus causat quidem rationem *entis*, vitalitatem (praedicata physica), non vero formalitatem malitiae, cum actu odii utcumque identicae. Tenemus id admitti non posse.

1172. — *Prob.* 1. Ratio Deum a peccato excusandi ea esse nequit, quae exsistens in voluntate hanc a peccato non excusat. *Atqui* voluntas nec amat nec causat per se *malitiam* actus mali, sed mere eam permittit, adhuc peccatum ei imputatur ex hoc *solo*, quod ipsa determinet, approbet, causet *per se* positionem actus physici « volo furtum... ». *Ergo* et Deus *hoc solo* esset verus auctor peccati. Igitur vera *ratio, cur non sit*, est horum evitatio.

Min. Quod voluntas non sit causa *per se* malitiae, neque dum peccat malitiam ipsam intendat *a*) per se patet; *b*) constat ex natura voluntatis et mali; *c*) impossibilitas huius tendentiae amorisque passim ab Aquinate notatur (1). Adhuc quia voluntas *physicum* actum causat per se. eum intendens, determinans, ideo peccatrix est. Ergo.

1173. — *Prob.* 2. Qui vult antecedens, vult et consequens. *Ergo* si Deus positionem actus qua physici et vitalis probative vult, etiam malitiam simpliciter vult. *Atqui* malitiam simpliciter velle est peccatum simpliciter velle. *Ergo* velle probative actum malum tantummodo qua physicum et vitalem, a

---

(1) « Sciendum quod malum *causam per se* habere non potest. Quod quidem tripliciter apparet. Primo quidem, quia illud quod per se causam habet, est *intentum a sua causa*... Malum autem, inquantum huiusmodi, non potest esse intentum, nec aliquo modo *volitum* vel desideratum... Sicut adultero bonum videtur quod delectatione sensibili fruatur, et propter hoc adulterium committit » (De Malo, q. 1, a. 3, c.).

peccato non excusat. *Conseq. Mai.* Positio enim huius actus vel malitia *est, vel* malitiam *trahit.*

Desumitur ex S. Thoma. « Manifestum est quod inordinata actio voluntatis habet rationem culpae; ex hoc enim aliquis vituperatur et culpabilis redditur, quod inordinatam actionem *voluntarie* operatur » (l. c., a. 4, c.).

Dicenti: sed actio *qua inordinata*, nonnisi a creatura amatur, unde sola peccat; *respondet* Aquinas: « Dicendum quod ipse actus *non est volitus* inquantum est inordinatus, sed secundum aliquid aliud: quod dum voluntas quaerit, in praedictam inordinationem incurrit, quam non vellet; et sic *ex eo*, quod est *volitum*, habet rationem culpae » (ib., ad 2).

1174. — *Coroll.* 1. Ergo in phrasi « nihil fit sine *voluntate* Dei », voluntas est sumenda prout ab approbativa et permissiva praescindens, alterutram disiunctive infert (1). Voluntas mere permissiva, licet expresse physicum concursum non dicat, eum tamen subaudit non negandum; porro eius denegatio *impeditio* esset actus; qui autem *permittit*, non *impedit.*

1175. — *Coroll.* 2. Ergo locutio « Actus peccati sicut qua *actus* a creatura Deoque est, sic qua *malus* a sola creatura » non infert *duo positiva*, quorum unum soli debeatur creaturae, sed *unum*, respectu cuius *a*) Deus est *efficiens solum; b*) creatura autem *efficiens et determinans*, hinc *sola* responsabilis; vel etiam sic: Actus malus *a*) *qua actus* et *qua ens* denominat causam *physice influentem; b*) qua *malus* denominat causam *imputabiliter* influentem. — Unde et *malitia* peccati (reitas) denominat *determinantem.*

1176. — *Coroll.* 3. Ergo cum permissione et cooperatione actus conciliatur *seria* eiusdem *nolitio* (non efficax) immo prohibitio. Deus ad omnes quidem actus concurrere tenetur (quasi ex pacto), quosdam adhuc serio prohibet quin efficaciter impediat. Sicut presbyter, peccatori occulto Eucharistiam dans, ex caritate concurrit ad actum, quem tamen serio *reprobat.*

1177. — *Scholion. De acceptionibus particularum « per se »* et *« per accidens ».* Causa *per se* erat causa *intendens*, cui actio *imputetur; per accidens* autem erat *non intendens*, cui actio non imputetur. Est unicus formularum ad propositum sensus: « Quod *per se* causam habet est *intentum* a sua causa » (2). Ceterum quod Deus sit causa *per se* actus mali aliis sensibus, sub quibus τό per se opponitur τῷ per accidens, ultro concedimus. Porro causa *per accidens* varie dicitur: *a*) illud, quod *quin* influat influenti mere unitur, ut esse musicum architecto; *b*) *occasio* (causa occasionalis), v. g. constructor domus respectu litigii de domo suscitati; *c*) causa *casualis* et inconscia, v. g. qui hominem interficit putans beluam esse; *d*) causa *innecessaria*, v. g. ille, qui inter plures ad id paratos homicidium patrat seu: quae non est causa, *sine qua non; e*) quae *praeter* intentionem operatur, seu quae non est causa per se perseitate *attributionis* et *imputationis*, v. g. Deus cooperans ad peccatum; cui opponitur homo peccator. *Ultimo solum* sensu Deum diximus causam *per accidens* actus mali.

1178. — *Obi. I.* Deus omnem actum etiam peccati praecipere potest, quin auctor fiat peccati. Atqui tunc actum approbative vult causatque *per se.* Ergo ratio cur non sit auctor peccati non est quod actum peccati *permittat* solum, nec causet per se — *Maior.* Tam essentialiter est potens praecipere quam potens agere. Atqui est essentialiter potens omnem actum agere. Ergo et praecipere.

R. N. M. — Ad cuius prob. *D. M.* i. e. Est aeque potens praecipere quae *or-*

(1) Ita S. Aug. « Nihil fit, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo ».
(2) S. Th., De Malo, q. 1, a. 3.

dinate praecipi possunt, quam agere quae *physice* fieri possunt, *C.* Quae *inordinate* solum praecipi possunt, *N. M.* — *C. m.* — *D. p. c.* Ergo et praecipere actus, qui ordinate praecipi queant, *C.* alios, *N.*

Neque attentio ad *absolutam* ducatur potentiam, sed ad *ordinatam*, quam unice Deus exercet. Peccatum praecipere non potest. S. Thomas de facto disserens Abrahae cum Isaac, pulchre distinguit inter actus inordinatos *immediate* circa finem aliosque non tales; de primis (nunc ad rem) ait: « huiusmodi nunquam subiacent divino praecepto » « ut peccata quae sunt in Deum, ut odire ipsum, et desperare de eo et huiusmodi » (1). Ab his quidem inordinationem amovere Deus non potest, cum in suo esse *deordinati* a fine sint (2).

1179. — *Obi. II* (Inst.). Deus circa actum peccati *mere permissive* se habere nequit. Etenim in actum et malitiam *diverse* se *habet;* actum producit, malitiam non producit. Atqui in malitiam *mere* se *permissive* habet. Ergo in actum *aliter.*

R. N. inst. — Ad prob. *D. M.* Si malitia in positivo consisteret, *N.* Secus, *Sd.* diverse se *materialiter* habet, *C. Formaliter* et quoad rem *intentionis; N.* — *Dist. p. rat.* — Actum producit mere efficienter ut et malitiam produceret, si in positivo consisteret, *C.* Actum producit *ex intentione* ut non produceret malitiam, licet in positivo consisteret, *N.* — *C. m.* — *D. p. c.* Aliter *formaliter* seu quoad mere permissive, *N.* Materialiter, *Sd.* Quia malitia consistit in negativo, *C.* Si consisteret in positivo, *N. c.* Igitur discrimen *ad rem* seu *formale* nullum (utrumque mere permittit); *materiale* utique in hypothesi (vera) quod malitiam *non efficit.*

1180. — *Obi. III.* Deus in omnia influit ut causa principalissima, creatura autem ut causa secundaria et instrumentalis. Atqui in terminis pugnat causam primam influere *per accidens*, secundariam *per se;* invertuntur causae. Ergo Deus causat *per se* actum peccati.

R. D. M. i. e. ut virtus *imparticipata*, ceterarum fons virtutum, creatura autem ut virtus participata, igitur sensu pro nunc *materiali*, *C.* Sensu pro nunc *formali* principalitatis quoad *imputabilitatem*, *Sd.* In actus ab ipso solo positos necnon in alios *intentos* et praeceptos, *C.* In alios mere permissos, *N. M.* — *Ctr. m.* Id pugnat in aliis sensibus τοῦ per accidens, pro nunc materialibus, *C.* In sensu *formali* quaestionis, *N. m.* — *N. c.*

Explico. Sub aliis acceptionibus τοῦ per accidens, nuper in *Scholio* adumbratis (n. **1177**), concedimus Deum esse causam *per se;* sed nihil ad rem. Omni enim modo Deus manet *primum* principium, a quo cetera profluunt principia virtutesque cum actionibus. « Si voluntas humana actionem aliquam posset *producere*, cuius *actor* (effector) Deus non esset, tunc quidem voluntas humana rationem *primi* principii haberet » (3); in ordine scilicet *efficientiae*, causae causationisque physicae. At in ordine *determinantis* et imputationis non sic; « licet causa *prima maxime* influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam *determinatur* » (4).

1181. — *Obi. IV.* Deus volens actus malos, eos non vult *qua inordinatos*, sed *qua actus.* Atqui per id iam a peccato excusatur. Ergo potest actum determinare, quin auctor peccati reddatur.

R. 1° Retorqueo. Voluntas humana non vult actus malos *qua inordinatos.* Ergo non peccat.

R. 2° *D. M.* Sed qua actus in *abstracto*, *N.* In concreto hic et nunc *cognitos ut malos*, *C. M.* — *Ctr. m.* per non velle actus qua *inordinatos*, *N.* per velle eos qua actus, *Sd.* Si *abstracte* solum cognitos vellet, *Tr.* Si vult eos *concrete* cognitos ut malos, *N. m.* — *N. c.* Etiam pro creatura: « Ipse actus non est volitus *inquantum* est *inordinatus*, sed secundum aliquid *aliud*, quod dum *voluntas quaerit*, in praedictam inor-

---

(1) 1° Dist. 47, q. 1, a. 4, c. in fine.
(2) « Et propter hoc dicitur quod contra praecepta primae tabulae, quae ordinant immediate in Deum, Deus dispensare non potest... » (Ibid.).
(3) 2° Dist. 37, q. 2, a. 2.
(4) De Pot., q. 1, a. 4, ad 3.

dinationem incurrit » (1). « Etenim Deus unamquamque *voluntatem* in *bonum* ordinavit » (2).

1182. — *Obi. V.* Deus potest *sancte* velle, quod sancte facit. Atqui actum ipsum peccati sancte facit; Deus enim *efficienter* concurrere ad actum peccati *bonum est.* Ergo Deus vult simpliciter actum ipsum peccati, ideoque causa est *per se* actus (entitatis) peccati.

R. D. M. Potest *sancte velle* vel approbative vel permissive, *C.* Semper approbative, *N.* vel *Sd.* Quod sancte facit approbative, *C.* Quod sancte facit permissive, *N. M.* — *Tr. m.* eiusque prob. — *D. p. c.* Vult permissive, *C.* Approbative, *N.* et *N.* ult. *cons.*

Inst. Non minus sancta est Omnipotentia quam Voluntas. Ergo si Omnipotentia actum peccati *effective* attingit, Voluntas quoque attingere poterit eumdem actum *affective.*

R. Posse totum transmitti. Voluntas enim *attingit* illum licet *permissive* solum. Si intendatur quod etiam *probative, N. c.* Deinde comparationes attributorum in Sanctitate vix sensum habent. — Scientia *malitiam* peccati cognoscit, attingit, Voluntas minime; Scientia tamen tam sancta est quam Voluntas.

Observa pro instantiis: 1) Deus amat suum ad peccata concursum, sed concursum in *actu primo* (qui est Deus), non in *actu secundo* et externum, qui *realiter* ipsa actio *creaturae* est; quia igitur hanc mere permittit, etiam suum *actualem* concursum mere permittit. 2) Concursus Dei dicitur *malus* respectu *creaturae* eiusve actionis; immo etiam respectu Dei quoad *actualem* cooperationem; licet enim praesuppositive (ratione *voluntatis* permissivae praesuppositae) bonus sit, formaliter ac in se non est bonus, cum prout talis cum *creata* confundatur actione, quae *mala* est. 3) Hinc phrases « Deus ad actum peccati bene sancteque concurrit », « quod Deus ad peccatum in actu secundo concurrat, bonum est »... sonant de *voluntate* Dei praesupposita, non de *actuali* concursu in se; hic enim (actio mala) malus est etsi permissus.

1183. — *Obi. VI.* Deus, ultimus omnium *finis*, omnia ob se facit ut ob finem. Atqui sic omnia causat per se, i. e. *intendendo*, sibi ordinando. Ergo respectu actus peccati Deus est causa *per se.*

R. D. M. Vel intendendo vel permittendo, *C.* Intendendo, *Sd.* Quae solus facit, *C.* Quae cooperans, *Sd.* i. e. omnia, etiam quae solum permissive facit, intrinsecus directeque ordinantur in Deum, *N.* i. e. etiam mala, quae solum permissive fecit, *extrinsecus* et velut reflexe ad se Deus ordinare potest, *C. M.* — *Ctr. m.* Quae solus facit, *C.* Quae cooperans, *Sd.* omnia intendendo, *N.* Sibi omnia ordinando, *Sd.* aut intrinsecus sibi ordinata faciendo, aut extrinsecus solum sibi ordinabilia, *C.* Praecise intrinsecus sibi ordinata, *N. m.* — *N. c.*

Quomodo Deus ipsa *mala* iam patrata in sui aliorumve bonum ordinare queat, diximus (n. **573**); quin unquam peccatum *intendat* tyranni... De hoc tamen peccato tota erat quaestio, utrum Deus illud causaverit *per se.* Ceterae ordinabilitates extra quaestionem cadunt.

1184. — *Obi. VII.* In actu peccati Deus actum ipsum velle potest ac intendere, quin tamen *malitia*, voluntati defectibili debita, Deo imputetur. Sicut claudicatio, quae ab anima fit et a tibia, non animae imputatur sed curvitati tibiae. Ergo Deus, etiamsi causet *per se actum* peccati, non est *auctor* peccati.

R. N. Ant. Ad exemplum: *R.* 1° *Retorquendo.* Ideo non animae sed tibiae claudicatio imputatur, quia non anima sed tibia *determinat* actum concretum gressus obliqui. Ergo actus malus ideo voluntati, non Deo, imputandus, quia non Deus sed anima *determinat* actum malum. Seu sic: Si ipsa esset animica virtus, quae curvitatem tibiae determinaret (incapacitando ad rectum gressum), non tibiae sed animae imputaretur malus gressus; ita si Deus fecisset voluntatem ad malum

---

(1) De Malo, q. 1, a. 4, ad 2.
(2) 1° Dist. 48, q. 1, a. 2.

conformatam (incapacitando ad bonum) non voluntati sed Deo peccatum imputaretur.

R. 2º *N. parit.* Sive Deus sive voluntas *in bonum* inclinantur; igitur deest tibia habitualiter curva « Deus unamquamque voluntatem *in bonum ordinavit* » (1). Unde illi erit defectio tribuenda, qui exsistentiam actus concreti *determinavit* (Deo). Quod si in exemplo insistas, tibia transeunter curva non voluntas sed Deus erit.

R. 3º *Nego suppositum.* In casu anima et tibia sunt voluntas sola; peccatum enim ideo soli imputatur defectibili voluntati, quia « potens deficere » idem est ac « potens eligere » seu potens « determinare ut actus ponatur contra legem »; quod solius est voluntatis. Denique (Cfr. *R.* 2º) tibia vere curva, quaeque ad malos passus sit iam determinata, *nullibi* reperitur, sed sive in Deo sive in homine *recta;* hic et nunc a voluntate transeunter incurvatur, i. e. hic et nunc voluntas curvate se movet, ad actum malum libere *se determinans.*

1184bis. — *Corollarium.* Ergo in ordine ad actus malos nullam aut praedeterminationem aut praemotionem aut motionem admisit Aquinas, quae ex se voluntatem ad unum *determinaret,* sicut nec in ordine ad actus bonos; unde non Deum sed voluntatem utriusque fecit auctorem imputabilitatis. Ergo motiones, applicationes apud S. Thomam *alium* habent sensum.

CAPUT XVI.

De Providentia, Gubernatione et Dominio.

1185. — Deus suam creaturis bonitatem communicare decernens, sicut libere res omnes in tempore condidit, ita fines eisdem necessario imposuit sapientiae Dei rerumque naturis aptatos, tam particulares ac proximos, quam generales et ultimum, sive extrinsecos sive intrinsecos; ultimus autem nonnisi gloria Dei esse potuit.

Hinc ab aeterno mediorum series excogitavit, disposuit, quorum usu res in suos ducerentur fines firmiter suaviter. Ipsum de his consilium *Providentiam,* externam vero exsecutionem *Gubernationem* appellamus.

Utrumque in Deo tam indubie omnes ponimus, ut Deum non providum aut incurium, Deum aio Deistarum, non minus quam Deum futurorum inscium, blaspheme audiamus.

Circa supernaturalem quidem providentiam profunda incumbunt theologis problemata in tractatu de Praedestinatione: « providentia (enim) et praedestinatio tam sunt coniunctae, ut vix possit una sine altera exacte declarari » (2). De naturali nonnihil in superioribus innuisse opus fuit; v. g. in solutione obiectionum Baylii, in scientia de futuris...

Iam ut capitalia saltem puncta sub exactiori quodam perpendamus rigore, agitur enim de re vocibusque perpetui usus, brevis accedit tractatus de Providentia, Gubernatione, Dominio Dei.

---

(1) S. Th. 1º Dist. 8, q. 1, a. 2. — « Ex hoc actus voluntatis humanae conformatur voluntati divinae, quod tendit in bonum, sicut voluntas divina ».

(2) Suarez, « De Deo Uno », L. 3, c. 10, n. 1.

Articulus I.

EXSISTENTIA, EXTENSIO ET CONSTITUTIVUM PROVIDENTIAE

Propositio LXXIII. Datur in Deo providentia de omnibus etiam infimis; specialis de homine. Essentia autem providentiae intellectu voluntateque constitui dicenda est.

1186. — *Praenotanda.* I. *Notiones.* Relativis attributis accensentur Providentia ac Gubernatio, ut praesuppositum et corollaria creationis, quasi decor conservationis. Scilicet: Conservator, Providens, et Gubernator, cum Creatore bono, qui omnium initium est ac finis, coutuntur, proque vero theista in Creatore implicite continentur.

Providentia etymologice a *procul videre* est procul vel ante videntia; usu autem non quaecumque antevidentia, sed solum *practica* seu eorum, quae in praxim venire possunt; hinc providentia est etiam *pro aliquo* vel *in favorem* alicuius videntia rerum practica; seu prospectio rerum pro aliquo agendarum. *a*) Ab Angelico describitur: « Ratio ordinis rerum in finem in divina mente praeexsistens »; *b*) a Boëtio: « Illa ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit » (1); *c*) a Damasceno: « Voluntas Dei, per quam res omnes aptam ad finem directionem accipiunt ». Hinc definiri potest: Divina ordinatio creaturas aptis mediis ad suos fines dirigere statuens.

Providentiam a *dispositione* passim separant (cum S. Thoma) ex eo quod *providentia* respiciat ordinem rerum *ad finem*, *dispositio* autem ordinem potius rerum productarum *ad invicem*, aut partium cum toto (2); sed idemmet S. Doctor dispositionem *largius* quoque accipi posse insinuat (3).

Providentia involvit *curam* de rebus: hinc perceptio est ordinis rerum in fines, non quaevis, sed *practica*, cui videlicet cura admiscetur; in humanis sollicitudinem audit. « Ad (quam) curam duo pertinent, scilicet *ratio ordinis*, quae dicitur providentia, et *exsecutio ordinis*, quae dicitur gubernatio » (4). Unde *providentia* non inepte in *iudicio practico* reponetur circa media res ad suos fines ducendi.

Providentia dividitur in *Moralem* et *Physicam*, prout vel *liberas* hominis actiones vel *quaslibet* omnium rerum respicit. Ad *Moralem* pertinent lex naturalis mentibus impressa, praecepta, consilia, oblatio praemiorum, poenarum minae... *Moralis* rursum vel *Naturalis* est, si ad fines naturales; vel *Supernaturalis*, si ad fines supernaturales hominem conducat. Nunc de *physica* et *morali naturali*.

1187. — *Pars* 1ª. Exsistit Providentia. *Adversantur* anti-providentialistae: In specie 1) *Materialistae* et *fatalistae* (plerique athei) omnis fere aetatis; qui omnia vel casui tribuebant vel fortuito atomorum concursui cum De-

---

(1) De consol. philos., L. 4, Pros. 6. — Ubi *fatum*, quod cum *providentia* comparat, sumit sensu inconsueto, pro *explanatione* providentiae in rebus *necessario operantibus;* ut providentia sit ordinatio *adunata* simul in Deo, fatum autem sit illa ordinatio successive in tempore explicata.

(2) Cfr. De Verit., 5, 1, 9.

(3) « Dispositio autem potest dici tam ratio ordinis rerum in finem, quam ratio ordinis partium in toto » (1 p., q. 22, a. 1, c. in fine); quasi nolens Boëtium corrigere.

(4) 1 p., q. 22, a. 1, ad 2.

mocrito. Sic: *a*) Veteres *graeci* periodi primae Deum ipsum fato subiciebant; similiter *Epicurei* in tertia periodo (1). *b*) *Deistae* naturalistae (2). *c*) Moderni *Bayliani* ob argumenta ac dubia de bonitate Dei in Dictionario Baylii. *d*) Exinde *Encyclopedistae*, Volteriani sectarii.

2) Modo quasi mitiori, titulo solum philosophico *Averroistae* latini (saec. XIII) cum Sigero de Brabantia, fautores theoriae duplicis veritatis. Hi, quia censebant Deo singularia materialia ignota manere, ne horum cognitione νόησις νοήσεως contaminaretur (Arist.), consequenter omnem de his providentiam Deo denegarunt (3). Iisdem Cicero non erit annumerandus (4).

1188. — *Prob.* 1ª *pars.* 1º Providentia non aliud est, quam ordinatio rerum in fines aptis mediis ab aeterno a Deo decreta. *Atqui* Deus ab aeterno hanc rerum ordinationem mente formavit, applicare decrevit. *Ergo* exsistit Providentia.

Min. Deus causa *intellegens*, prout talis ex fine operans nec inconsulte, res a se libere creandas, creatas, derelinquere non poterat, sed aptis mediis ad fines ab ipso intentos in tempore perducere tenebatur, et de facto eas perduci contemplamur (in ordine mundano). Atqui res ipsae incapaces sunt concipere, sibi praefigere ordines; patet. Ergo eosdem concepit, praefixit Deus. Atqui omnia concepit, decrevit ab aeterno. Ergo has ordinationes Deus ipse ab aeterno concepit, decrevit.

1189. — 2º *Paulo aliter.* Exsistit constans rerum in fines tendentia, etiam obstacula tenaciter vincens. — Constat ex argumento *teleologico* pro exsistentia Dei (5ª via). *Atqui* huius auctor tendentiae non est casus aut fortuna, antithesis constantiae, neque res ipsae intellectu carentes. *Ergo* Deus. Sed nonnisi ab aeterno ordinationes concipiens, decernens. Ergo providentia exsistit.

1190. — *Pars* 2ª. De extensione seu amplitudine Providentiae. Providentia est *universalis*, i. e. ne minimas quidem praeteriens res aut viliores, nec individua corruptibilia.

Opponuntur: *a*) Quidam innominati (ap. S. Thomam) volentes providentiae subiacere res incorruptibiles solum, corruptibilium autem non individua sed *species*, quae rursus incorruptibiles sunt. *b*) Alii excludentes in genere res *minimas*, quarum in individuo immediata cura Deum dedeceat. *c*) Rabbi *Moyses*, qui ad mentem non satis fixam *Aristotelis* inter corruptibilia solum hominem providentiae dignum existimavit.

1191. — *Prob.* 1. Providentia se protendit quantum influxus finis seu quantum ordinatio rerum in fines. *Atqui* ordinatio in fines se extendit ad *omnes* res, Deo excepto, sicut ad omnes se extendit causalitas primi agentis, Dei. *Ergo* providentia universalis est.

---

(1) Hinc Apologetae initio christianismi providentiam Dei ubique contra Ethnicos praedicabant, persuadebant: *Athenagoras* ex creatione, *Minutius Felix* ex ordine mundano; hos secutus *Lactantius* « christianus Cicero » copiose providentiam extollebat ex dispositione motuum mundanorum, ex ordinis pulchritudine et constantia, etc.

(2) *Deista* et *Theista* quondam (saec. XVI) synonyma erant; contra atheistas Deum *personalem* significabant; sed deinde (ut alibi notatum est) *Theismus* significavit Deum *providum*...; *Deismus* Deum, qui de rebus ab ipso creatis curam ulterius *non gereret*.

(3) Integrum horum systema, iam tunc a Tempier (Episcopo Parisino) pluries damnatum, a Schola merito pro semper exulavit.

(4) *Arguitive* forsan, quia amore creatae libertatis praescientiam futurorum Deo abstulerat (notavit Augustinus); formaliter tamen expliciteque divinam profitetur providentiam, quam summis extollit laudibus.

Mai. Providentia non aliud est, quam *ordinatio* rerum in fines maxime ultimum, qui est bonitas Dei.

Min. Deus enim *omnia propter finem* operatur, nec divina suprematia permittere potest quidpiam, sibi extrinsecum, supremum esse finem. Solus Deus est inordinabilis ad alium.

1192. — *Prob.* 2. Ideo restringitur, quia de singulis etiam infimis personaliter immediateque cogitare, curam gerere, Deum dedeceat. *Atqui* Deum id non dedecet immo commendat. *Ergo.*

Min. Alii rectores ab his se expediunt, non *per se* seu ratione dedecoris, sed *ex impotentia* de singulis personaliter *providendi.* « Habere ministros *exsecutores* suae providentiae pertinet ad *dignitatem* regis. Sed, quod non habeat *rationem* eorum, quae per eos agenda sunt, est ex *defectu* ipsius » (1).

1193. — *Pars* 3ª. Specialem de homine providentiam habet. Id in oeconomia supernaturali egregie splendens, etiam in ordine *naturali* elucet.

Prob. 1. Sapientis perfectique provisoris est ut selectiores iis reservet curas, quos ob maiorem excellentiam maiori prosequatur amore, si ipsa praesertim nobilitatis condicio finalem eorum sortem in discrimen adducat. *Atqui* ita est de homine nobili sed liberi arbitrii. *Ergo.*

Maiorem pulchre subornat Aquinas: *a*) « Quanto est aliquid *propinquius* primo principio, tanto nobilius sub ordine providentiae collocatur » (2). *b*) « Quanto Deus aliqua *magis amat*, tanto magis sub eius providentia cadunt »; confirmat ex Philosopho, de his « tanquam de suis amicis » Deum curare (3).

Min. Sane etiam insculpta in eo lege naturali, ne libertas in lucta cum stimulis ad praevaricandum languescat, singularia petit praesidia, propitias adiunctorum coaptationes, etc.

1194. — *Prob.* 2. Ex ipsa providentiae *constitutione*, quae pro homine *specialis* sit. Provisor sapiens media ad finem excogitare tenetur atque decernere, secundum rerum naturas; talia nempe, quibus suaviter res singulas fortiterque muniat, ad fines ducat; seu eam tenetur constituere, velut formulare, providentiae formam, quae ducendorum coaptetur condicionibus. *Atqui* id pro ente libero obtinere non poterit nisi via *speciali* studioque velut intricatiori, i. e. nisi per usum scientiae *mediae. Ergo* providentia in hominem *specialis* est.

Min. Respectu *ceterorum*, norma providentiae sicut constitutio in ipsis rerum naturis native insignitur, nec aliud insuper exspectare aut investigare suadetur Deus pro debito in his motuum regimine, mediorum subministratione. Respectu vero *hominis* quasi exspectare adhuc tenetur ac explorare quid unaquaeque voluntas in singulis eligat condicionate adiunctis, sub singulis auxiliis mediisve. — Postquam id sub *media scientia* vidit, tunc quasi formula tenendae providentiae resolvitur. Id petit dogma libertatis. — Ergo *novis* velut industriis providentiam circa homines efformat.

---

(1) 1 p., q. 22, a. 3, ad 1.
(2) De Verit., q. 5, a. 5.
(3) 3° c. G., c. 90.

Pars 4ª. De essentiali Providentiae constitutivo.

1195. — *St. q. et sententiae.* 1º Certum est providentiam in Deo dicere seu utcumque implicare tres hos actus: *a*) *velle* in universum, quaecumque facere decernat, *ex fine* bonitatis suae communicandae facere sapienterque facere; *b*) apta *excogitare* et ordinare media, quibus electa creatio, i. e. ordo rerum inter plures alios possibiles electus, ad fines praestitutos convenienter *pergere possit; c*) *velle* totum mediorum excogitatum ordinem *exsecutive* rebus *applicari.*

2º Nec dubium est τό velle sub *a*) esse quid *remotum*, ideoque praesuppositum; hinc « *velle* » *quaestionis*, seu actus voluntatis *nunc* in quaestionem veniens, est quid *proximius*, est decretum ac volitio *applicativa* sub *c*). Unde

3º Quaeritur de intellectu et voluntate prout sub *b*) et *c*) operantibus, utrum *ambo ad essentiam* pertineant providentiae, aeque formaliter et in recto; an unum ut essentiale, formaliter et in recto; aliud ut praesuppositum necessarium, potius in obliquo; et tunc quodnam uno, quodnam alio modo.

1) Compton, Muncunill, Van der Aa... censent in stricta vereque tali *totali* providentia *utrumque* essentiale esse (1). Favet Suarez, necnon quandoque S. Thomas (2). Tempore Struggl communius defendebatur (3).

2) Alii cum Damasceno, Bonaventura, Scoto, Aureolo, opinantur providentiam formaliter consistere in actu *voluntatis* intendentis finem, eligentis media; scientiam autem dirigentem esse *praesuppositum*. Sic etiam Vazquez.

3) Alii, universim thomistae, necnon Molina, Bellarminus, Valentia, Ruiz, Lessius, Mendive, Beraza, Boedder... formale providentiae *in intellectu* reponunt; quandoque Aquinas his favere videtur; v. g. 1 p., q. 22, a. 1, ad 3: « Providentia est *in intellectu*, sed praesupponit voluntatem finis. Nullus enim praecipit de agendis propter finem, nisi velit finem » (4). Sed alludit, ut patet, ad τό velle sub *a*); ideoque per similia veram quaestionem intactam relinquit.

1196. — *Quaestio magis aperitur.* Litem de voce esse plures insinuant saltem inter 1am et 3am sententiam, ob varias actus intellectivi acceptiones. At etiam *de re* esse videtur; patroni enim 3ae sententiae, formulas prioris sententiae acceptantes, novum addunt actum, i. e. imperium intellectus; hinc

Ad providentiam tres requirunt actus: *a*) *intellectivum*, quo mens finem, media horumque ad finem conducentiam collustret; *b*) *volitivum*, quo voluntas acceptat, vult his mediis finem obtinere; *c*) *intellectivum* rursus, *imperium* ut fiant quaecumque sub ordinatione intellectus a voluntate acceptabantur; atque *essentiam* providentiae in 3º reponunt.

Quod imperium sub *c*), nostro quidem iudicio inutile, impossibile, vel ipsos 3ae sententiae patronos vix quietat. Ex his: quidam ut inutile post volitionem habent (Molina, Mendive...); alii acceptant sed ob fines diversos, v. g. Billuart... ut per haec confirmet suam de causalitate scientiae *visionis* doctrinam (5); alii, v. g. Ruiz, quia « exemplar, *ultimate potens* operationem

(1) Van der Aa, « Theol. Nat. », prop. 66, Schol. 2. — Muncunill, « De Deo Uno », n. 676.
(2) « Providentia includit et scientiam et voluntatem...; actus potentiae... in providentia non includitur, sicut (includitur) voluntas ». De Verit., q. 5, a. 1.
(3) Struggl, « De Deo Uno », d. 5, q. 3.
(4) « Providentia includit scientiam et voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet non quidem speculativa sed practica ». *l. c.*
(5) Supra reiecimus.

dirigere, debet esse exemplar rei *faciendae*, prout *facienda* est, non vero praecise prout est *factibilis*. Non erit autem... nisi *dictaverit* esse faciendam » (1). Adhuc circa ipsam quoque imperii naturam ac formulationem dissentiunt: alii contendunt esse assertivum seu modi *indicativi* « hoc est faciendum »; quia sicut in voluntate nullus possibilis est actus, qui non sit *volitio*, nec in visu qui non sit *visio*, sic in intellectu nullus, qui non sit intellectio, nullus igitur, qui non sit *quidditative cognitio*. Nunc vero « *fac* hoc » non est actus *intellectus* (2). — Alii cum Valentia contendunt imperium illud exprimi debere modo *imperativo* « fac hoc ». — Nos autem in Psychologia ostendimus *imperium* proprie tale in *sola* voluntate esse posse; *dictamen* in intellectu.

Sensus nostrae sententiae. Iam fluit ratio cur 1am praeferamus sententiam, ad cuius perspicuitatem: *a*) Actum *intellectus* sumimus *proximum*, et quasi individuatum, quo nempe Deus ordinationem ac ducentiam *horum* praecise mediorum ad hos praecise fines respectu harum praecise creaturarum, certo percipit ut unum punctum ex infinitis punctis seu ordinibus, quos in universali intuitu aeterno de infinitis possibilibus creaturis viderat, quin tamen eos eligeret creare. *b*) Actum *voluntatis* sumimus pro *simplici volitione* seu *decreto* res illas, quas creare decrevit, per haec media *ad fines ducere*. *c*) Ulteriorem actum non admittimus.

1197. — *Prob.* Non in *solo intellectu*. Adaequatum providentiae constitutivum reponi in eo nequit, quo solo habito, providentia adhuc non adest. *Atqui* ita est de intellectu, mediorum ad fines ordinativo. *Ergo* in hoc solo essentia providentiae non consistit.

Mai. Pugnat haberi essentiam rei nec haberi rem.

Min. Providentia adaequate simpliciterque adesse dici non potest, quin cura adsit et sollicitudo indeque voluntas ac decretum excogitata media applicandi rebus, quibus providetur, seu pro quarum ductu fuerant excogitata. Probatur inductione: *a*) Pater intellectu etiam practico ordinans media educationis, etsi sapienter omnia ordinaverit apteque pro condicione filii, filio providere non dicitur, si deinde incurius nihil velit nec intimet, sed filium sibi derelinquat; vere providet tunc solum cum serio velit imponatque ordinem cogitatum, eius observationem consiliis, minis... procuret (providentia oeconomica). *b*) Idem omnes intellegunt de duce exercitui in suis motibus providente, et de urbis praeside beatitati civium providente (providentia politica). *c*) Necnon de rege totius regni prosperitati providente (providentia monarchica).

Ergo idem de Dei providentia universali (monarchica) est dicendum. — Nec enim aliter circa divina nisi ex humanis conceptus efformamus, delimitamus (3).

1198. — *Scholion I. Infallibilitas et efficacia Providentiae.* Ex una parte « Deus in sua providentia *non fallitur* » (ait Ecclesia); aliunde vero plures, quibus Deus sufficienter providit, *finem adepturi non sunt;* reprobi. Distinguenda adhuc duplex providentia:

---

(1) Ruiz, « De Prov. Dei », d. 3, s. 9.

(2) Ruiz, *l. c.*, s. 7, n. 1.

(3) In comparatione Providentiae cum Prudentia, quam S. Thomas instituit, discrimen clare in hoc est quod Prudentia potest esse *monastica* seu de actibus sui, minime Providentia, quae est de *alienis;* actus enim Dei, qui est finis *ultimus*, non sunt *ordinabiles*.

De *officiis* Prudentiae pulchre S. Doctor: « Prudentiae est ordinare alia in finem sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens qui bene *ordinat* actus *suos* ad finem *vitae suae* (prudentia monastica), sive respectu aliorum sibi subiectorum in *familia* (prudentia oeconomica), vel in *civitate* (prudentia politica) vel *regno* (prudentia regnativa) ». 1 p., q. 22, a. 1.

a) *Absoluta* seu *consequens*, i. e. quam per posterius ad scientiam liberi usus creaturae Deus *habet* respectu finis *universalis* (gloriae Dei) absolute obtinendi; et haec est infallibilis, i. e. efficax, infrustrabilis; quod enim *ab uno* providentiae fine deficit (reprobus a *sua salute*, a praemio) *in alium* incidit, in *vindictam*, in gloriam attributorum Dei; seu frustratio finis *particularis* nunquam frustrat *universalem*. Unde talis providentia est infallibilis et efficax; de eadem dixerat Angelicus omnia ita evenire, sicut a Deo providentur (1).

b) *Condicionata* seu *antecedens*, qua Deus *ex sua parte* et ab abusu libertatis praescindens *serio vult* ut quisque proprium attingat finem suum (beatitudinem); quod tamen de facto finem attingat, vult *pendere a condicione* observantiae legis. Vi talis voluntatis media suppeditat cuique *sufficientia*, per libertatem tamen frustrabilia. Quae voluntas, vere serioque volens « omnes homines salvos fieri », *inefficax* esse potest et frustrabilis; de facto a reprobis frustratur. « Unde potest aliquid ab ordine providentiae quantum ad id quod intentum est exire » (S. Th., 1º Dist. 40, q. 1, a. 2). Huic erunt referendi providentiae quidam theologorum sermones; v. g. « Providentia ratione sui formaliter *effectivam finium consecutionem* non continet, sed solam mediorum ad eos ordinationem » [Mendive (2)].

Hinc etiam: 1º Sibi constans ponitur Angelicus [declarat Billuart (3)], quin ad retractationes confugiamus. 2º Sensus varii providentiae *generalis* elucent: Providentia *generalis* (universalis): *a*) si de providentia agatur *naturali*, alludit ad eam, quae *totum* universum aspicit opponiturque *particulari* (naturali tamen) circa *homines*. *b*) Si sermo fiat de *supernaturali*, generalis sonat quasi communis seu *omnes* respiciens homines etiam reprobos; *specialis* vero, quae praedestinatos *tantum* spectat. 3º Signare est *locum*, quem inter divinos actus providentia occupat. α) Deus omnes possibiles rerum ordines (mundos) percipit (simplici intellegentia), singulas etiam in unoquoque creaturas cum finibus mediisque fixis pro possibili seu hypothetica cuiusque mundi productione, inter quos mundos videt et actualem (quem tandem eliget). β) Videt (scientia media) quid quisque homo libere ageret cum et sub his mediis ac hypothesibus in unoquoque ex possibilibus mundis. γ) Eligit mundum hunc ad talem gradum gloriae, i. e. decernit creare *hunc*, et *decernit* homines mediis illis *adiuvare sufficientibus*, quae pro hoc mundo (sicut pro ceteris alia, sufficientia semper) hypothetice disposita erant [ut sub α)] et nunc absolute disponuntur. δ) Providentia actualis proprie in signo γ) reperitur, in ultima eius parte.

1199. — *Scholion II. Providentia et Praedestinatio.* 1. Providentia universalior est quam praedestinatio, si haec stricte accipiatur formaliterque quoad ea solum, quae directe in ea continentur. Si autem latius pro indirecte etiam in ipsa contentis, tunc praedestinatio tam late quam providentia patet. Hinc:

2. *a*) *Praedestinatio* (supernaturalis ad gloriam) dicta est a S. Thoma (1 p., q. 23, a. 1, c, etc.) pars quaedam providentiae « quantum ad obiecta ». Videlicet; praedestinatio, si cum universali comparetur providentia, huius est velut pars integralis; quod de propria valet praedestinatione, quantum ad ea nempe, quae praedestinatio directe expresseque dicit, beatificationem *electorum*. *b*) Sed si latius sumpta etiam Christi praedestinationem amplectatur, tunc sane providentiam adaequat; extensio enim providentiae ad salutem tendit electorum; electi ipsi ad *gloriam Christi;* omnesque cum Christo *ad gloriam Dei* (4). Age vero, sicut obiectum *primarium* scientiae, si ad illud reliqua ordinentur, obiectum quadantenus adaequatum dicitur, ita in casu praedestinatio primario intenta dici poterit *adaequata provi-*

---

(1) « In hoc est immobilis et certus divinae providentiae ordo, quod ea, quae ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessario sive contingenter » (1 p., q. 22, a. 4, 2). « Si Deus providit hoc futurum, hoc erit; sed sic erit, sicut Deus providit esse futurum » (3º c. G., c. 94).

(2) De Deo Uno, n. 300. — Nec aliter S. Thomas: « Providentia *ordinem in finem* respicit tantum, unde per Dei providentiam, *omnes* homines in beatitudinem *ordinantur*. Sed praedestinatio respicit etiam *exitum* vel *eventum* ordinis, unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur » (De Verit., q. 6, a. 1).

(3) « De Deo », Diss. 9, a. 1.

(4) « Omnia *vestra* sunt, vos autem Christi, Christus autem *Dei* » (Paul. I ad Cor. 3, 22-23).

dentia, eo quod cuncti providentiae termini finesque *ad praedestinationem* primario intentam ordinentur, ideoque *reductive* et in obliquo praedestinatio sint (1).

1200. — *Scholion III. Providentia et Lex Aeterna.* 1) Lex aeterna cum Providentia semper *coincidit*, immo utriusque sive notio sive effectus invicem ita accedunt, ut unam pro alia sumere practice permittamur. In ordine tamen signorum Lex Providentiam praecedit; etenim Lex est « quasi principium providentiae »; « providentia non nominat *legem* aeternam, sed aliquid ad legem aeternam consequens » (2). 2) Se habent igitur ut *principium* generale et *conclusiones* particulares, fere ut in nobis principia practica prima se habent ad prudentiam de casu concreto. Unde 3) Lex *aeterna* regulas dictat *generales*, per quas naturis inditas, creaturae pro cuiusque condicione ad finem ducantur: « bonum est faciendum, parentes honora... ». Providentia *per posterius* et quasi ministerialiter particularia disponit pro individuis casibus media, ut lex impleatur finisque attingatur; hinc velut norma cuiusdam personalis studii de modo ducendi individua a, b, c, in finem, se habet ad instar *exsecutivi* et *applicativi* Legis praeviae; seu: lex dicit « ius *in communi* constitutum; providentia vero dicit *curam*, quae de *singulis actibus haberi* debet » (3). Nec te moveat *universalia* et *vaga* Deo dissonare; nihil enim tale supponimus vi Legis exsistens saltem in Deo, ut patet; sed nec in creatura. Profecto tendentiae ac principia, naturis vi Legis insita, universalia sunt obiective solum seu *terminative* (et repraesentative), non autem *entitative;* prout sic enim determinata sunt ac singularia, licet ad plures deinde actus inservientia; fere sicut dans intellectum Deus dat aliquid subiective (entitative) singulare, obiective solum seu terminative (certo sensu) universale, inquantum facultas ad plures inservit actus, qui actus in facultate formaliter non sunt determinati. 4) Effectus *omnes* Providentiae sunt effectus etiam Legis Aeternae; hinc *miracula* ipsa, effectus a Providentia intenti, in rigore dici nequeunt *suspensio Legis* aut a Lege exceptio. Licet enim a Lege particularia singillatim non intendantur nec specificentur, sed nec excluduntur, immo suo modo includuntur. Statio Solis coram Iosue, effectus certe Providentiae, de *ea* quidem Legis *parte* non erat, quae *stabilem* caelorum *motum* dictabat, erat tamen de *alia* eiusdem *parte*, quae iustorum *preces exaudire* decernebat.

Articulus II.

de gubernatione

Propositio LXXIV. **Deus res omnes exsecutive quoque gubernat, partim solus, partim ministerio utens creaturae.**

1201. — *St. q.* Gubernatio stricte talis externa est providentiae *exsecutio;* pro ipsa quoque Providentia eiusve parte quandoque sonat: « Ad *providentiam duo* pertinent; scilicet *ratio ordinis* rerum provisarum in finem, et *exsecutio* huius ordinis, quae gubernatio dicitur » (4). Nunc pressius sumpta externum rerum in tempore ductum significat, de qua affirmamus: 1º extensionem ipsius tam amplam esse quam Providentiae, 2º non tamen aeque exclusivam.

1202. — *Pars* 1ª. *Deus res omnes gubernat.* — *Prob.* 1. Deus, quia auctor rerum omnium summe bonus, potens, sapiens, ad bonum quamque suum *perducere* tenetur, ad perfectam quasi consummationem convenienter dirigere.

---

(1) Cfr. Suarez, « De Praedestinatione et Reprobatione », c. 18, n. 4.
(2) De Verit., q. 5, a. 1, ad 6.
(3) Suarez, « De Legibus », Libr. 2, c. 3, n. 12.
(4) 1 p., q. 22, a. 3.

Atqui nonnisi in finium consecutionem res perducat, quod gubernare dicitur. *Ergo* Deus res omnes gubernat.

Mai. Secus enim bonitas Dei *inchoata* solum iaceret, modo cuiusdam imperfecti auctoris exhibita, ad instar bonae creaturae.

Min. « Ultima (enim) perfectio uniuscuiusque est in *consecutione* finis » (1).

1203. — *Prob.* 2. Ex ordine mundano. Vidimus (5ª via, n. **182**) quam sapienter res omnes, quam constanter in suos moveantur fines sive particulares sive generalem. *Atqui* tam rectus rerum cursus, tam tenax omnium in metas plerisque ignotas conspiratio, ducentiam arguit supremi gubernatoris. *Ergo* Deus res omnes gubernat.

Ad Minorem. Rerum propter finem operantium genera duo distinguit Aquinas: aliae enim operantur ut quae *se ipsas* in finem movent (homo); aliae autem ut *ab aliquo actae.* Iam sicut sagitta ad signum ducta sagittantis ductum demonstrat, similiter res prae primis inanimae, in finem actae, intellegentiam enarrant gubernatoris (nemo dat quod non habet), supremi quidem, cum ordinum complicationes creatura aut exsequi aut etiam mente capere nullatenus possit.

1204. — *Scholion I.* Deum creaturas pro cuiusque natura gubernare significat quasdam *physice, moraliter* alias in finem omnes pellere. Videlicet gubernatio in concreto dicit *a*) conservationem, *b*) cooperationem seu concursum actualem. *Conservatio* quidem ex propria notione esse tenetur *mere physica.* Etiam *cooperatio,* quae varietatem magis permittit: α) physica semper est, inquantum physica exercetur actione; β) adhuc, quia cooperatio cum entibus *liberis* sub vi exercetur non mere physica i. e. non physice determinante sed de se indifferente, per praecepta *moralia* moraliter solum ligantia, hinc ex hoc titulo gubernatio entium liberorum *moralis* dicitur.

1205. — *Scholion II. De effectibus gubernationis.* 1) Effectus gubernationis sunt id « quod per gubernationem in rebus gubernatis causatur » (S. Th.); idipsum nempe quod in ratione providentiae statutum exsecutioni mandatur; in concreto erunt operationes in *Scholio I* recensitae, quae et in Providentia considerantur. 2) Curnam hic effectus quandoque *unus* quandoque *plures* dicatur, intellegemus si cum Aquinate distinguamus effectum gubernationis ex *parte finis,* qui effectus est unus: *assimilare* res Deo (est gloria extrinseca Dei), et ex *parte mediorum* ad finem i. e. ad obtinendum similitudinem creaturae cum Deo; tunc enim sunt *duo* effectus generales: *a*) facere creaturam *bonam* (pro se), ut Deus est bonus (sibi); *b*) facere creaturam *bonam aliis,* seu quae alias ad bonitatem moveat, ut « Deus est aliis causa bonitatis ». 3) Effectus tandem gubernationis *in particulari* « sunt nobis innumerabiles » (2), i. e. ob multitudinem sive creaturarum gubernatarum sive operationum ac motionum gubernativarum; per se patet.

Pars 2ª. Immediata gubernatio non est *exclusiva Dei* circa omnia a Deo gubernata.

1206. — *St. q.* 1. Sicut providentia sic gubernatio Dei est evidenter immediata respectu omnium rerum seu in contactu *immediato* cum omnibus, et quasi personali; constat ex actibus in concreto eam constituentibus, conservatione, cooperatione; igitur quaestio non in hoc versatur.

2. Sed providentia Dei in *solo Deo* est, seu a Deo ita habetur, ut ratio ipsa providentiae cooperationem aut societatem aliis non permittat; quae-

(1) S. Th., 1 p., q. 103, a. 1. — Ibid. Tota probatio.
(2) 1 p., q. 103, a. 4, c.

ritur an idem de gubernatione sit. Solutio negativa communissima est (1), iuxta quam sicut operatio Dei est immediata in cuiusvis effectus productione, quin ideo tamen immediatam prohibeat cooperationem creaturae, simile quid de exercitio providentiae est dicendum. Modo speciali creaturis rationalibus (homini et angelis) conceditur esse gubernationis ministros.

1207. — *Prob.* 1. Gubernatio, cuius est ad bonum res adducere, eo erit perfectior, quanto maior perfectio a gubernante communicetur gubernatis. *Atqui* perfectius est sive sibi sive aliis bonum esse, quam sibi soli. *Ergo* Deus sapiens sic res gubernat, ut dum eas datione boni positivi in bonum movet, moveat ut et ipsae in alias res bonum extendant, seu sint causa boni aliorum. « Sicut si aliquis magister discipulos suos non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores » (2).

